BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
S
27 — A
22

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ADRIANI
MANGOTII
GOUDANI SOC. JESU
MONITA SACRA
EX
S. SCRIPTURA & SS. PATRIBUS
POTISSIMUM COLLECTA,

In celebri Academia Lovanienſi Sodalibus Deiparæ Virginis dicta, omnibus utiliſſima, & quatuor Tomis diſtincta.

Cum triplici Indice ad calcem Operis, ſeu in fine Tomi Quarti ſubjuncto.

I. Eſt propoſitorum ordine ſcripturarum digeſtus.
II. Eſt Dominicorum & feſtorum dierum totius anni, quibus hæc monita rectè à Concionatoribus dici poſſunt.
III. Eſt rerum & materiarum copioſiſſimus.

PARS SECUNDA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LUGDUNI,
Apud ANISSONIOS, JOAN. POSUEL, & CL. RIGAUD.
M. DC. LXXXIV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Habes hic, amice Lector, alteram partem Monitorum ſacrorum, quæ uti priora, ex S. Scripturis & Patribus potiſſimum collecta ſunt. Ex Scripturis quidem, quòd ut Apoſtolus teſtatur: Omnis ſcriptura, divinitùs inſpirata utilis ſit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendũ, ad erudiendum in juſtitia; ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. *Vnde & ad eam nos remittit Propheta, dicens;* Ad legem & ad teſtimonium. *Id eſt, interprete D. Hieronymo:* Si vultis noſſe quæ dubia ſunt, magis vos legi, & teſtimoniis ſcripturarum tradite; alioqui lucem veritatis non habebitis, ſi verbum Domini quærere nolueritis. Sunt enim Scripturæ ſacræ, *inquit S. Auguſt.* veluti epiſtolæ quædam è cœlo ad nos miſſæ, quibus nobis voluntatem ſuam aperit Deus.

2. Timot. 3.

Iſai. 8.

Hier. in illũ locum.

In Pſal. 64, & 90. Conc. 2.

Digitized by Google

Ex patribus verò, quòd ita præcipiat Apoſtolus; Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem. *Atque hac etiam ratione Eccleſia dicitur Sanctorum communio, quia nimirum manet in eadem fide & religione, in qua defuncti ſunt ipſi majores noſtri, qui nos præceſſerunt. Hoc ipſum & Galatis inculcat Apoſtolus, dicens*, aliter docentes, quàm eos docuerat, non eſſe audiendos. *Ioannes quoque exigens, ut* maneamus in eo quod traditum eſt nobis: *ſicut & Petrus & Iudas, hortantes*, ut meminerimus priorum Apoſtolorum. *Sic etiam Concilia & Patres ſæpe inculcant, à prioribus ſanctis non eſſe recedendum: & adjiciunt, ſecundum ſanctos Patres. Et, inſequentes ſanctos Patres, hæc vel hæc dicimus. Vnde S. Hilarius acriter invectus in Conſtantium Imperat. Arianum*; Apoſtolus, *inquit*, nos Sanctorum memoriis communicare docuit: tu eas damnare coëgiſti. Cui nunc Sanctorum memoriæ communicabitur? Anathema tibi 318. convenientes apud Nicæam Epiſcopi ſunt. Anathema deinde omnes, qui variis expoſitionibus affuerunt.

Hebr. 13. Galat. 1. 2. Joan. 1. 2. Petri 1. Epiph. lib. Anchorat. Martinus Papa. In lib. cõt. Conſtant. Heb. 13. & alibi. Ad Theop.

Scito, *ait S. Hieronymus*, nobis nihil eſſe antiquius,

antiquius, quàm Chriſti jura ſervare, nec Patrum tranſire terminos, ſemperque meminiſſe, Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam, cujus ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur. *Denique in Concilio Chalcedonenſi, cùm dixiſſet aliquis; Vultis fidem ſanctorum Patrum innovare? omnes una voce reſponderunt*: Siquis innovat, anathema ſit. Si quis diſcutit, anathema ſit. Sanctorum Patrum fidem ſervemus oportet. *Hæc eſt, mi Lector, inſtituti mei ratio; tu eam bene accipe, ac in Domino Vale.*

Epiſc Alexand.
Rom.1.

INDEX

INDEX
PROPOSITORUM
SECUNDÆ PARTIS.

1. Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper. Eccleſ.3.
2. *Fili mi, ne obliviſcaris legis meæ*. Prov.3
3. *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Pſal. 118.
4. *Nihil per inanem gloriam*. Philip.2.
5. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Philip.2.
6. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*. 1. Corinth.10.
7. *Timete eum qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam*. Matth.10.
8. *Sunt impii qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant*. Eccl.8.
9. *Teipſum caſtum cuſtodi*. 1.Timoth.5.
10. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*. Hebr.13.
11. *Fugite fornicationem*. 1.Cor.6.
12. *O quàm pulchra eſt caſta generatio*. Sap.4.
13. *Exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in caſtitate.* 2.Corinth.6.

14. *Deus*

Digitized by Google

14. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* 1. Petri 5.

15. *Sobrietatem docet, & prudentiam, & juſtitiam, & virtutem, &c.* Sap. 8.

16. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Matth. 10.

17. *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.* Proverb. 13.

18. *Attende lectioni.* 1. Timoth. 4.

19. *Ne deſideres de cibis illius, in quo eſt panis mendacii.* Proverb. 23.

20. *Attendite ne graventur corda veſtra in crapula & ebrietate.* Lucæ 2.

21. *Non in comeſſationibus & ebrietatibus.* Rom. 13.

22. *Iraſcimini, & nolite peccare.* Pſal. 4.

23. *Melior eſt patiens viro forti.* Proverb. 16.

24. *Non in contentione & æmulatione.* Rom. 13.

25. *Servite Domino in lætitia.* Pſal. 99.

26. *Erat Suſanna pulchra nimis, & timens Deum, &c.* Daniel. 13.

27. *Melius eſt mihi incidere in manus veſtras, quàm peccare,* &c. ibidem.

28. *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Joan. 8.

29. *Spiritum nolite extinguere, Prophetias nolite ſpernere.* 1. Theſſal. 5.

30. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* ibidem.

31. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros.* 2. Cor. 6.

32. *In longanimitate, in ſuavitate, &c.* ibidem.

33. *Miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos.* Luc. 15.

34. *Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo.* 1. Cor. 7.

35. *Si*

Digitized by Google

35. *Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero.* Matth. 9.

36. *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Luc. 8.

37. *Maria conſervabat omnia verba hac conferens in corde ſuo.* Luc. 2.

38. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, &c.* Matth. 23.

39. *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Pſal. 36.

40. *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Matth. 8.

41. *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, &c.* Lucæ 11.

42. *Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos,* &c. Joan. 6.

43. *Convocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam,* &c. Marc. 8.

44. *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.* Matth. 26.

45. *Vis imus, & colligimus ea? Non.* Matth. 13.

46. *Duo homines aſcendebant in templum,* &c. Lucæ 18.

47. *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Mat. 5.

48. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.* 1. Petri 5.

49. *Erudimini qui judicatis terram.* Pſalm. 2.

50. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata,* &c. Joan. 20.

51. *Venite ad nuptias.* Matth. 22.

52. *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem.* ibidem.

53. *Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini.* Io. 16

54. *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol,* &c. Matth. 17.

55. *Sic Pater meus cœleſtis faciet vobis,* &c. Mat. 18.

56. *Vos patres educate filios veſtros in diſciplina,* &c. Epheſ. 6.

57. *Qui*

Digitized by Google

57. *Qui timet Dominum, honorat parentes*, &c. Eccleſ.3.
58. *Filii, obedite parentibus per omnia*. Coloſſ.3.
59. *Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo*, &c. Pſal.36.
60. *Maledictus qui confidit in homine*, &c. Hier.17.
61. *Vende quæ habes, & da pauperibus*. Matth.19.
62. *Ecce Evangelizo vobis gaudium magnum*, &c. Luc.2.
63. *Hæc dies quam fecit Dominus*, &c. Pſalm.117.
64. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Joan.14.
65. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Pſalm.109.
66. *Vocatum eſt nomen ejus* Jesus. Luc.2.
67. *Ubi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Matth.2.
68. Jesus *proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia*, &c. Luc.2.
69. *Vocatus eſt* Jesus *ad nuptias*. Joan.2.
70. *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro*. 1. Cor.7.
71. *Honorifica Sacerdotes*. Eccleſ.7.
72. *Regem honorificate*. 1. Petri 2.
73. *Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit*, &c. Luc.11.
74. *Occurrerunt ei decem viri leproſi*. Luc.17.
75. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*. Jo.4.
76. *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Joan. 6.
77. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, &c. Galat.5.
78. *Video aliam legem in membris meis*, &c. Rom.7.
79. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube*, &c. Luc.21.
80. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Mathæi 11.

Digitized by Google

81. *Confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Joan. 1.
82. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur,* &c. Luc. 3.
83. *Domus mea, domus orationis eſt.* Luc. 19.
84. *Ecce motus magnus factus eſt in mari.* Matth. 8.
85. *Vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam,* Luc. 15.
86. *Ego ſum Paſtor bonus.* Joan. 10.
87. *Petite & accipietis.* Joan. 15.
88. *Adoleſcens tibi dico, ſurge.* Luc. 7.
89. *Arguet mundum de peccato.* Joan. 16.
90. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Joan. 9.
91. *Solvite & adducite mihi.* Matth. 21.
92. *Diliges proximum tuum,* &c. Matth. 5.
93. *Multi Pſeudoprophetæ ſurgent,* &c. Matth. 24.
94. *Tradidit eum tortoribus, donec redderet univerſum debitum.* Matth. 18.
95. *Lazare, veni foras,* Joan. 11.
96. *Quis peccavit, hic, an parentes ejus,* &c. Joan. 9.
97. *Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta.* Matt. 11.
98. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris,* &c. Matt. 18.
99. *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* 2. Petri. 1.
100. *Vidit* Jesus *hominem in telonio ſedentem.* Matt. 9.
101. *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Actor. 7.
102. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* Joan. 15.
103. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Luc. 12.
104. *Benedicite Angeli Domini Domino.* Daniel. 3.
105. *Peperit filium primogenitum,* &c. Luc. 2.
106. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum,* Matt. 2.

107. *Circum*

Digitized by Google

107. *Circuncidimini Domino.*Hierem.4.

108. *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Luc.2.

109. *Beatus vir qui timet Dominum,* &c.Pſal.111.

110. *Iucundus homo qui miſeretur & commodat,* &c. ibid.

111. *Videntibus illis elevatus eſt.* Actor.1.

112. *Mane nobiſcum, Domine, quoniam adveſperaſcit.* Luc.24.

113. *Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus.* Matt.25.

114. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc.7.

115. *Attraxi te, miſerans.* Hier.31.

116. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ,* &c. Philip.3.

117. *Advocatum habemus apud Patrem,*&c.1.Ioannis 2.

118. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini,* &c. Iſaiæ 11.

119. *Paracletus autem Spiritus ſanctus,*&c.Ioan.14.

120. *Factus eſt repentè de cœlo ſonus,* &c.Actor.2.

D. Auguſt.

D. Auguſt. lib. 15. de Trinit. cap. ultimo.

COram te, Domine, eſt firmitas mea, & infirmitas mea: illam ſerva, iſtam ſana. Coram te eſt ſcientia, & ignorantia mea. Ubi mihi aperuiſti, ſuſcipe intrantem: ubi clauſiſti, aperi pulſanti. Meminerim tui, intelligam te, diligam te. Auge iſta in me, donec ad integrum reformes me.

D. Ambroſ. in 1. cap. 1. ad Corinth.

PRædicatio Chriſtiana non indiget pompa & cultu ſermonis, ne videatur eſſe ex verſutia & calliditate humanæ ſapientiæ, non ex veritate. Ibi enim verborum compoſitio quæritur, ubi teſte virtute ipſa ſe non commendat veritas, ſicut in ſapientia ſæculari.

ADRIANI

Digitized by Google

ADRIANI MANGOTII GOUDANI

MONITA SACRA,

EX S. SCRIPTURA ET SS. PATRIBUS POTISSIMUM COLLECTA.

PARS ALTERA.

MONITUM PRIMUM.

Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.
Eccleſ. 3.

ADmodum ſollicitus debet eſſe homo, ac in eam curam præcipuè incumbere, ut intelligat quid ſibi agendum ſit, & quomodo vitam ſuam debeat inſtituere, ut ſalutem æternam conſequatur. Monent autem Doctores, ut quoniam naturâ rationalis eſt, rationem ducem in omnibus ſequatur. De qua multa loquuntur SS. Patres; ac inprimis D. Baſilius dicit, quod *Ratio in corde velut in domo ſua ſedem habens, inde omnia quæ exterius à ſenſibus nuntiantur, ac per eos veluti quaſdam feneſtras influere conantur, dijudicet, & quæ proſunt ac utilia ſunt, admittat; noxia verò ac pernicioſa, aditu prohibeat.* Et rurſum: *Frenare & continere corporis, quaſi belluæ cujuſdam impetus decet, & motus turbulentos ac tumultus, qui ab ipſo in animo concitantur, ratione tanquam flagello cohibere.* Sic & (De vera Virginit.) (Homil. 24.)

A S. Hie

Digitized by Google

Lib. 2. in Iovinian. S. Hieronym. *Senſus corporum quaſi equi ſunt, ſine ratione currentes, anima verò in aurigæ modum retinet fræna currentium. Et quomodo equi abſque rectore præcipites ruunt, ita corpus ſine ratione, & imperio animi, in ſuum fertur interitum.*

De Trinit.lib.1. c. 12. D. verò Auguſt. myſticè tractans caſum primi hominis, ſerpentem facit eſſe ſenſum corporis; Mulierem quæ ſibi imponi patitur, concupiſcentiam; Virum, rationem quæ in homine obtinet principatum. Quemadmodum enim à ſerpente mulier blando ſermone illicitur ad peccandum, ſic à ſenſu concupiſcentia, ab hac Ratio. Concupiſcentiæ enim ſenſus jucunditatem voluptatis proponit, quam concupiſcentia guſtatam rationi deinceps tradit. *Non enim*, inquit, *ratio deduci ad conſenſionem peccati poteſt, niſi cùm delectatio mota fuerit in illa parte animæ, quæ debet obtemperare rationi.* nam, ut idem addit, *etiamſi non ſequatur factum, rea tenetur in conſenſione conſcientia. Quando verò ita fit, ut ratio refrænet commotam cupiditatem*, ait idem Auguſt. *non labimur in peccatum, ſed cum aliquanta luctatione coronamur.*

De Gen. cont. Manich.lib.2. cap. 12.

D.Leo ſer. 1. de Quad. De eadem ratione D.Leo; *Tunc*, inquit, *ratio ordinatiſſimum tenebit principatum, ſi mens rectori ſuo ſubdita, & ſupernis muneribus delectata, voluptatis terrenæ incitamenta calcaverit, & in ſuo mortali corpore regnare peccatum non ſiverit.* Et iterum; *Cùm Apoſtolus dicit, Carnis curam ne feceritis in deſideriis, non ea nobis interdicta intelliguntur, quæ ſaluti congruunt, & quæ humana poſcit infirmitas, ſed quia non omnibus deſideriis ſerviendum, nec quicquid caro concupiſcit, implendum eſt. De adhibendo temperantiæ modo admonitos nos eſſe cognoſcimus, ut carni, quæ*

ſerm. 1. de Reſur. Rom. 13.

ſub-

ſub animi ſeu rationis eſt conſtituta judicio, nec ſuperflua concedamus, nec neceſſaria denegemus. Unde idem Apoſtolus, nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam; non utique ad vitia, non ad luxuriam, ſed ad debitum eſt alenda & fovenda famulatum; ut teneat ordinem ſuum renovata natura, nec perversè ac turpiter ſuperioribus inferiora prævaleant, & ibi fiat ſervitus, ubi debet eſſe dominatus. Epheſ. 5.

Denique D. Auguſtinus contra Julianum tractans, cur in hominibus malum ſit concupiſcentia, non in pecoribus; *Ideo,* inquit, *in pecoribus malum non eſt concupiſcentia, quia non adverſus ſpiritum concupiſcit, ſed eorum potiùs oblectat ſpiritum. Concupiſcentia enim ſapientiæ carentia, carnali concupiſcentia exultant, & à bono vitæ rationalis aliena, hoc bonum habent quo delectantur. Propterea ergo hoc non eſt in pecoribus malum, quia in eis non concupiſcit adverſus ſpiritum; non enim habent rationem, qua libidines ſubjugent ſuperando, fatigentve pugnando.* Lib. 4. c. 14.

Homini ergo qui ratione præditus eſt, ſecundùm rationem vivendum eſt, qua Deo & Angelis aſſimilatur, à beſtiis diſcernitur: nec eſt propriè ratio, niſi recta ſit, & in tantum ipſa recta eſt, in quantum divinæ legi eſt conformis. Ita fit, ut vivere ſecundùm rationem, nihil aliud ſit, quam vivere ſecundùm legem ac voluntatem Dei. Ad cujus obſervationem omnes ſcripturæ nos diligenter hortantur. Ita Dominus in Evangelio; *Eſto conſentiens adverſario tuo.* Et quis eſt iſte adverſarius? *Adverſarius hominis, ſermo legis eſt,* inquit D. Auguſt. Sed quomodo adverſarius; quia ille ſermo aliud jubet, aliud tu ex natura corrupta & peccato vitiata, vis, & facis. Dicit Lex, Non mœ- Math. 5. De Decachordo, c. 3. & ſer. 5. in nov.

chaberis, tu vis mœchari; dicit lex, Honora patrem & matrem, tu in parentes es contumelioſus; dicit, Non concupiſces rem proximi tui, tu etiam rapis aliena. Et ſic in aliis. Videns ergo, quia ille ſermo aliud præcipit, & tu vis aliud, & ſi potes, facis, etiam vides legis ſermonem tuum eſſe adver-

Rom. 7. ſarium. Unde & Apoſtolus ait; *Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum.* Lex ſpiritualis eſt, quia præcipit ea quæ Deo, qui ſpiritus eſt, placent; Ego autem carnalis ſum, quia deſidero ac facio quæ placent carni.

Pſalm. 32. David quoque Propheta ita hortatur; *In pſalterio decem chordarum pſallite illi,* nempe Deo. Quid autem eſt pſallere Domino in decachordo, quam hilariter & cum gaudio illi ſervire, in ſedula & recta obſervatione decem mandatorum? *Præcepta*

In Pſal. 32. *legis decem ſunt,* ait D. Aug. *In decem præceptis habes pſalterium decem chordarum. Deſuper ſonant, quia deſuper data ſunt. Deus tuus, Deus unus eſt; habes unam chordam. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum, habes alteram chordam*; & ſic in cæteris. *Tange pſalterium, imple legem, quam tibi dedit Dominus.* Dulcis profectò melodia, quæ Deum, Angelos, & homines recreat, ac pſalterizantis conſcientiam mirabiliter reficit.

Eccleſ. ult. Eccleſiaſtes præterea; *Deum,* inquit, *time, & mandata ejus obſerva. Quid brevius, verius, ſalubrius di-*

De Civit. l. 20. cap. 3. *ci potuit?* ait D. Aug. Et addit Sapiens; *Hoc eſt enim omnis homo,* id eſt, ad hoc conditus eſt omnis homo, hoc ejus eſt opus ac officium, in hoc ejus ſita eſt perfectio, omnes æquè concernit: *æquo ju-*

In epiſt. ad Celant. *re mandatur omnibus: nullus ab hoc imperio liber eſt,* inquit Hieron. Atque ut hominem ad officium

præ

præſtandum acriùs impelleret Sapiens, terribile Dei judicium, in quo ſtrictiſſima omnium reddenda eſt ratio, ob oculos ponit, dicens; *Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, omne abſconditum, ſive bonum, ſive malum*; *Meminiſſe enim debemus*, ait Venerab. Beda, *facta & cogitationes noſtras, non in ventum diffluere, ſed ad examen ſummi Iudicis cuncta ſervari, in fine nobis oſtendenda, ſive per amicos angelos, ſive per hoſtes.* Ibidem. Lib. 5. hiſt. Angl. c. 15.

D. Baſil. pulchrè deſcribens humanæ vitæ decurſum; *Homo*, inquit, *non eſt niſi anima carni alligata, qui à ſapientiſſimo artifice in maternis ſinibus formatur, ex tenebroſis illis thalamis in lucem partùs tempore educitur, ordinaturque ut his quæ in terris ſunt imperet: lex ei datur, ut virtutem exerceat, plaſten imitetur, & probè diſpoſitam in cœlis diſciplinam adumbret in terris. Hic, dum hinc vocatur, diſcedit, ad Dei qui illum miſit, tribunal ſiſtitur, eorum quæ in hac Republica geſſit, retributionem accipit.* Quibus in verbis primùm nota, cur homo miſſus in terram? Lex ei datur, inquit, ut virtutem exerceat, plaſten imitetur, &c. Deinde quæ ad hoc eum debeant impellere, nempe horrendum tribunal Judicis, ante quod ſtatim à morte ſiſtitur, & ante quod *omnes nos manifeſtari oportet*, ait Apoſtol. ad quod omnia & ſingula hominum opera juxta legem examinabuntur: Et futura retributio, quæ eſt æternitas, vel in pœna, vel in gloria. O æternitas, quàm rarò verſaris in mentibus hominum, & quanta in iis bona operareris diligenter expenſa? Homil. 23. 2. Cor. 5. Rom. 14.

Denique Eccleſiaſticus ita hortatur; *altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.* Monet Sapiens Eccleſ. 3.

Digitized by Google

abſtinendum à curioſis rerum indagationibus, earum præcipuè, quæ in alto poſitæ, ab anguſto noſtro intellectu comprehendi nequeunt; monet abjiciendas cogitationes inutiles, ſterilia ſtudia, quibus atteritur ingenium, non inſtruitur: occupatur, non inflammatur. Conferendas verò curas omnes & cogitationes ad meditationem & obſervationem mandatorum Dei, quæ verè bonum ac beatum hominem efficiunt. Sic enim David; *Beatus vir, cujus voluntas in lege Domini: & in lege ejus meditatur die ac nocte.* Et: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* Et: *Beati qui ſcrutãtur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* Et: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus: labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Beatos ac felices dicit tales Scriptura; interim ſpe, poſtea reipſa futuros, cum id quod exſpectamus advenerit.

Pſalm. 1. Pſalm. 111. Pſalm. 118. Pſalm. 127.

MONITUM II.

Fili mi, ne obliviſcaris legis meæ.

Proverb. 3.

Luc. 10. INterroganti quid faciendo vitam æternam poſſidebo? reſpondit Dominus, In lege quid ſcriptum eſt? Lex ergo Domini ſemper ante oculos habenda eſt. Illa nobis debet eſſe tanquam Speculum, Lucerna, Regula. Tanquam ſpeculum, in quo mentis & converſationis noſtræ faciem crebrò inſpiciamus, omniáque noſtra ad illud dijudicemus ac componamus. Unde D. Leo; *Nullus*, inquit, *ſibi per omnia placet, nec ſe ſecundùm*

Ser. 11. de Quadrag.

dum carnis oblectamenta dijudicet, ſed omnem conſuetudinem ſuam in divinorum præceptorum lance conſtituat, ubi cum alia interdicantur, ne fiant; alia jubeantur, ut fiant; juſto ſe trutinabit examine, qui vitæ ſuæ mores ex utriuſque ponderis comparatione penſaverit. Artifex enim miſericordia Dei, ſplēdidiſſimum in ſuis mandatis condidit ſpeculum, in quo mentis ſuæ faciem inſpiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm diſſimilis eſſet, agnoſceret. Sic Leo.

Deus cum dediſſet mandata legis per Moyſen, ad extremum intulit; *Ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos. Et ſenſus eſt,* ait ſanctus Hieronym. *Præcepta mea ſint in manu tua, ut ea compleas: ſint ante oculos tuos, ut in eis mediteris die ac nocte. Tunc non confundar,* inquit Propheta, *cum perſpexero in omnibus mandatis tuis*; id eſt, non fruſtrabor beatitudine expectata, cùm perſpexero, tanquam in lucidiſſimo ſpeculo, in omnibus mandatis tuis. *Qui enim perſpexerit in legem perfectam libertatis,* ait Jacobus, *& permanſerit in ea, non auditor obliviosus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* Deut. 6. In cap. 23. Matth. Pſalm. 118. Jac. 1.

Deinde lex Dei debet nobis eſſe tanquam lucerna, cui ſemper attendendum in hoc loco caliginoſo, ut inoffenſis greſſibus viam hujus vitæ ambulare poſſimus. Sapiens ſuaviter loquens de præceptis Dei: *Liga,* inquit, *ea in corde tuo, & circunda ea gutturi tuo; cùm ambulaveris, gradiantur tecum; cùm dormieris, cuſtodiant te; & evigilans, loquere cum eis; quia mandatum lucerna eſt, & lex lux.* Locus in quo verſamur lubricus eſt & caliginoſus: lubricus, quia ſi ipſum hominem ſpectes, *quid habet in ſuis viribus, niſi periculi facultatem?* ait D. Proſper. Si 2. Pet. 1. Proverb. 6. Li. 1. de voc. gent. ca. 6.

 ad

Digitized by Google

ad ea quæ extra hominem ſunt, animum & ocu-
Sap. 4. los convertas, *omnia facta ſunt ei in laqueum & in*
muſcipulam. Caliginoſus verò, quia neſcit corru-
ptus homo, quò ſe movere, ubi pedes converſa-
Proſp. cont. tionis ſuæ figere debeat. *Non enim ſolum juſtitiam,*
Coll. c. 21. *ſed & boni ſcientiam per peccatum perdidit.*

Lucerna ergo ei opus eſt. Et quæ lucerna melior,
quàm lex Domini, quæ clarè demonſtrat, quid
facere, quid vitare, quid appetere debeat, & quid
declinare. Huic ergo legi, tanquam lucernæ lucen-
ti in loco lubrico & caliginoſo, attendere debe-
mus, ne offendamus & ruamus. *Præceptum Domi-*
Pſalm. 18. *ni lucidum, illuminans oculos,* ait David. Et rurſum:
Pſalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis*
2. Pet. 1. *meis. Cui benefacitis attendentes*, ait S. Petrus, *tan-*
quam lucernæ lucenti in loco caliginoſo, donec dies
eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus noſtris.

Denique debet lex Domini nobis eſſe tanquam
regula, ad quam omnes noſtras voluntates &
In Pſal. 48. actiones dirigere & conformare debemus. *Hæc eſt*
in hominibus, ait Aug. *magna & uſitata perverſitas;*
quia cùm debeant ipſi vivere ſecundum voluntatem
Dei, Deum volunt vivere ſecundum voluntatem ſuam.
Pſalm. 48. *Undè dicit, Exiſtimaſti iniquè quod ero tui ſimilis.*
Et cùm ipſi nolunt corrigi, illum volunt depravari,
rectum non arbitrantes quod ille vult, ſed quod ipſi
In Pſal. 94. *volunt.* Quibus idem Aug. alibi: *Ne,* inquit, *volun-*
tatem Dei velis torquere ad voluntatem tuam, ſed
tuam corrige ad voluntatem Dei. Voluntas Dei ſic eſt
quomodo regula. Ecce, puta, torſiſti regulam, unde habes
corrigi: illa autem integra manet, regula enim eſt in-
commutabilis. Stet ergo regula, & quod pravum eſt,
ad regulam corrigatur.

Pri

Digitized by Google

Primus homo, derelicto Deo, voluit ſibi eſſe vitæ regula, voluit ſibi eſſe dux, ſecundum ſe vivere voluit, atque eadem intemperantiæ ebrietate totam hominis naturam madefecit. Quid enim corruptus homo expetit, quid quærit aliud, quàm libertatem? non fert leges, non fert imperium. Sic affectus eſt, quomodo adoleſcens ille apud Terentium, qui dicebat patri: Sine meo me vivere modo. Clamant hæretici Chriſtianos in novo Teſtamento à Chriſto libertate donatos; ſed *velamen habent malitiæ libertatem, & libertatem in occaſionem dant carnis*: hoc eſt, ſub prætextu libertatis ſpiritum extinguunt, carnem faciunt dominari, exiſtimantes ſibi à lege liberis, totum quod libet, etiam licere, non attendentes hoc eſſe novum teſtamentum: *Ego faciam ut in præceptis meis ambuletis, & mandata mea cuſtodiatis*. Et: *Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas*. Non intelligentes per Chriſtum ita eſſe impletum, ut *de peccato damnarit peccatum, quo juſtificatio legis impleretur in nobis. Tunc verè efficimur liberi*, ait S. Aug. *cùm Deus nos fingit, id eſt, format, & creat, non ut homines, quod jam fecit, ſed ut boni homines ſimus, quod nunc gratia ſua facit, ut ſimus in Chriſto nova creatura, ſecundum id quod dictum eſt: Cor mundum crea in me Deus*. Unde perſpicitur, eam demum veram eſſe libertatem, quam oratione poſcebat Propheta dicens: *Dirige greſſus meos ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injuſtitia. Ubi quid aliud dicit* (ait Aug.) *quàm, Rectum ac liberum me fac ſecundum promiſſum tuum? Quantò enim magis regnat in unoquoque Dei charitas, tantò minus ei dominatur iniquitas*. Quam libertatem nos Apoſtolus

In Andria.

1. Pet. 2.
Galat. 5.

Ezech. 36.
Ierem. 21.

Rom. 8.

Auguſt. in Enchirid. c. 31.

Pſalm. 50.

Pſal. 118. in illum verſic.

ſtolus habere cupiebat, cùm his adhortatur verbis; *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.Tunc enim,* ait D.Aug. *ipſum noſtræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium concupiſcentiarum dominatione liberatur, dicente Domino; Si vos filius liberaverit,tunc verè liberi eritis.* Et rurſum: *Non eſt libera dicenda voluntas humana, quamdiu eſt vincentibus & vincientibus cupiditatibus ſubdita. A quo enim quis devictus eſt,huic & ſervus addictus eſt.Et:ſi vos filius liberaverit(ait ipſe Dei filius)tunc verè liberi eritis.*

Rom.6. Epiſt. 19. Joan. 8. Epiſt. 144. 2. Pet. 2. Joann. 8.

Prætendunt etiam hæretici noſtræ ætatis perpetuam quandam implendæ legis impoſſibilitatem, ut etiamſi quis ad gratiam tranſierit, & ſpiritum dilectionis acceperit, ne tum quidem legem implere poſſit. Unde fingitur lex ipſa etiam Decalogi & naturæ eatenus eſſe per Chriſtum abrogata, ut novi teſtamenti filios non obliget ad ſui obſervationem; Proponatur tamen obſervanda, ut ejus contemplatione ſuæ ſemper infirmitatis homines admoneantur, neque jam aliud eſſe legem Decalogi, quàm ut admonitionem & teſtificationem infirmitatis noſtræ. Nempe ad hoc abutuntur lege, ut homines in ſua infirmitate remaneant, & tanquam illam fruſtra per legem agnoſcerent, nunquam inde tranſitum ad gratiam faciant, & ad illum ſpiritum dilectionis, cui mandata gravia non ſunt. Quod enim impoſſibile ſervatu eſt propter infirmitatem carnis, etiam facile redditur per energiam gratiæ, & Divinæ potentiæ efficaciam.

1. Joan. 5. Roman. 8.

Actor. 9.

In quo argumento valdè attendenda Pauli tam repentina converſio, qua ex lupo converſus

Digitized by Google

in ovem, & ex perſecutore Eccleſiæ, ejus ædificator effectus eſt. Cui continuò tam facilis effecta eſt Divinæ voluntatis impletio, ut diceret, *Domine quid me vis facere?* paratum ſe eſſe declarans, non modo ad ſervanda Chriſti præcepta, verumetiam ad dura quæque perpetienda pro nomine ejus. Ideo Paulus ipſe hanc ſuam converſionem, tanquam exemplar quoddam converſionis ſpectandum propoſuit. 1.Timot.1.

Non ob aliam cauſſam, inquit D. Aug. *Scriptura commemorat, non eſſe gravia Divina præcepta, niſi ut anima quæ illa gravia ſentit, intelligat ſe nōdum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta Domini, qualia commendantur, levia ſcilicet atque ſuavia; & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis. Commendantur ergo non eſſe gravia, ut cui gravia ſunt, intelligat ſe nondum accepiſſe donum, quo gravia non ſint; nec arbitretur ea ſe perficere, quando ita facit, ut gravia ſint. Hilarem enim datorem diligit Deus, nec tamen cum ea gravia ſentit, deſperando frangatur, ſed ad quærendum, petendum, pulſandumque cogatur. Laborant autem in præceptis Dei,* ait ibid. *qui ea timendo conantur implere; ſed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam levem, non ſolum non prementem onere ponderum, verumetiam ſublevantem vice pennarum.* De perfect. iuſtit. 2. Cor. 9. 1. Joan. 4.

Rurſum idem Aug. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve, dicit Dominus, alia ſarcina premit, & aggravat te: Chriſti autem ſarcina ſublevat te: alia ſarcina pondus habet, Chriſti ſarcina pennas habet; nam & avi ſi pennas detrahas, quaſi onus tollis, & quò magis onus abſtuliſti, eò magis in terra remanebit. Quam exonerare voluiſti, jacet, nō volat, quia tuliſti onus; redeat onus* Matth. 11. In Pſal. 59.

Digitized by Google

onus, & volat. Talis eſt ſarcina Chriſti. Portent illam homines, non ſint pigri; non attendantur illi, qui eam ferre nolunt: ferant illam qui volunt, & invenient, quàm ſit levis, quàm ſuavis, quàm jucunda, quàm rapiens in cœlum, & à terra eripiens. Ita Aug.

MONITUM III.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Pſalm. 118.

CHriſtianus non ſolùm de operibus bonis ſollicitus eſſe debet, ſed multò magis de fine bono, ſeu inventione, propter quam ipſa opera faciat, quò ei ad ſalutem æternam prodeſſe poſſint. Unde D. Aug. *Magni intereſt, cùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus. Officium quippe noſtrum, non initio, ſed fine penſandum eſt, ut ſcilicet non tantum ſi bonum eſt quod facimus, ſed præcipuè ſi bonum eſt propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos, quare faciamus quod facimus, averti poſcit Propheta, ne videant vanitatem, id eſt, ne hanc attendat propter quam faciat, cùm aliquid boni facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multi magna fecerunt, qui magni nominati in hoc ſeculo fuerunt. Ab hac vanitate Dominus volens avertere oculos ſuorum: Attendite, inquit, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

In Pſalm. 118. conc. 12.

Pſal. 118.

Matth. 6.

Rurſum idem Aug. *Finis quò referuntur ea quæ facimus, id eſt, propter quem facimus quicquid facimus, ſi non ſolùm inculpabilis, ſed etiam laudabilis fuerit, tunc demum & facta noſtra laude aliqua digna ſunt. Sin ille jure, meritoque culpatur, quem ſpectamus*

Lib. 1. de moribus Manich.

&

Digitized by Google

& intuemur, cùm in aliquo verſamur officio, id quoque officium nemo improbandum, vituperandumque dubitaverit. De Catilina memoriæ proditum eſt, quod frigus, ſitim, famem ferre poterat. Hæc illi ſpurco, ſacrilegoque etiam cum Apoſtolis communia. Unde ergo parricida iſte diſcernitur ab Apoſtolis noſtris? niſi fine illo, quem diverſiſſimum ſequebatur: namque iſte illa tolerabat, ut immoderatiſſimas & immaniſſimas expleret voluptates; illi econtrà ut eas premerent, & dominanti rationi ſervire cogerent. Saluſt. in Catil. 1. Cor. 4. 2. Cor. 11.

Dicit D. Ambr. de B. Virgine, quod *arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere*, ſuo utique exemplo nos docens, totos nos debere eſſe coram Deo, & humana contemnere. Quod quàm ſit difficile, demonſtrat S. Hieron. *Conveniat*, inquit, *unuſquiſque cor ſuum, & in omni vita inveniet, quàm rarum ſit perfectè fidelem animam reperiri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumuſculos hominum faciat. Difficile eſt, Deo tantum Iudice eſſe contentum.* Quo fine ergo facienda opera bona? Clamat Apoſt. *Omnia veſtra in charitate fiant.* Et: *Omnia in gloriam Dei facite.* Primum quoque & maximum mandatum eſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Lib. 2. de Virginib. Cont. Luciferia. 1. Cor. 16. 1. Cor. 10. Coloſſ. 3. Matth. 22.

Quo præcepto quid aliud mandatur, quàm ut *omnes cogitationes, omnem vitam, & omnẽ intellectũ in eum conferas*, inquit Aug. *à quo habes ea ipſa quæ conferas? nullam enim vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia re frui velit; ſed quidquid aliud diligendũ venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit, quæ nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Et rurſum: *Tunc rectè, tunc juſtè, tunc piè* Lib. 1. de Doct. Chriſt. c. 22.

fit

ſit opus bonum, cùm in ejus laudem ſit, cujus gratiâ donatur, ut fiat. Finis præcepti eſt charitas, ait Apo-
Epiſt. 120. cap. 26. ſtolus, id eſt, interprete Aug. *ad charitatem refertur*
1. Timot. 1. *omne præceptum.* Quoniam ad hoc præceptum da-
Enchirid. cap. 121. tur, ut ejus plena obſervatione, vera cum Deo amicitia conjungamur. *Quod verò ita ſit, vel timore pœ-*
Rom. 5. *næ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris, nondum ſit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur.*

Quæ præcepta hunc videntur ab omnibus conatum requirere, quo detur opera, ut omni actione ac officio vitæ, uni illi tanquam ſupremo pa-
Matth. 5. renti ac Domino vera charitate ſerviatur. Sicut dicitur; *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt:* ubi requiritur ab omnibus comparandæ perfectionis ſtudium, quo ad Dei ſimilitudinem quàm viciniſſimè accedatur: neque tamen eam non attigiſſe peccatum eſt. Aliud eſt enim quò ſe debeat humanus conatus extendere; aliud quid
De Spir. & lit. cap. ult. ſit, cujus defectu peccare neceſſe ſit. Sic Auguſt. *Magnum illud juſtitiæ præceptum, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, cui eſt de proximo diligendo alterum conſequens, in illa vita complebimus, cùm videbimus Deum facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum eſt, ut admoneremur quid fide expoſcere, quò ſpem præmittere, & obliviſcendo quæ retro ſunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus.*

Poteſt autem in homine infideli, qui Deum non novit, nec diligit, eſſe naturalis quidam amor recti ac honeſti, ex quo naſcantur officia miſericordiæ, fortitudinis, pietatis, probanda. *Cui natu-*

rali

rali amori, ait D.Greg.*non contradicit Chriſtus,licet ad Diviniorem & ſublimiorem nos vocet*. Dicit quidem D.Aug.*Non eſt fructus bonus, qui de charitatis radice non ſurgit*. Sed intelligendum hoc de abſoluta officij bonitate,& charitate formata ; alioqui idem ait,*ſine bonis operibus difficillimè cujuſlibet peſſimi hominis vitam inveniri*:quæ etiam Deus in hac vita remunerare ſolet. Unde & D.Chryſoſt. *Nullus tam malus,quin aliquid boni interdũ faciat;ſicut nullus tam bonus, quin faciat aliquid mali. Ideo iſte hîc accepta aliqua remuneratione, ibi perfectè punitur : ille verò hîc flagellatur,ut purus & immunis à peccato hinc abeat, & ibi perfectè remuneretur. Hinc & diviti & Lazaro dictum,Recepiſti,Non accepiſti : ſed tanquam pro debito, recepiſti in vita tua, tu bona, ille mala.* Hom.27.in Evang. De ſpirit.& lit. cap. 14. Ibid.ca.27. Hom. 5. in ep.ad Heb.

Docet etiam D.Aug. quod bonis moribus & civilibus virtutibus Romanorum tributi ſint honores, opes, imperia : quæ virtutes, prælucente quadam ſcintilla luminis naturalis, ex amore recto ac honeſto impellente, ab eis fiebant. Sic obſtetricibus, quæ Ægyptiæ erant, id eſt, infideles, benefecit Deus, quia miſericordes fuerant in infantes. Et D. Hieron. *Ex eo quod Nabuchodonoſor accepit mercedem boni operis,intelligimus,*inquit,*etiam Ethnicos,ſi quid boni fecerunt,non abſque mercede,Dei judicio præteriri.*Denique S.Leo loquens de Eleemoſ. *Quæ utique* , ait, *ſua laude fraudanda non eſſet, ſi propter ipſam naturæ communionem juvando homini ab homine promeretur. Sed quia quod ex fidei non procedit fonte, ad æterna præmia non pervenit , alia eſt conditio operum cœleſtium, alia terrenorum.* Lib. 5. de Civit. cap. 15. epiſt. 5. ad Marcel. Exod. 1. In cap. 19. Ezech. Serm. 7. de Quadrag.

Licet ergo huic naturali amori Scriptura non contradicat, neque ea quæ ducuntur ex eo offi-

cia,

Digitized by Google

fit opus bonum, cùm in ejus laudem fit, cujus gratiâ donatur, ut fiat. Finis præcepti eſt charitas, ait Apoſtolus, id eſt, interprete Aug. *ad charitatem refertur omne præceptum.* Quoniam ad hoc præceptum datur, ut ejus plena obſervatione, vera cum Deo amicitia conjungamur. *Quod verò ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur.*

Epiſt. 120. cap. 26.
1. Timot. 1.
Enchirid. cap. 121.
Rom. 5.

Quæ præcepta hunc videntur ab omnibus conatum requirere, quo detur opera, ut omni actione ac officio vitæ, uni illi tanquam ſupremo parenti ac Domino vera charitate ſerviatur. Sicut dicitur; *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt:* ubi requiritur ab omnibus comparandæ perfectionis ſtudium, quo ad Dei ſimilitudinem quàm viciniſſimè accedatur: neque tamen eam non attigiſſe peccatum eſt. Aliud eſt [illegible] quò ſe debeat humanus conatus extender[illegible] quic[illegible] ſit, cujus defectu peccare neceſſe ſ[illegible] guſt[illegible]
Magnum illud juſtitiæ præceptum, [illegible] dili-
gere Deum ex toto corde, ex tota [illegible] ex tot[illegible]
mente, cui eſt de pro[illegible] diligen[illegible] conſ[illegible]
quens, in illa vita con[illegible] us, cù[illegible] Deu[illegible]
facie ad faciem. Sed [illegible] bis h[illegible] nc pr[illegible]
ceptum eſt, ut admo[illegible] quid[illegible] re, [illegible]
ſpem præmittere, [illegible] nd[illegible] nt
quæ anteriora nos e[illegible] ebe[illegible]

Matth. 5.

De Spir. & lit. cap. ult.

Poteſt autem i[illegible] i[illegible] D[illegible]
non novit, nec dil[illegible] at[illegible] m a[illegible]
recti ac honeſti, [illegible] ca[illegible]
cordiæ, fortitudin[illegible]

Digitized by Google

rali amori, ait D.Greg. *non contradicit Chriſtus, licet ad Diviniorem & ſublimiorem nos vocet.* Dicit quidem D.Aug. *Non eſt fructus bonus, qui de charitatis radice non ſurgit.* Sed intelligendum hoc de abſoluta officij bonitate, & charitate formata; alioqui idem ait, *ſine bonis operibus difficillimè cujuſlibet peſſimi hominis vitam inveniri:* quæ etiam Deus in hac vita remunerare ſolet. Unde & D.Chryſoſt. *Nullus tam malus, quin aliquid boni interdũ faciat; ſicut nullus tam bonus, quin faciat aliquid mali. Ideo iſte hîc accepta aliqua remuneratione, ibi perfectè punitur: ille verò hîc flagellatur, ut purus & immunis à peccato hinc abeat, & ibi perfectè remuneretur. Hinc & diviti & Lazaro dictum, Recepiſti, Non accepiſti: ſed tanquam pro debito, recepiſti in vita tua, tu bona, ille mala.*

Hom. 27. in Evang. — De ſpirit. & lit. cap. 14. — Ibid. ca. 27. — Hom. 5. in ep. ad Heb.

Docet etiam D.Aug. quod bonis moribus & ci-
[illegible]libus virtutibus Romanorum tributi ſint hono-
[illegible]opes, imperia: quæ virtutes, prælucente qua-
[illegible]cintilla luminis naturalis, ex amore recto ac
[illegible]to [illegible]llente, ab eis fiebant. Sic obſtetrici-
[illegible]tiæ erant, id eſt, infideles, benefe-
[illegible]niſericordes fuerant in infantes.
[illegible]*x eo quod Nabuchodonoſor accepit*
[illegible]*ris, intelligimus,* inquit, *etiam Eth-*
[illegible]*erunt, non abſque mercede, Dei ju-*
[illegible]que S.Leo loquens de Eleemoſ.
[illegible]*ua laude fraudanda non eſſet, ſi*
[illegible]*communionem juvando homini*
[illegible]*r. Sed quia quod ex fidei non*
[illegible]*rna præmia non pervenit, alia*
[illegible]*eleſtium, alia terrenorum.*
[illegible]aturali amori Scriptura non
[illegible] ea quæ ducuntur ex eo offi-
cia,

Lib. 5. de Civit. cap. 15. epiſt. 5. ad Marcel. — Exod. 1. — In cap. 19. Ezech. — Serm. 7. de Quadrag.

Digitized by Google

abſtinendum à curioſis rerum indagationibus, earum præcipuè, quæ in alto poſitæ, ab anguſto noſtro intellectu comprehendi nequeunt; monet abjiciendas cogitationes inutiles, ſterilia ſtudia, quibus atteritur ingenium, non inſtruitur: occupatur, non inflammatur. Conferendas verò curas omnes & cogitationes ad meditationem & obſervationem mandatorum Dei, quæ verè bonum ac beatum hominem efficiunt. Sic enim David; *Beatus vir, cujus voluntas in lege Domini: & in lege ejus meditatur die ac nocte*. Et: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*. Et: *Beati qui ſcrutātur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum*. Et: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus: labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*. Beatos ac felices dicit tales Scriptura; interim ſpe, poſtea reipſa futuros, cum id quod exſpectamus advenerit.

Pſalm. 1. Pſalm. 111. Pſalm. 118. Pſalm. 127.

MONITUM II.

Fili mi, ne obliviſcaris legis meæ.

Proverb. 3.

Luc. 10.

INterroganti quid faciendo vitam æternam poſſidebo? reſpondit Dominus, In lege quid ſcriptum eſt? Lex ergo Domini ſemper ante oculos habenda eſt. Illa nobis debet eſſe tanquam Speculum, Lucerna, Regula. Tanquam ſpeculum, in quo mentis & converſationis noſtræ faciem crebrò inſpiciamus, omniáque noſtra ad illud dijudicemus ac componamus. Unde D. Leo; *Nullus*, inquit, *ſibi per omnia placet, nec ſe ſecundùm*

Ser. 11. de Quadrag.

dùm carnis oblectamenta dijudicet, ſed omnem conſuetudinem ſuam in divinorum præceptorum lance conſtituat, ubi cum alia interdicantur, ne fiant; alia jubeantur, ut fiant; juſto ſe trutinabit examine, qui vitæ ſuæ mores ex utriuſque ponderis comparatione penſaverit. Artifex enim miſericordia Dei, ſplẽdidiſſimum in ſuis mandatis condidit ſpeculum, in quo mentis ſuæ faciem inſpiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm diſſimilis eſſet, agnoſceret. Sic Leo.

Deus cum dediſſet mandata legis per Moyſen, ad extremum intulit; *Ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos. Et ſenſus eſt,* ait ſanctus Hieronym. *Præcepta mea ſint in manu tua, ut ea compleas: ſint ante oculos tuos, ut in eis mediteris die ac nocte. Tunc non confundar,* inquit Propheta, *cum perſpexero in omnibus mandatis tuis*; id eſt, non fruſtrabor beatitudine expectata, cùm perſpexero, tanquam in lucidiſſimo ſpeculo, in omnibus mandatis tuis. *Qui enim perſpexerit in legem perfectam libertatis,* ait Jacobus, *& permanſerit in ea, non auditor obliviosſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* Deut. 6. In cap. 23. Matth. Pſalm. 118. Jac. 1.

Deinde lex Dei debet nobis eſſe tanquam lucerna, cui ſemper attendendum in hoc loco caliginoſo, ut inoffenſis greſſibus viam hujus vitæ ambulare poſſimus. Sapiens ſuaviter loquens de præceptis Dei: *Liga,* inquit, *ea in corde tuo, & circunda ea gutturi tuo; cùm ambulaveris, gradiantur tecum; cùm dormieris, cuſtodiant te; & evigilans, loquere cum eis; quia mandatum lucerna eſt, & lex lux.* Locus in quo verſamur lubricus eſt & caliginoſus: lubricus, quia ſi ipſum hominem ſpectes, *quid habet in ſuis viribus, niſi periculi facultatem?* ait D. Proſper. Si ad 2. Pet. 1. Proverb. 6. Li. 1. devoc. gent. ca. 6.

ad ea quæ extra hominem ſunt, animum & ocu-
Sap. 4. los convertas, *omnia facta ſunt ei in laqueum & in muſcipulam.* Caliginoſus verò, quia neſcit corruptus homo, quò ſe movere, ubi pedes converſationis ſuæ figere debeat. *Non enim ſolum juſtitiam,*
Proſp. cont. Coll. c. 21. *ſed & boni ſcientiam per peccatum perdidit.*

Lucerna ergo ei opus eſt. Et quæ lucerna melior, quàm lex Domini, quæ clarè demonſtrat, quid facere, quid vitare, quid appetere debeat, & quid declinare. Huic ergo legi, tanquam lucernæ lucenti in loco lubrico & caliginoſo, attendere debemus, ne offendamus & ruamus. *Præceptum Domi-*
Pſalm. 18. *ni lucidum, illuminans oculos,* ait David. Et rurſum:
Pſalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis*
2. Pet. 1. *meis. Cui benefacitis attendentes*, ait S. Petrus, *tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoſo, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus noſtris.*

Denique debet lex Domini nobis eſſe tanquam regula, ad quam omnes noſtras voluntates &
In Pſal. 48. actiones dirigere & conformare debemus. *Hæc eſt in hominibus,* ait Aug. *magna & uſitata perverſitas; quia cùm debeant ipſi vivere ſecundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere ſecundum voluntatem ſuam.*
Pſalm. 48. *Undè dicit, Exiſtimaſti iniquè quod ero tui ſimilis. Et cùm ipſi nolunt corrigi, illum volunt depravari, rectum non arbitrantes quod ille vult, ſed quod ipſi*
In Pſal. 94. *volunt.* Quibus idem Aug. alibi: *Ne, inquit, voluntatem Dei velis torquere ad voluntatem tuam, ſed tuam corrige ad voluntatem Dei. Voluntas Dei ſic eſt quomodo regula. Ecce, putà, torſiſti regulam, unde habes corrigi: illa autem integra manet, regula enim eſt incommutabilis. Stet ergo regula, & quod pravum eſt, ad regulam corrigatur.*

Pri

Primus homo, derelicto Deo, voluit ſibi eſſe vitæ regula, voluit ſibi eſſe dux, ſecundum ſe vivere voluit, atque eadem intemperantiæ ebrietate totam hominis naturam madefecit. Quid enim corruptus homo expetit, quid quærit aliud, quàm libertatem? non fert leges, non fert imperium. Sic affectus eſt, quomodo adoleſcens ille apud Terentium, qui dicebat patri: Sine meo me vivere modo. Clamant In Andria. hæretici Chriſtianos in novo Teſtamento à Chriſto libertate donatos; ſed *velamen habent malitiæ* 1. Pet. 2. *libertatem, & libertatem in occaſionem dant carnis*: Galat. 5. hoc eſt, ſub prætextu libertatis ſpiritum extinguunt, carnem faciunt dominari, exiſtimantes ſibi à lege liberis, totum quod libet, etiam licere, non attendentes hoc eſſe novum teſtamentum: *Ego fa-* Ezech. 36. *ciam ut in præceptis meis ambuletis, & mandata mea* Ierem. 21. *cuſtodiatis*. Et: *Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas*. Non intelligentes per Chriſtum ita eſſe impletum, ut *de pec-* Rom. 8. *cato damnarit peccatum, quo juſtificatio legis impleretur in nobis. Tunc verè efficimur liberi*, ait S. Aug. *cùm* Auguſt. in *Deus nos fingit, id eſt, format, & creat, non ut homines,* Enchirid. *quod jam fecit, ſed ut boni homines ſimus, quod nunc* c. 31. *gratia ſua facit, ut ſimus in Chriſto nova creatura; ſecundum id quod dictum eſt: Cor mundum crea in me Deus*. Unde perſpicitur, eam demum veram eſſe libertatem, quam oratione poſcebat Propheta dicens: *Dirige greſſus meos ſecundum eloquium tuum,* Pſalm. 50. *& non dominetur mei omnis injuſtitia. Ubi quid aliud dicit* (ait Aug.) *quàm, Rectum ac liberum me fac* Pſal. 118. *ſecundum promiſſum tuum? Quantò enim magis re-* in illum *gnat in unoquoque Dei charitas, tantò minus ei do-* verſic. *minatur iniquitas*. Quam libertatem nos Apoſtolus

Digitized by Google

ſtolus habere cupiebat, cùm his adhortatur ver-
Rom. 6. bis; *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali cor-*
Epiſt. 19. *pore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Tunc enim,* ait
D. Aug. *ipſum noſtræ voluntatis arbitrium verè fit li-*
berum, dum à carnalium concupiſcentiarum domina-
Joan. 8. *tione liberatur, dicente Domino; Si vos filius libera-*
Epiſt. 144. *verit, tunc verè liberi eritis.* Et rurſum: *Non eſt libe-*
ra dicenda voluntas humana, quamdiu eſt vincentibus
2. Pet. 2. *& vincientibus cupiditatibus ſubdita. A quo enim quis*
Joann. 8. *devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Et: ſi vos filius*
liberaverit (ait ipſe Dei filius) tunc verè liberi eritis.

Prætendunt etiam hæretici noſtræ ætatis perpetuam quandam implendæ legis impoſſibilitatem, ut etiamſi quis ad gratiam tranſierit, & ſpiritum dilectionis acceperit, ne tum quidem legem implere poſſit. Unde fingitur lex ipſa etiam Decalogi & naturæ eatenus eſſe per Chriſtum abrogata, ut novi teſtamenti filios non obliget ad ſui obſervationem; Proponatur tamen obſervanda, ut ejus contemplatione ſuæ ſemper infirmitatis homines admoneantur, neque jam aliud eſſe legem Decalogi, quàm ut admonitionem & teſtificationem infirmitatis noſtræ. Nempe ad hoc abutuntur lege, ut homines in ſua infirmitate remaneant, & tanquam illam fruſtra per legem agnoſcerent, nunquam inde tranſitum ad gratiam faciant, & ad illum ſpiritum dilectionis,
1. Joan. 5. cui mandata gravia non ſunt. Quod enim impoſ-
Roman. 8. ſibile ſervatu eſt propter infirmitatem carnis, etiam facile redditur per energiam gratiæ, & Divinæ potentiæ efficaciam.

Actor. 9. In quo argumento valdè attendenda Pauli tam repentina converſio, qua ex lupo converſus

Digitized by Google

in ovem, & ex perſecutore Eccleſiæ, ejus ædificator effectus eſt. Cui continuò tam facilis effecta eſt Divinæ voluntatis impletio, ut diceret, *Domine quid me vis facere?* paratum ſe eſſe declarans, non modo ad ſervanda Chriſti præcepta, verumetiam ad dura quæque perpetienda pro nomine ejus. Ideo Paulus ipſe hanc ſuam converſionem, tanquam exemplar quoddam converſionis ſpectandum propoſuit. 1. Timot. 1.

Non ob aliam cauſſam, inquit D. Aug. *Scriptura commemorat, non eſſe gravia Divina præcepta, niſi ut anima quæ illa gravia ſentit, intelligat ſe nõdum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta Domini, qualia commendantur, levia ſcilicet atque ſuavia; & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis. Commendantur ergo non eſſe gravia, ut cui gravia ſunt, intelligat ſe nondum accepiſſe donum, quo gravia non ſint; nec arbitretur ea ſe perficere, quando ita facit, ut gravia ſint. Hilarem enim datorem diligit Deus, nec tamen cum ea gravia ſentit, deſperando frangatur, ſed ad quærendum, petendum, pulſandumque cogatur. Laborant autem in præceptis Dei,* ait ibid. *qui ea timendo conantur implere; ſed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam levem, non ſolum non prementem onere ponderum, verumetiam ſublevantem vice pennarum.* De perfect. iuſtit. 2. Cor. 9. 1. Joan. 4.

Rurſum idem Aug. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve, dicit Dominus, alia ſarcina premit, & aggravat te: Chriſti autem ſarcina ſublevat te: alia ſarcina pondus habet, Chriſti ſarcina pennas habet; nam & avi ſi pennas detrahas, quaſi onus tollis, & quò magis onus abſtuliſti, eò magis in terra remanebit. Quam exonerare voluiſti, jacet, nõ volat, quia tuliſti onus; redeat* Matth. 11. In Pſal. 59.

onus,& volat. Talis eſt ſarcina Chriſti. Portent illam homines, non ſint pigri; non attendantur illi, qui eam ferre nolunt: ferant illam qui volunt, & invenient, quàm ſit levis, quàm ſuavis, quàm jucunda, quàm rapiens in cœlum, & à terra eripiens. Ita Aug.

MONITUM III.

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Pſalm. 118.

CHriſtianus non ſolùm de operibus bonis ſollicitus eſſe debet, ſed multò magis de fine bono, ſeu inventione, propter quam ipſa opera faciat, quò ei ad ſalutem æternam prodeſſe poſſint.

In Pſalm. 118. conc. 12. Unde D. Aug. *Magni intereſt, cùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus. Officium quippe noſtrum, non initio, ſed fine penſandum eſt, ut ſcilicet non tantum ſi bonum eſt quod facimus, ſed præcipuè ſi bonum eſt propter quod facimus, cogitemus.*

Pſal. 118. *Hos oculos, quare faciamus quod facimus, averti poſcit Propheta, ne videant vanitatem, id eſt, ne hanc attendat propter quam faciat, cùm aliquid boni facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam multi magna fecerunt, qui magni nominati in hoc ſeculo fuerunt.*

Matth. 6. *Ab hac vanitate Dominus volens avertere oculos ſuorum: Attendite, inquit, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

Lib. 1. de moribus Manich. Rurſum idem Aug. *Finis quò referuntur ea quæ facimus, id eſt, propter quem facimus quicquid facimus, ſi non ſolùm inculpabilis, ſed etiam laudabilis fuerit, tunc demum & facta noſtra laude aliqua digna ſunt. Sin ille jure, meritoque culpatur, quem ſpectamus &*

Digitized by Google

& intuemur, cùm in aliquo verſamur officio, id quoque officium nemo improbandum, vituperandumque dubitaverit. De Catilina memoriæ proditum eſt, quod frigus, ſitim, famem ferre poterat. Hæc illi ſpurco, ſacrilegoque etiam cum Apoſtolis communia. Unde ergo parricida iſte diſcernitur ab Apoſtolis noſtris? niſi fine illo, quem diverſiſſimum ſequebatur: namque iſte illa tolerabat, ut immoderatiſſimas & immaniſſimas expleret voluptates; illi econtrà ut eas premerent, & dominanti rationi ſervire cogerent. Saluſt. in Catil. 1. Cor. 4. 2. Cor. 11.

Dicit D. Ambr. de B. Virgine, quod *arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere*, ſuo utique exemplo nos docens, totos nos debere eſſe coram Deo, & humana contemnere. Quod quàm ſit difficile, demonſtrat S. Hieron. *Conveniat*, inquit, *unuſquiſque cor ſuum, & in omni vita inveniet, quàm rarum ſit perfectè fidelem animam reperiri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumuſculos hominum faciat. Difficile eſt, Deo tantum Iudice eſſe contentum.* Quo fine ergo facienda opera bona? Clamat Apoſt. *Omnia veſtra in charitate fiant.* Et: *Omnia in gloriam Dei facite.* Primum quoque & maximum mandatum eſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Lib. 2. de Virginib. Cont. Luciferia. 1. Cor. 16. 1. Cor. 20. Coloſſ. 3. Matth. 22.

Quo præcepto quid aliud mandatur, quàm ut *omnes cogitationes, omnem vitam, & omnẽ intellectũ in eum conferas*, inquit Aug. *à quo habes ea ipſa quæ conferas? nullam enim vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia re frui velit; ſed quidquid aliud diligendũ venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit, quæ nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.* Et rurſum: *Tunc rectè, tunc juſtè, tunc piè* Lib. 1. de Doct. Chriſt. c. 22.

fit

ſit opus bonum, cùm in ejus laudem ſit, cujus gratiâ donatur, ut ſiat. Finis præcepti eſt charitas, ait Apoſtolus, id eſt, interprete Aug. *ad charitatem refertur omne præceptum.* Quoniam ad hoc præceptum datur,ut ejus plena obſervatione,vera cum Deo amicitia conjungamur.*Quod verò ita ſit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus noſtris, nondum ſit quemadmodum ſieri oportet, quamvis ſieri videatur.*

Epiſt. 120. cap. 26. 1. Timot. 1. Enchirid. cap. 121. Rom. 5.

Quæ præcepta hunc videntur ab omnibus conatum requirere, quo detur opera, ut omni actione ac officio vitæ, uni illi tanquam ſupremo parenti ac Domino vera charitate ſerviatur. Sicut dicitur; *Eſtote perfecti,ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt:* ubi requiritur ab omnibus comparandæ perfectionis ſtudium,quo ad Dei ſimilitudinem quàm viciniſſimè accedatur : neque tamen eam non attigiſſe peccatum eſt. Aliud eſt enim quò ſe debeat humanus conatus extendere ; aliud quid ſit, cujus defectu peccare neceſſe ſit. Sic Auguſt. *Magnum illud juſtitiæ præceptum, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, cui eſt de proximo diligendo alterum conſequens,in illa vita complebimus, cùm videbimus Deum facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum eſt, ut admoneremur quid ſide expoſcere, quò ſpem præmittere, & obliviſcendo quæ retro ſunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus.*

Matth. 5.

De Spir. & lit. cap. ult.

Poteſt autem in homine infideli, qui Deum non novit, nec diligit, eſſe naturalis quidam amor recti ac honeſti, ex quo naſcantur officia miſericordiæ, fortitudinis, pietatis, probanda. *Cui naturali*

rali amori, ait D.Greg.*non contradicit Chriſtus,licet ad Diviniorem & ſublimiorem nos vocet.* Dicit quidem D.Aug.*Non eſt fructus bonus, qui de charitatis radice non ſurgit.* Sed intelligendum hoc de abſoluta officij bonitate,& charitate formata ; alioqui idem ait,*ſine bonis operibus difficillimè cujuſlibet peſſimi hominis vitam inveniri:*quæ etiam Deus in hac vita remunerare ſolet. Unde & D.Chryſoſt. *Nullus tam malus,quin aliquid boni interdũ faciat;ſicut nullus tam bonus, quin faciat aliquid mali. Ideo iſte hîc accepta aliqua remuneratione, ibi perfectè punitur : ille verò hîc flagellatur,ut purus & immunis à peccato hinc abeat, & ibi perfectè remuneretur. Hinc & diviti & Lazaro dictum,Recepiſti,Non accepiſti : ſed tanquam pro debito, recepiſti in vita tua, tu bona, ille mala.*

Hom.27.in Evang.
De ſpirit.& lit. cap. 14.
Ibid.ca.27.
Hom. 5. in ep.ad Heb.

Docet etiam D.Aug. quod bonis moribus & civilibus virtutibus Romanorum tributi ſint honores, opes, imperia : quæ virtutes, prælucente quadam ſcintilla luminis naturalis , ex amore recto ac honeſto impellente, ab eis fiebant. Sic obſtetricibus, quæ Ægyptiæ erant , id eſt, infideles, benefecit Deus , quia miſericordes fuerant in infantes. Et D. Hieron. *Ex eo quod Nabuchodonoſor accepit mercedem boni operis,intelligimus,*inquit,*etiam Ethnicos,ſi quid boni fecerunt,non abſque mercede,Dei judicio præteriri.*Denique S.Leo loquens de Eleemoſ. *Quæ utique* , ait, *ſua laude fraudanda non eſſet, ſi propter ipſam naturæ communionem juvando homini ab homine promeretur. Sed quia quod ex fidei non procedit fonte, ad æterna præmia non pervenit , alia eſt conditio operum cœleſtium, alia terrenorum.*

Lib. 5. de Civit. cap. 15. epiſt. 5. ad Marcel.
Exod. 1.
In cap. 19. Ezech.
Serm. 7. de Quadrag.

Licet ergo huic naturali amori Scriptura non contradicat, neque ea quæ ducuntur ex eo officia,

Digitized by Google

cia,reprehendat; vocat tamen nos, ut dictum eſt, ad ſublimiorem ac Diviniorem amorem, ut ex illo opera noſtra faciamus,quæ nobis ad incommutabile ac ſempiternum bonum prodeſſe poſſint. Si opera bona, quæ fiunt amore recti officij, ad ſalutem æternam non proſunt; multò minus ea quæ fiunt propter homines, id eſt, amore laudis, aut

Matth. 6. gloriæ humanæ. De quibus Dominus in Evang. *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum qui in cœlis eſt.*

Homil. 13. in Matth. in op. imperf.

Quid enim à Deo accipies, inquit Chryſoſt. *qui nihil Deo dediſti? nam quod propter Deum fit, Deo datur, & ab eo accipitur;quod autem propter homines fit, in ventos effunditur.Quid enim eſt aliud hominum laus, quàm ventorum tranſeuntium ſonus? Quæ eſt autem ſapientia,res dare,& verba vacua comparare? Rurſum quæ ſapientia eſt,mercedem Dei cōtemnere in perpetuum manentem in cœlis, & fugientes hominum ſermones eligere? Deinde melius eſt nō facere, quā propter homines facere. Qui enim non facit,etſi in cœlo nil invenit,ſaltē in terra nil perdit, putà labores, pecuniam, & alia.Qui autē propter homines facit,& in terra perdit,& in cœlo non invenit. Præterea vel illum aſpice à quo laudē exſpectas,quid sētit de te? Ideo te laudat,quia propter Deum te facere putat.Si autē intelligeret,quia propter eū facis,non te laudaret,ſed vituperaret magis. Quid ergo illi placere feſtinas? qui ſi te aliquādo intellexerit,irridebit.Poſtremò,ſic eſt homo qui propter homines facit bonū,ſicut mercenarius malus,qui intra tēpus locationis ſuæ comedit ōnes mercedes ſuas,cùm autem tēpore cōpleto receſſerit,nudus egreditur.Sic enim vacuus venit ad Deū,qui mercedem omnium bonorum*

ſuo

Digitized by Google

ſuorum accipere deſideravit in ſeculo. Hactenus Chryſoſtomus.

MONITUM IV.

Nihil per inanem gloriam.

Philipp. 2.

IPſæ virtutes, inquit S. Auguſt. *veræ eſſe non poſſunt, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuſque commodis & emolumentis temporalibus ſerviunt; quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas.* Vnde Epicureos Stoici traducere ſoliti feruntur tabella quadam, in qua media voluptas, ceu regina quædam depicta inerat, cui virtutes omnes virgineo habitu circumfuſæ, varia miniſteria exhiberent, ut idem Auguſt. refert: *Ita virtutes cum tota ſua gloriæ dignitate, tanquam imperioſæ cuidam, & inhoneſtæ mulierculæ ſervient voluptati. Nihil hac pictura dicunt eſſe ignominioſius, nihil deformius, & quod minùs bonorum ferre poſſit aſpectus: & verum dicunt. Sed non exiſtimo*, ſubdit Auguſt. *ſatis debiti decoris eſſe picturam, ſi etiam talis fingatur, ubi virtutes humanæ gloriæ ſerviant. Licèt enim iſta gloria delicata mulier non ſit, inflata tamen eſt, & multùm inanitatis habet: unde non ei dignè ſervit ſoliditas quædam, firmitaſque virtutum.* Et tamen per has Romani nitebantur ad gloriam, ut eſt apud Saluſtium: atque hoc inſitum eis fuiſſe, ipſi indicant, quòd ædes virtutis & honoris conjunctiſſimas conſtituerint, volentes etiam boni, finem virtutis eſſe honorem.

Lib. 4. ca. 3. in Iulian.

De Civit. li. 5. ca. 20.

In exord. belli Iugur.

De Civit. li. 5. ca. 12.

Sed non eſt vera virtus, inquit Auguſt. *niſi quæ*

 ad

ad eum finem tendit ubi eſt bonum hominis, quo melius non eſt. Quæ autem virtutes nulli rei ſervire volunt, nec propter aliud expetuntur, ſed ad ſeipſas referuntur, nec ipſæ veræ ſunt, ait idem Aug. *Veræ namque virtutes Deo ſerviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis; Deo ſerviunt in hominibus, à quo donantur & hominibus.* Illa fuit Ariſt. inſipientia, Sapientem ſuum in hac vitæ miſeria ob virtutum opera beatum prædicare, eaque non ob aliud quippiã, ſed propter ſe tantùm, etiam in hac vita velut ſummum bonum expetenda. Docet idem amorem ſui eſſe menſuram amoris alterius, nullum agnoſcens altius eſſe amandum. Et Cicero lib. 5. de Finib. bon. *Perabſurdum*, inquit, *ſit, ita diligi à ſe quenquam, ut ea vis diligendi ad aliam quampiam rem referatur, non ad eum ipſum qui ſeſe diligit.* Et Chryſipp. *Nihil*, ait, *poteſt nobis eſſe charius, penſiuſque quàm noſipſi, idque natura nobis indidit.* Apud Gell.

Lib. 4. in Julian. c. 3

Li. 12. c. 5.

Ibidem.

Dixerat Julianus Pelagian. ad cognoſcendum, utrum veræ ſint virtutes, hoc tantummodo intuendum, quod agatur, nec cauſam quærẽdam cur agatur. Sed illi reſpondet Aug. quod veriſſimum eſt, *non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes.* Notanda eſt ergo ſententia ejuſdem Aug. *Vitia cætera in peccatis; ſuperbia verò etiam in rectè factis timenda eſt, ne illa quæ laudabiliter fiunt, ipſius laudis cupiditate amittantur. Cui cupiditatis vitio, non ſolùm non reſtiterunt Romani, verumetiam id excitandum & accendendum eſſe cenſebant, putantes hoc utile Reipublicæ eſſe. Unde Cicero loquens de inſtituendo Principe civitatis, dicit eum alendum eſſe gloria, & conſequenter commemorat majores ſuos multa mira, atque præclara gloriæ cupiditate feciſſe. Et cùm de ſtudiis*

Epiſt. 56.

De Civit. lib. 5. ca. 13.

In lib. de Rep.

Philo

Philoſophiæ, aliárumque artium loqueretur, quæ utique ſectánda ſunt, inquit Aug. *ſine veri boni, non ventoſitate laudis humanæ, hanc intulit generalem ſententiam: Honos alit artes, omneſque accenduntur ad ſtudia gloria, jacentque ea ſemper quæ apud quoſque improbantur.* In procem. Tuſcul. qq.

Sed melius ſine dubitatione huic cupiditati reſiſtitur, quàm céditur. Tãto enim quiſque eſt Deo ſimilior, quãto ab hac immunditia mundior. Quæ in hac vita etſi non fũditus eradicatur ex corde, quia etiam bene proficientes animos tẽtare non ceſſat, ſaltem cupiditas gloriæ ſuperetur dilectione juſtitiæ. Ut ſi alicubi jacent quæ apud quoſque improbantur, ſi bona, ſi recta ſunt, etiam amor humanæ laudis erubeſcat, & cedat amori veritatis. Tam enim eſt hoc vitium inimicum piæ fidei, ſi major ſit in corde cupiditas gloriæ, quàm Dei timor vel amor. ut Dominus diceret: Quomodo poteſtis credere, gloriam ab invicem exſpectantes, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quærentes? Item de quibuſdam qui in eum crediderant, & verebãtur palam confiteri, ait Evangeliſta; Dilexerunt hominum gloriam magis, quàm Dei. De Civit. li. 5. cap. 14. Joann. 5. Joann. 12.

Quod ſancti Apoſtoli non fecerunt. Qui cùm in his locis prædicarent Chriſti nomen, ubi non ſolùm improbabatur (ſicut ille ait, jacentq; ea ſemper quæ apud quoſque improbantur) verùmetiam sũmæ deteſtationis habebatur, tenentes quod audierant à bono Magiſtro, eodemq; medico mentium; Si quis me negaverit coram hominibus, negabo eum coram patre meo, qui in cœlis eſt, & coram Angelis Dei; inter maledicta & opprobria, inter graviſſimas perſecutiones, crudeleſq; pœnas, non ſunt deterriti à prædicatione humanæ ſalutis, tanto fremitu humanæ offenſionis. Sic Auguſt. Aug. ibid. Cicero ubi ſupra. Luc. 9.

Dicit Pſalmiſta: *Deus confringet oſſa eorum, qu* Pſal. 52.

Epiſt.64. *hominibus placent. Quid enim languidius,* inquit Auguſt. *quid tam ſine ſtabilitate, ac fortitudine, quod oſſa ſignificant, quàm homo, quem malè loquentium lingua debilitat, cùm ſciat falſa eſſe quæ dicuntur; cujus rei dolor nullo modo animæ viſcera dilaniaret, ſi non amor laudis oſſa ejus confringeret.* Ita affecti ſunt illi, qui hoc ſibi tanquam primum proponunt, ut placeant hominibus, à quibus collaudari atque in eorum opinione & ore cum jucunda recordatione verſari, mercedis loco ducunt. Quos homines ut geſtire laudibus, ita frangi neceſſe eſt, nimiúmque dejici, cùm in aliquas reprehenſiones humanas, ſua facta, vel dicta incurrere ſenſerint. S. Baſilius

Interrog. 33. in Brevib. interrogatus, *Quomodo convinci quis poſſit, quod placere hominibus ſtudeat?* Reſpondit: *Quando apud laudantes ſtudium præ ſe fert, apud vituperantes verò lentus efficitur. Si enim verè habet in animo placere Deo, idem uſque erit ubique.*

Loco citat. de Civit. li. 5. ca. 12. & 19. *Gloriam* definit idem Auguſt. *eſſe judicium hominum bene de hominibus opinantium; virtutem autem habenti, magnam virtutem eſſe, gloriam contemnere. Cujus cupido,* inquit Tacitus, *etiam ſapientibus*

Tac. li. 20. Lib. 8. c. 15. ex Cic. lib. 1. Tuſc. & pro Archia. *noviſſima exuitur;* & *ne ab iis quidem qui contemptum ejus introducere conantur, negligitur,* ait Valerius Maximus; *quoniam quidem ipſis voluminibus nomina ſua diligenter adjiciunt, ut quod profeſſione elevant, uſurpatione memoriæ conſequantur.* Gloriæ

Pſalm. 113. contemptor erat propheta David, qui dicebat; *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Ierem. 17. Et Ieremias, dicens: *Ego non ſum turbatus, te paſtorem ſequens: & diem hominis non deſideravi, tu ſcis, Domine.* Et Apoſtolus Paulus: *Mihi pro mi-*

1. Cor. 4. *nimo eſt,* inquit, *ut à vobis iudicer, aut ab humano die.*

ðic. Denique D. Auguſtinus, de quo diſcipulus ejus Proſper ait: quod *unus & ſolus Deus, erat illi cibus, vita, requies, voluptas, amor, & honor.* In Carm. de Ingratis.

Poſſunt quidem, & debent etiam opera noſtra lucere coram hominibus, ut ea videant: verùm non ut noſipſos, ſed ut glorificent patrem noſtrum qui in cœlis eſt, qui iſta in nobis operatur. Vnde Paulus: *Eram*, inquit, *ignotus facie Eccleſiis Iudææ, quæ ſunt in Chriſto: tantum autem audiebant, quia qui aliquando nos perſequebatur, nunc evangelizat fidem, quam aliquando vaſtabat; & in me magnificabant Deum. Ut quid magnificabant Deum,* inquit Auguſt. *ſi non Deus ad ſeipſum cor illius viri ſuæ gratiæ bonitate converterat? Ipſum etiam verbum quod poſuit, quem, niſi Deum, hoc tantum magnum bonum feciſſe declarat? Quid eſt enim, In me magnificabant Deum, niſi, In me Deum magnificum prædicabant? Si quid autem laudis nobis datur, atque à nobis accipitur, id totum ad Dei gloriam, & proximi utilitatem referendum eſt*, inquit S. Aug. *cui conſulere non potes, ſi nimia deiectione vileſcas.* Matth. 6. Galat. 1. Epiſt. 107. Epiſt. 54. ad Aurel.

Qui autem legunt vel audiunt mira & præclara opera gentilium, quæ laudis ac famæ cupiditate fecerunt, quorum multa ac varia enumerat Tertullianus & Auguſtinus: cogitare apud ſe diligenter debent, quod ibidem Tertull. ſubdit: *Hæc non ſine cauſa in ſeculum admiſit; ſed ad nos & nunc exhortandos, & in illo die confundendos, ſi reformidaverimus pati pro veritate in ſalutem, quæ alii affectaverunt pro vanitate in perditionem.* Tantum enim valebit apud illos error, aut amor, aut alioqui cæca cupiditas: & non valebit apud Chriſtianos Dei charitas & veritas? Itémque quod In lib. ad Martyres.

BIBLIOTHECA ROMA

Digitized by Google

De Civit. lib. 5. c.18. addit S. Aug. *Hæc nobis neceſſaria commonitionis exempla propoſita ſunt, ut ſi virtutes, quarum iſta utcunque ſimiles ſunt, quas iſti pro civitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei glorioſiſſima civitate non tenuerimus, pudore pungamur; ſi tenuerimus, ſuperbia non extollamur.*

MONITUM V.

Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Philipp. 2.

Eccleſ. 5. TRiplex eſt timor, cum quo ſalutem noſtram operari debemus, in Scripturis ſæpe commendatus, ab hæreticis noſtri temporis omninò exploſus. Primus eſt, ne fortè peccata noſtra nobis remiſſa non ſint, quæ tamen remiſſa nobis eſſe putamus. *De propitiato tibi peccato*, ait Sap. *noli eſſe ſine metu.* Remiſſio enim peccatorum apud Da-
Pſal. 50. videm computatur inter incerta & occulta ſa-
Aug. in il- pientiæ Dei: quæ Deus illi per Nathan, jam pœ-
lum Pſal. nitenti & peccatum confitenti manifeſtavit, dicens; *Tranſtulit Dominus peccatum tuum.* Unde
Joël. 2. apud Joëlem & Jonam Prophetas dicitur: *Quis*
Jonæ 3. *ſcit, ſi convertatur & ignoſcat Deus?* Et Daniel ad
Daniel.4. Nabuchodonoſor Regem, *Forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.* Et Petrus Apoſtolus ad Simonem Ma-
Actor. 8. gum: *Si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Hæc unica ſolicitudo tangebat nobilem illam vi-
Lib 4 c.13 duam Gallam, apud D. Gregor. in Dialog. Cui cùm D. Petrus Apoſtolus, jam ad mortem tendenti appareret, ſollicitè ab eo quæſivit, *num ſibi*

pecca

peccata ſua dimiſſa eſſent? Reſpondit Petrus; *Dimiſſa, veni.*

Scripſerat Gregoria ex aula Imperatoris ad Gregorium Papam, ſe illi importunam fore, donec reſcriberet revelatum ſibi eſſe, dimiſſa illi eſſe peccata ſua. Ad quam reſcripſit Pontifex; *Rem & difficilem & inutilem poſtulaſti. Difficilem quidem, quia & ego indignus ſum, cui revelatio fieri debeat: Inutilem verò, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes ante ultimum diem: qui quouſque veniat, ſemper ſuſpecta, ſemper trepida, metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Securitas autem mater ſolet eſſe negligentiæ. Habere ergo non debes ſecuritatem, per quam negligens reddaris. Scriptum eſt enim: Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* Et: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Securitas etiam mater ſolet eſſe ſuperbiæ, ait D. Aug. *Vnde eam habere non expedit in iſto tentationum loco, ubi tanta eſt infirmitas, ut ſuperbiam poſſit generare ſecuritas.* Breviter & rectè Thomas Kempenſis: *Securitatem capere non oportet, ne torpeas, aut elatus fias.* D. Cyprianus de lapſis; *Vos,* inquit, *fratres, quorum timor in Deum pronus eſt, pœnitentes ac dolentes peccata veſtra perſpicite, nec deſperantes miſericordiam Dei, nec tamen veniam vendicantes. Deus quantum pietate patris indulgens ſemper & bonus eſt, tantum Iudicis majeſtate metuendus.*

Lib. 6. ep. ex Regiſt.

Prover. 28.

Pſalm. 2.

De cor. & grat. ca. 13.

lib. 1. de Imit. c. ult.

In tract. de lapſ.

D. Hieron. in illa loca Joëlis & Jonæ citata; *Ideo,* ait, *ambiguum ponitur & incertum, ut homines dubij cùm ſint de ſalute, fortiùs agant pœnitentiam, & magis ad miſericordiam provocent Deum.* Et rurſum: *Ne deſperetis veniam, ſcelerum magnitudine, quia magna peccata, magna delebit miſericordia. Sed ne*

In cap. 3. Jonæ.

In cap. 2. Joëlis.

Digitized by Google

forſitan magnitudo clementiæ nos faceret negligentes, adjunxit: Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus? Ego quod meum eſt, hortor vos ad pœnitentiam, & Deum clementem, &c. Sed quia profundum divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei noſſe non poſſumus, ſententiam tempero, & opto potiùs quàm præſumo, dicens; Quis ſcit, &c. Quid ergo dubitare debemus de benevolentia ac miſericordia Dei, de ejus promiſſis, de Chriſti meritis, de virtute & efficacia Sacramentorum? Minimè. Sed de animo noſtro, ac præparatione; de noſtra pœnitentia, & contritione meritò timemus, an videlicet talis ac tanta ſit, quali quantáque opus eſt ad remiſſionem peccatorum, Deíque gratiam conſequendam, ob humani (Ierem. 17.) cordis inſcrutabilitatem.

(1. Cor. 4.) Secundus verò timor eſt, ne fortè tales non ſimus coram Deo, quales nos eſſe præſumimus. Ipſe Apoſtolus non auſus fuit judicare ſe fidelem eſſe diſpenſatorem, & juſtificatum; quanvis nullius ſibi criminis conſcius eſſet. (Lib. 2. cont. Pelagia.) *Legerat enim*, ait S. Hieron. *à Propheta dictum, Delicta quis intelligit?* (Pſalm. 18.) Et: *Ab occultis meis munda me Domine.* (Prov. 21.) Et: *Eſt via* (Prover. 16.) *quæ videtur homini juſta, & noviſſima ejus deducũt ad mortem.* Et: *Omnis via viri recta ſibi videtur, appendit autem corda Deus. Idcirco temperabat Apoſtolus ſententiam, ne fortè per ignorantiam deliquiſſet.* Et: (In illum locum Pauli.) *quid,* inquit D. Chryſoſt. *ſi nihil ſibi conſcij, non judicantur? Quid igitur dicemus? Quod accidit hominem in quibuſdam peccare, quæ peccata eſſe ignorat. Hinc conſidera, quanta ſit futuri judicij diligentia.*

(Conſtit. Monaſt. cap. 2.) Bene monet B. Baſil. unumquemque, ut in orationum ſuarum exordio confiteatur Deo, & dicat *Non ſum, Domine, dignus qui verba coram te faciam,*

ciam, quoniam vehementer peccator ſum. Et licèt nullius tibi culpæ conſcius ſis, nihilominus tamen ita te oportet dicere. Etenim cum multis in rebus offendamus Iac. 3.
omnes, majorem tamen offenſarum partem ne intelligimus quidem. Propter quam cauſam ait Apoſtolus, Ni- 1. Cor. 4.
hil mihi conſcius, ſed non in hoc juſtificatus ſum. Et Pſalm. 18.
Pſaltes; Delicta quis intelligit? Audi & D. Aug. *Cor* In Pſal. 41.
hominis abyſſus eſt. Quid enim hac abyſſo profundius? Loqui homines poſſunt, videri poſſunt per operationem membrorum, audiri in ſermone: ſed cujus cogitatio penetratur? cujus cor inſpicitur? quid intus gerat, quid intus poſſit, quid intus agat, quid intus diſponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis comprehendet? Quanta abyſſus ſit, audite amplius: Neque meipſum judico. Tantamne profunditatem creditis eſſe in homine, quæ 1. Cor. 4.
lateat ipſum hominem, in quo eſt? Quanta profunditas Matth. 26.
infirmitatis latebat in Petro, quando quid in ſe agere- Ioan. 3.
tur intus, neſciebat, & ſe cum Domino moriturum, vel pro Domino temerè promittebat?

Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, ait Je- Ierem. 17.
rem. *quis cognoſcet illud? Ita inſcrutabile,* ait Epiſt. 42.
Bernard. *ut nemo ſciat quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt; ſed nec ipſe plenè. Nam* 1. Cor. 2.
cùm Apoſtolus diceret; Mihi pro minimo eſt ut à vo- 1. Cor. 4.
bis judicer, aut ab humano die, adjecit; Sed neque meipſum iudico. Quare? quoniam non poſſum, ait, ratam vel ipſe de me proferre ſententiam. Ego enim nihil mihi conſcius ſum, non tamen in hoc iuſtificatus ſum. Non ex toto credo me vel ipſi conſcientiæ meæ, quippe cùm ne ipſa quidem queat me comprehendere totum; nec poteſt iudicare de toto, qui totum non audit. Qui autem iudicat me, Dominus eſt. Dominus, inquam, cuius utique ſcientiam non effugit, ſententiam non ſubter

Digitized by Google

terfugit, etiam quod propriam latet conſcientiam, &c.

Imitatus eſt autem Apoſtolus, dum dicit, *neque meipſum judico*, Prophetam Job, qui de ſeipſo veraciter ſic loquebatur; *Etiamſi habuero quippiam juſtum, non reſpondeo, ſed meum Iudicem deprecabor: Et cùm invocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam: Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea: verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Apoſtolum autem imitatus eſt D. Ignatius, qui in epiſt. ad Rom. *Cum decem Leopardis,* inquit, *hoc eſt cum militari cuſtodia, terra, marique depugno. In injuſtitiis autem eorum magis edoceor, ſed nec in hoc quidem juſtificor.* Hoc dixit, non quin ad juſtitiam ſanctorum pertineat pia iſta patientia, qua exercentur & erudiuntur: ſed quia ut D. Aug. *etiam id quod ineſt, plerumque occultum eſt, niſi experientia manifeſtetur. Terribilis eſt locus iſte,* ait S. Bernard. *& totius expers quietis: totus inhorrui, ſi quando in eum raptus ſum, illam apud me replicans cum tremore ſententiam: Quis ſcit, ſi eſt dignus amore, an odio?*

Job 9. — Ignat. ad Roman. — Lib. 10. Conf. c. 3. 21 — Serm. 23. in Cant. — Eccleſ. 9. — Iſa. 38.

D. Hieronymus agens de fletu magno pij regis Ezechiæ, ad nuntium mortis; *Quamvis ſancti viri,* inquit, *morte terrentur, propter incertum judicii, & ignorationem ſententiæ Dei, quam ſedem habituri ſint.* Et contra Vigilant. *Monachus,* ait, *habet officium plangentis, qui ſe vel mundum lugeat, & Domini pavidus præſtoletur adventum.* Hinc S. Agathon moriens, rogatus an timeret? Reſpondit; *In veritate ego timeo.* Deinde rogatus an non confideret in bonis operibus ſuis? *Ego,* ait, *pro poſſe laboravi in vita mea, ſervare mandata Domini; verùm alia ſunt judicia Dei, alia hominũ.* Sæpè diſplicet Deo quod

Hier. in illum loc. — In vita.

homi

Digitized by Google

hominibus placet: ſæpè ſordet in conſpectu Judicis, quod in oculis fulget operantis. Sic & S. Arſenius, Angelis virtute ſimilis, inſtante morte, cœpit metu pulſari, & opprimi, & ad lachrymas moveri. Rogantibus diſcipulis, Et tu pater, times mortem? *Revera,* inquit, *hic metus, quo nunc me videtis affici, nunquam omninò receſſit à me, ex quo factus ſum Monachus.* In vita.

Dicit in oratione ad Deum Venerab. Beda: *Si quid boni te largiente fecero, quo fine hoc faciam, quave diſtrictione à te penſetur, ignoro.* Et ipſe Aug. *Pro viribus,* inquit, *quas Deus donare dignatur, in vinea laboro. Quo autem animo laborem, qui me conduxit, videt.* Qui & alibi: *Nonnunquam ſunt apertiſſima vitia, quæ aliis vitiis vincuntur occultis, quæque putantur eſſe virtutes, in quibus regnat ſuperbia, & quædam ſibi placendi altitudo ruinoſa.* Et S. Greg. *Hoſtis noſtri malitia, tanta arte ſe palliat, ut plerumque ante deceptæ mentis oculos, culpas virtutes fingat; & inde quiſque quaſi exſpectet præmia, unde æterna dignus eſt invenire tormenta. Quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum,* ait Chriſtus. Id in illis manifeſtum eſt, qui dicent in die judicij: *Nonne in nomine tuo prophetavimus? dæmonia ejecimus? & virtutes multas fecimus? Et reſpondebit illis Iudex: Nunquam novi vos,* id eſt, nunquam opera veſtra probavi, quibus homines magis quàm Deum demereri ſtuduiſtis.

In 18. cap. Luc. & in 2. c. Apoc. Ser. 36. in Nov. De Civit. li. 21. ca. 16. Lib. 32. Mor. c. 27. Luc. 16. Matth. 7.

Digitized by Google

MONITUM VI.

Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.

1. Cor. 10.

TErtius timor, cum quo ſalutem noſtram operari debemus, eſt, ne fortè excidamus à gratia Dei, & vita æterna. *Nemo enim ſecurus eſſe debet in iſta vita,* inquit S. Aug. *quæ tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior.* Et alibi; *Licet ſancti de ſuæ perſeverantiæ præmio ſunt certi, de ipſa tamen perſeverantia ſua reperiuntur incerti. Quis enim hominum ſe in actione profectúque virtutum, perſeveraturum uſque in finem ſciat, niſi aliqua revelatione ab eo fiat certus, qui de hac re iuſto latentique iudicio, non omnes inſtruit, ſed neminem fallit?*

Lib. 10. Conf. c. 32. — De Civit. li. 11. ca. 12

Et iterum; *Nullus ſecurus, nec de ſeipſo, nec de alio: aut enim mali ſunt, & neceſſe eſt eos pati, ſed ſperare, quia mutari poſſunt; aut boni ſunt, & ſic oportet eos diligere, ut timeamus, quia mutari poſſunt, ne mali ſint. Ibi malitia eorum facit amaritudinem animæ; hic ſollicitudo & timor, ne labatur, qui bene ambulat.* Et de Doct. Chriſt. *Qui,* inquit, *lapſus magnorum virorum legit* (ut Saulis, Salomonis, Ioas, Origenis, Tertulliani, &c.) *ad hunc uſum aſſumat, ut ſe nequaquam rectè ſuis factis iactare audeat, & præ ſua iuſtitia, cæteros tanquam peccatores contemnat; cùm videat tantorum virorum & cavendas tempeſtates, & flenda naufragia. Ad hoc enim etiam peccata illorum hominum ſunt ſcripta, ut Apoſtolica illa ſententia ubique tremenda ſit, quâ ait; Quapropter*

In Pſal. 85. — Li. 3. c. 23.

Digitized by Google

propter qui videtur ſtare, videat ne cadat. 1.Cor.10.

Sic & D.Hieronym. *Ne glorieris in craſtinum, neſcis enim quid adveniens pariat dies. Unde ſcriptum eſt; Ne beatum dixeris quempiam ante mortem. Quamdiu enim vivimus, in certamine ſumus; quamdiu in certamine, nulla eſt certa victoria, quæ etiam Apoſtolo fortiſſimè præliantі, in futuro demùm ſeculo reſervabatur.* Et Virginem Euſtochium ita monet; *Nolo tibi ſuperbiam venire de propoſito, ſed timorem. Nemo inter ſerpentes & ſcorpiones tutus ingreditur; magnis inimicorum circumdamur agminibus, hoſtium plena ſunt omnia. Quamdiu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & concupiſcit ſpiritus adverſus carnem, & caro adverſus ſpiritum, nulla eſt certa victoria. Adverſarius noſter Diabolus tanquam leo rugiens, aliquem devorare quærens circuit. Si Apoſtolus vas electionis, & ſegregatus in Evangelium Chriſti, ob carnis aculeos, & incentiva vitiorum, reprimit corpus ſuum, & ſervituti ſubjicit, ne aliis prædicans ipſe reprobus inveniatur; ſi poſt nuditatem, famem, ieiunia, carceres, flagella, ſupplicia, in ſemetipſum reverſus, exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? tu te putas ſecuram eſſe debere? Cave, quæſo, nequando de te dicat Deus, Virgo Iſraël cecidit, & non eſt qui ſuſcitet eam.*

Li.2.cont. Pelagia. Prov.27. Eccleſ. 11. 2.Tim.4. In epiſt. ad Euſtoch. 2.Cor.4. Galat.5. 1.Pet.5. Actor.9. & 13. Roman.1. 1.Cor.9. 2.Cor.11. Roman.7.

Quoniam verò *nemo hic tanta eſt firmitate ſuffultus,* ut ait D.Leo, *ut de ſua ſtabilitate debeat eſſe ſecurus. Hinc non ſolùm ab incipientibus, ſed etiam à provectiſſimis ſanctis,* inquit S.Proſ. *uniformiter & quotidie Domino ſupplicatur, Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. In præſentis enim agonis incerto, ubi tota vita tentatio eſt, & ab inſidiante ſuperbia*

Serm.5.de Quadrag. Lib.2.de voc.gent. cap.27.28. Matth.6.

Digitized by Google

ſuperbia nec ipſa tuta eſt victoria, mutabilitatis periculo non caretur; & licet innumeris ſanctis donet virtutē perſeverandi uſque in finem Divina protectio, à nullis tamen aufert, quod ipſis repugnat ex ipſis, ut in omnibus ſtudiis eorum atque conatibus, ſemper velle & nolle decertet. Et alibi: *Quantalibet quis excellentia ſanctitatis emineat, quantalibet eminentia perfectionis excellat, poteſt quidem fieri pro modulo hujus vitæ perfectus, ſed non eſt ſic de ſua perfectione ſecurus, ut non debeat eſſe de caſu ſollicitus. Et utique ubi eſt ſollicitudo, non eſt abſoluta beatitudo: quæ nequaquam perfecta credenda eſt, ſi ſecura non fuerit; nec ſecura erit, niſi omnem ſollicitudinem ſecuritas æterna conſumpſerit.*

Lib. 1. c. 9. de v t. contemp.

Quos prædeſtinavit, ipſos & vocavit, ait Apoſtolus, *vocatione illa,* inquit Aug. *qua dictum eſt, ſine pœnitentia ſunt Dei dona & vocatio. Ad quam vocationem pertinere nullus eſt homo ab hominibus certa aſſeveratione dicendus, niſi cùm de hoc ſeculo exierit. In hac autem vita, quæ tentatio eſt ſuper terram, qui videtur ſtare, videat ne cadat. Ideò quippe non perſeveraturi, perſeveraturis providentiſſima Dei voluntate miſcentur, ut eſſe diſcamus non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, & cum timore & tremore, noſtram ipſorum ſalutem operemur.* Et alibi: *Propter hujus utilitatem ſecreti, ne fortè quis extollatur, ſed omnes etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum eſt quò perveniant; credendum eſt quoſdam de filiis perditionis, non accepto dono perſeverandi uſque in finem, in fide quæ per dilectionem operatur, incipere bene vivere, & poſtea cadere; neque de hac vita, priuſquam hoc eis contingat, auferri. Quorum ſi nemini contigiſſet, tamdiu haberent homines ſaluberrimum iſtum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Chriſti*

Roman. 8. De bono perſeu. cap. 13. Rom. 11. Job 7. 1. Cor. 10. Rom. 11. Rom. 12. Philip. 2. De cor. & grat. ca. 13.

Digitized by Google

gratiam, qua piè vivitur, pervenirent, deinceps jam ſecuri, nunquam ſe ab illa eſſe caſuros. Quæ præſumptio in iſto tentationum loco non expedit, ubi tanta eſt infirmitas, ut ſuperbiam poſſit generare ſecuritas.

Quæ ſuperbia ut penitus excludatur, cogitet diligenter homo occulta judicia Dei, quibus primò, permittit Deus, ut miſceantur numero electorum caſuri & caſuræ, ait idem Aug. de S. Virginit. *ut videlicet, his cadentibus, aliorum timor augeatur, quo ſuperbia comprimatur, quam ſic odit Deus, ut contra hanc unam ſe tantum humiliarit altiſſimus.* Secundò efficit iiſdem occultis judiciis Deus, ut de numero impiorum augeatur ſemper numerus ſanctorum, electíque ex omni genere hominum, etiam ex peſſimis hominibus congregentur. *Quos,* inquit S. Leo, *viles fecit carnalis ſapientia, neſcimus quam pretioſos ſpiritalis factura ſit gratia.* Cap. 46. Serm. 10 de Quadr.

Perplexæ ſunt in hoc ſeculo duæ iſtæ civitates, Dei & Diaboli, ait D. Aug. *invicemque permiſtæ, donec ultimo judicio dirimantur; ac ſicut in hac latitant prædeſtinati amici, adhuc ignoti, etiam ſibi; ita in illa filij perditionis.* Et alibi: *De vaſis aureis & argenteis in domo magna conſtitutis,* inquit, *ſenſum Cypriani ſecutus ſum, qui hæc accepit in bonis: in malis autem lignea & fictilia; ad illa referens quod dictum eſt, alia quidem in honorem; ad hæc autem, quod dictum eſt, alia verò in contumeliam. Sed magis approbo, ait, quod apud Tychonium poſtea reperi, vel adverti, in utriſque intelligendum, quædam in honorem, non ſola, ſcilicet aurea & argentea; & rurſus in utriſque quædam in contumeliam, non utique ſola lignea & fictilia.* Sic Auguſt. De Civit. li. 1. ca. 35. Lib. 2. Re li. 1. ca. 35. 2. Timot. 2.

Nemo itaque tam inſanus ſit, ut illos audiendos

dos exiſtimet,qui ita ſecuritatem in hac vita conſtituunt,ut credi etiam dicant hoc oportere,nos in finem uſque perſeveraturos.Quis enim bona mente præditus mediis in periculis, quæ nobis tot támque validi hoſtes faciunt, ſecuritatem ponat, atque in bello pacem dicat? Perniciofum eſt, variis ac plurimis hoſtium circundatum agminibus, omni ſollicitudine & timore nudari. Præpoſterum eſt, huic vitæ velle tribuere, propter quod aſſequendum ex ea migrare ſancti ſemper omnes cupivêre.

In tract.de mortalit. Luc.2. *Simeon ille iuſtus*, ait D.Cyprianus, *qui verè iuſtus fuit, qui fide plena, Dei præcepta ſervavit, cùm ei divinitus reſponſum fuiſſet, quod non antè moreretur, quàm Chriſtum vidiſſet, & Chriſtus infans in templum cum matre veniſſet; agnovit in ſpiritu natum eſſe iam Chriſtum, quo viſo ſcivit citò ſe eſſe moriturum. Lætus itaque de morte proxima, & de vicina accerſione ſecurus, accepit in manibus puerum, & benedicens Deum exclamavit, & dixit; Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace;* Ibidem. *probans ſcilicet, & conteſtans, tunc eſſe ſervis Dei pacem, tunc liberam & tranquillam quietem, quando de iſtis mundi turbinibus extracti, ſedis & ſecuritatis æternæ portum petimus, quando hac expuncta morte, ad immortalitatem venimus. Illa enim eſt noſtra pax, illa fida tranquillitas, illa ſtabilis & firma & perpetua ſecuritas. Cæterùm quid aliud in mundo, quàm pugna adverſus diabolum quotidie geritur? quàm adverſus iacula eius & tela, conflictationibus aſſiduis dimicatur?* Hæc, aliáque plura Divus Cyprianus.

Lib.1. ca.1. de Vita Cant. Sic & D.Proſp. *In hac vita*, inquit, *quamvis ſtrenuè dimicemus, & adiuvante Domino, catervas hoſtium,*

ſtium, quibus circumfundimur, proſternamus; tamen ſi ab eis vinci nolumus, nunquam pugnare deſinamus. Nec vincentes ſecuros faciunt viriliter deſudata iam prælia, ſed magis ſollicitant adverſariorum rediviva certamina. Ac ſic quia ſecundum ſcripturæ ſacræ ſermonem, tota humana vita tentatio eſt ſuper terram, Iob 7. *tunc eſt tentatio finienda, quando finitur & pugna, & tunc eſt finienda pugna, quando poſt hanc vitam ſuccedit vitæ ſecura victoria,* &c.

MONITUM VII.

Timete eum, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam. Matth. 10.

UTilis admodum eſt timor ille, & ad acquirendam & ad conſervandam juſtitiam, quo Divinorum judiciorum ſeveritas, & pœna delinquentibus propoſita formidatur. Ad quem hortatur Chriſtus in Evangelio, dicens; *Timete eum,* Matth. 10. *qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam.* Eúmque ſciens hominibus eſſe ſaluberrimum, inculcat, & repetit; *Amen dico vobis, hunc timete.* Luc. 12. Quem ſibi ineſſe, eóque ceu clavis quibuſdam carnes ſuas configi petebat Propheta, dicens: *Confige timore carnes meas*; ut vagandi libertatem Pſal. 118. cupiditas cruci affixa non haberet, ac dum in animo ejus aſſiduè Divinorum judiciorum ſeveritas obverſaretur, efficacius mentem à peccandi revocaret illecebris. Qui quàm ſolitus ſit hac ſe meditatione exercere, illa ejus declarat oratio; *Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo* Pſalm. 89. *iram tuam dinumerare?*

Digitized by Google

Li.de compūct. cord. Ad eundem timorem exemplo Domini egregiè nos hortatur S. Chryſoſt. *Hoc*, inquit, *ſolum eſt, quod expoſcitur à nobis, ut ſemper recordemur, & ad memoriam revocemus mala noſtra, & conſcientiam geſtorum noſtrorum habeamus ante oculos noſtros, ut pro his ſupplicemus Deo, ut gehennam ponamus in conſpectibus noſtris, & Angelos qui in die judicij ubique diſcurrunt, & congregant de omni orbe terrarum, eos qui trudendi ſunt in gehennam, ac ſuppliciis tradendi.* Sic

In Pſal. 33. & D. Baſil. *Cùm te appetitus invaſerit peccandi, velim cogites horribile illud & intolerabile Chriſti tribunal, in quo præſidebit Iudex, in alto & excelſo throno: aſtabit autem omnis creatura, ad glorioſum illius conſpectum contremiſcens.* Et cùm multa horrifica propoſuiſſet; *Hæc*, inquit, *time, & hoc timore inſtructus, animum à peccatorum concupiſcentia, tanquam freno quodam reprime.*

In Pſal. 80. Hunc timorem habebat, & ad eundem etiam alios hortabatur S. Aug. dicens; *Fratres, nimis timendum eſſe volo, melius eſt enim, vobis non dare ſecuritatem malam. Non dabo quod non accipio; timens, terreo: ſecuros vos facerem, ſi ſecurus fierem ego. Ignem*

Serm. 16. in Cant. *æternum timeo.* D. quoque Bernard. *Paveo*, inquit, *gehennam, Iudicis vultum etiam Angelis tremendum. Contremiſco ab ira potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à voce Archangeli, à rugientibus præparatis ad eſcam.*

Homil. 13. ad pop. Denique D. Chryſoſt. bona hujus timoris recenſens; *Ubi timor*, ait, *livor non eſt; ubi timor, pecuniarum amor non eſt; ubi timor, extinctus furor eſt; ubi timor, ibi eleemoſynæ ſtudium, & orationis intentio, & lachrymæ ferventes, & continuæ, & gemitus multam habentes compunctionem.*

Hunc

Digitized by Google

Hunc tam ſalubrem timorem, etiam hæretici nobis auferre conantur, dum dicunt fidem memoria Divini judicij lancinari: timendum autem eſſe Deum, non ut Judicem ſeverum, atque ut delictorum vindicem, ſed ut patrem benignum. Sed quàm hæc divinis ſcripturis & Patribus ſint contraria, ex iis quæ diximus & dicturi ſumus, clariſſimum eſt. Sicut in Deo optimè conſonant miſericordia & juſtitia, ita & in animo hominis Catholici optimè cognoſci poteſt divinum judicium, ſimul & haberi fides integra miſericordiæ; nec laceratur fides juſtificans, ſi cogitetur Deus talis eſſe, qualis verè eſt; juſtus judex.

Et cur ipſe Deus, legem tradens, ſeipſum deſcribit peccatorum vindicem: *Ego ſum*, inquiens, *Deus fortis, zelotes, viſitans iniquitatem*; ſi talis cognoſci & conſiderari nolit, aut non debet? Et ubi locum habebit illud Sapientis, *Altiſſimus eſt patiens redditor?* Et: *De propitiato tibi peccato, noli eſſe ſine metu?* Ubi illud Jerem. *Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis?* Et illud Malach. *Filius honorat patrem, & ſervus dominum ſuum. Si ergo pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Longè aliter fidelis David; *Miſericordiam*, inquit, *& judicium cantabo tibi Domine*. Et: *Univerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas*. Quantò fidelius Cyprian. Mart. *Deus*, ait, *quantum pietate patris indulgens ſemper & bonus eſt, tantum judicis majeſtate metuendus*. Et: *Deus ut eſt indulgens, ita eſt præceptorum ſuorum exactor & quidem diligens, & ſicut ad convivium vocat, ſic habitum nuptiarum non habentem, ligatis manibus & pedibus extra ſanctorum cœtum, foras exturbat. Paravit cælum,*

Exod. 20. Eccleſ. 5. Ierem. 5. Malach. 1. Pſal. 100. Pſalm. 24. Tract. de lapſis. Epiſt. 31. Pſal. 118. Matth. 22.

Digitized by Google

ſed paravit & tartarum; paravit refrigeria, paravit & æterna ſupplicia.

Serm. 6. in Cant. & in feſto Magdal. *Duo pedes Domini,* inquit S. Bernardus, *Miſericordia & Iudicium; illa ſpem adfert, hoc timorem incutit; utrumque oſculari debemus. Quando dolore peccati, & timore judicij compungeris, pedem judicij oſcularis; quando autem dolorem, timorémque Divinæ intuitu bonitatis, & ſpe conſequendæ veniæ temperas, etiam miſericordiæ pedem oſcularis. Alterum ſine altero oſculari non expedit, quia & ſolius recordatio judicij in barathrum deſperationis præcipitat, & miſericordiæ fallax aſſentatio peſſimam generat ſecuritatem.*

Ibidem. *Datum eſt mihi,* ait, *aliquando ſedere ad pedes Domini, & nunc hunc, nunc illum amplecti. At quando miſerationis oblitus paulò diutiùs judicio inhærebam, mox incredibiliter timens, & miſerabiliter confuſus & dejectus, hoc ſolum palpitans de profundis clamabam:* Pſalm. 89. *Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Quod ſi eo relicto pedem miſericordiæ plus tenere contingeret, tanta ſtatim negligentia & incuria diſſolvebar, ut confeſtim oratio tepidior, actio pigrior, riſus promptior, ſermo incautior, & omnis denique utriuſque hominis ſtatus appareret inconſtantior. Proinde magiſtra inſtructus experientia,* Pſalm. 100. *non jam judicium ſolum, aut ſolam miſericordiam, ſed miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine.*

Sed nonne charitas foras mittit timorem? Ita quidem S. Joannes. 1. Ioan. 4. Sed timorem deſperationis, qui fiduciæ opponitur, & oritur ex mala conſcientia, quæ tormentum deſperationis operatur. Auguſt. in Pſalm. 31. Sicut enim ex bona conſcientia, ſpes: ita ex mala, deſperatio conſurgit, & ut ſpes conſolationem, ita tormentum conſcientiæ deſperatio operatur.

Hinc

Hinc Ioãnes, *Timor pœnam habet*. Charitas etiam excludit timorem humanum, quo quis metu hominum juſtitiam deſerit; qui ut prior cum charitate pugnat: unde Chriſtus, *Nolite timere eos qui occidunt corpus*. Et orat David: *A timore inimici eripe me*. Denique illum timorem excludit, quo quis abſtinet ab externo peccati opere, ſolo timore pœnæ, vel temporalis, vel æternæ, *libenter iniquitatem perpetraturus, ſi poſſet impunè; ac proinde intus in ipſa voluntate eſt reus, ubi is qui præcipit, inſpicit Deus. Timor hic aliud habet in opere, aliud in voluntate: in opere habet quod licet, in voluntate habet quod non licet. Non autem mundatur opere, qui immundus eſt cogitatione & voluntate: mallet enim licere, ſi fieri poſſet, quod non licet*. Unde & S. Amb. *Qui metuit, reprimitur, non emendatur.* 1. Ioann 4 Aug. de S. Virg. c. 38. Matth. 10. Pſalm. 63. Auguſt. de ſpir. & lit. cap. 14. cont. 2. Epiſt. Pelagian. lib. 3. cap. 4. Lib 8. in Luc.

Sicut autem charitas non omnem tollit trepidationem, nec omnem conſcientiæ anxietatem (licet tantò lætiorem ac tranquilliorem reddat conſcientiam, quantò eſt perfectior) ſic nec excludit omnem gehennæ & Divini judicii metum. Homo enim bene ſibi conſcius (quales erant Martyres) rectè ſibi ignem æternum proponit, quo tanquam fræno cupiditates ſuas coërceat. *Certè Apoſtolus Paulus*, ait D. Greg. *jam ad tertium cœlum conſcenderat, in paradiſum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret; & tamen adhuc trepidans dicebat, Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè aliis prædicans, ipſe reprobus efficiar. Adhuc timet, qui jam ad cœlum ducitur: & jam timere non vult, qui adhuc in terra converſatur?* Lib. 9. Epi. ex Regiſt. 2. Cor. 12. 1. Cor. 9.

Hoc timore etiam Martyres ſuam in perferendo conſtantiam tutati ſunt. Hinc apud Davidem ita

Pſal. 118. loquuntur; *Principes perſecuti ſunt me gratis, & à*
Aug. in illum Pſal. conc. 31. *verbis tuis formidavit cor meum.* Ubi S. Aug. *Habuerunt illi verba minacia, expello, proſcribo, occido, ungulis torqueo, ignibus torreo, beſtiis ſubigo, membra dilanio; ſed tua me potius verba terruerunt.* Illa verba ſunt; *Timete eum, qui poteſt animam & corpus*
Matth. 10. *perdere in gehennam.* Et: *Qui me negaverit coram*
In eundem pſal. ſer. 21. *hominibus, negabo & ego eum coram patre meo;* & ſimilia. D. etiam Ambr. *Quamvis omnia,* inquit, *circumſpectet plena ſuppliciis, tamen illum ignem cogitans perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum, corde trepidat, & negare formidat; ne dum præſentibus cedit, perpetuis ſe dedat exitiis.*

MONITUM VIII.

Sunt impij qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant. Eccleſ. 8.

Eccleſ. 8. ILli imprimis impij malè ſecuri ſunt, de quibus idem Sapiens, quod *quia non citò profertur in malos ſententia, abſque ullo timore perpetrant mala.* Sed cur Deus non ſtatim pro meritis punit peccatores? Non quòd non videat, aut non curet peccata hominum, aut iis faveat, ſicut impij exiſtimãt,
Pſalm. 49. quibus ita Dominus apud David. *Hæc feciſti, & tacui,* id eſt, non vindicavi; *exiſtimaſti iniquè quod*
Serm. 12. de Quadr. *ero tui ſimilis. Sed ideo differtur ultio,* ait D. Leo, *ut tempus poſſit habere correctio.* Et quia *diem retri-*
Tract. de patientia. *butionis certum conſtituit, quem patienter exſpectat,* inquit D. Cyprian. *Si autem nunc omne peccatum manifeſta plecteret pœna, nihil ultimo judicio reſervari putaretur,* ait D. Aug. tametſi etiam nunc interdum

Digitized by Google

dum puniat, *ne nulla eſſe Dei providentia credatur*, *exemplum eorum qui impiè acturi ſunt ponens*, inquit Petrus. Unde & idem Cyprian. *Plectuntur interim quidam etiam ante diem pœnæ, ut cæteri corrigantur: exempla ſunt omnium tormenta paucorum.* De Civit. lib. 1. ca. 8. 2. Pet. 2. Tract. de lapſ.

Sunt alij impij malè ſecuri, qui dicunt apud Sapientem, *Miſericordia Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur*; putantes ſe etiam in ſceleribus permanentes miſericordiam à Deo conſecuturos; aut ſi vitam aliquando in melius commutare proponant, ita tamen de die in diem differunt, ac ſi certi eſſent de vitæ diuturnitate, quæ ſicut umbra præterit, cujus finis quotidie ex mille occaſionibus impendet; vel certi eſſent de dono pœnitentiæ ſemel accipiendo, cùm illud non ſit in præjudicio petentis, ſed in arbitrio dantis. Eccleſ. 5.

Graviter S. Leo; *Nemo patientiam bonitatis Dei de peccatorum ſuorum impunitate contemnat, nec ideo æſtimet illum non offenſum, quia necdum expertus eſt iratum. Non ſunt longæ vitæ mortalis induciæ, nec diuturna eſt licentia inſipientium voluptatum, in æternarum dolorem tranſitura pœnarum, ſi dum juſtitiæ ſententia ſuſpenditur, pœnitentiæ medicina non quæratur. Non tardes converti ad Dominum*, ait Sap. *neque differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. An divitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis ejus contemnis?* ait Apoſt. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impenitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ.* Cyp. de lapſis. Leo ſer. 5. de Quadr. Eccleſ. 5. Roman. 2.

Sunt alii malè ſecuri, qui etſi crimina ſua de-

 ferant,

Digitized by Google

ſerant, Deum tamen placare non ſatagunt, per jejunia, eleëmoſynas, orationes, & Eccleſiaſtica Sacramenta. Damnata eſt illa hæreticorum vox, Optima pœnitentia, nova vita; Si emendationem tantum malè actæ vitæ, ſine dolore intelligant, & vim ac uſum ſatisfactionis tollant. *Fili,* Eccleſ. 21. *peccaſti? non adjicias iterum*, ait Sapiens, *ſed & de præteritis deprecare Dominum, ut tibi dimittantur.* Libr. 1. de nupt. c. 26. *Nam ſi quiſpiam*, v.g. inquit Auguſt. *fecerit adulterium, etiamſi deinceps nunquam faciat, reus eſt adulteri, donec reatus ipſius indulgentiâ remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud quod admiſit jam non ſit, quia cum tempore, quo factum eſt, præteriit. Nam ſi à peccando deſiſtere, hoc eſſet non habere peccatum, ſufficeret, ut hoc nos moneret Scriptura; Fili, peccaſti, non adjicias iterum: Non autem ſufficit, ſed addidit: Et de præteritis deprecare Dominum, ut tibi remittantur.*

Lib. 6. c. 8. Sic & cont. Iulian. *Reatus peccati manet etiam eius qui iam bene vivit, nihil tale committens, etiamſi oblitus eſt ſe deliquiſſe, nec eius conſcientia ſtimuletur. Manet omninò donec remittatur. Et ubi manet, niſi in occultis legibus Dei, quæ conſcriptæ quodammodo ſunt in mentibus Angelorum, ut nulla ſit iniquitas inpunita, niſi quam ſanguis Mediatoris expiaverit?* Et alibi: Libr. 50. hom. 50. c. 4. *Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de his quæ facta ſunt ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.* Unde & Divus Greg. in Part. 3. adm. 31. Paſtor. *Admonendi*, inquit, *ſunt qui admiſſa deſerunt, nec tamen plangunt, ne iam relaxatas æſtiment culpas, quas etſi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim ſcriptor ſi à ſcriptione ceſſaverit, quia alia non addidit, etiã illa quæ ſcripſerat,*

Digitized by Google

delevit: nec debitor abſolutus eſt quia alia non multiplicat, niſi & illa quæ ligaverat, ſolvat. Ita & cum delinquimus, Deo nequaquam ſatisfacimus, ſi ab iniquitate ceſſamus, niſi voluptates quoque quas dileximus, e contrario appoſitis lamentis inſequamur.

Huc pertinet admonitio D. Jacobi; *Emundate manus, peccatores; purificate corda, duplices animo. Riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.* Intellexit hoc; & ſecuta eſt Paula Rom. vidua nobilis, quæ ſic apud D. Hier. *Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſo & ceruſſa, & ſtybio ſæpe depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacavit delitiis: longus riſus, perpeti compenſandus eſt fletu: mollia linteamina, & ſerica pretioſiſſima, aſperitate cilicij commutanda. Quæ antè viro & ſæculo placui, jam Chriſto Domino placere deſidero.* Queritur Propheta de impio impœnitente; *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam. Et dedi ei,* ait Dominus, *tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœtinere à fornicatione ſua.* Iacob. 4. In Epitap. Paulæ. Job 24 Apoc. 2

Deniq́ue ſunt alij malè ſecuri, qui ita terrenis cupiditatibus ſunt immerſi, ut terribile Dei judicium, ſeverámque juſtitiam, imminentem mortem, inexplicabiles gehennæ pœnas non cogitent. De qualibus dicit Propheta; *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Et Poëta conqueritur: Pſalm. 13.

Heu vivunt homines tanquam mors nulla ſequatur,
Et velut infernus fabula vana foret.

De qualibus & Moyſes; *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia; utinam ſaperent, & intelligerẽt, ac noviſſima providerent.* Aurea eſt ſententia Sapientis; *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternũ non peccabis.* Prodeſt enim eorum recordatio Deut. 32. Eccleſ. 7.

ac

Digitized by Google

ac timor, & ad acquirendam juſtitiam, & conſervandam. *Non me revocabat*, ait Aug. *à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis & futuri judicij, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen receſſit de pectore meo.*

In Conf. li. 6. cap. ult.

Hieron. loquens de eremo, quæ exuſta ſolis ardoribus, horridum Monachis præſtat habitaculum, ad quam pœnitentiæ cauſa confugerat, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum: *Tali*, inquit, *me carcere damnaveram, ob gehennæ metum.* Aug. quoque ſe ſuóſque ſocios ita ad converſionem hortabatur: *Vita*, ait, *miſera, mors incerta; ſi ſubitò obrepat, quomodo hinc exibimus? Aut ubi nobis diſcenda vel agenda ſunt, quæ hîc neglleximus? An non potiùs hujus negligentiæ ſupplicia luenda ſunt? Quid igitur cunctamur, relicta ſpe ſeculi, conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitam beatam? Si mente cernerent homines peccatores*, ait D. Ambr. *quale judicium imminet mundo, ſenſus humanus non diſpergeretur vanitate ſeculari, ſi non gravaretur infidelitate.*

In epiſt. ad Euſtoch.

L. 6. c. 11. Confeſſ.

Ad Virg. lapſ. cap. 8.

Verè ſibi conſulunt, qui Deum non ſolùm miſericordem, ſed etiam juſtum cogitant, apud quem cauſam geſtorum hujus vitæ, atque ab illo muneris ſibi injuncti, quiſque dicturus eſt; ubi omnis homo recipit, ſicut teſtatur Apoſtolus, quæ per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum. Verè ſibi conſulunt, qui ex fide viventes, & ſatagentes, ne ab extremo præoccupentur die, extremum computant omnem diem; ne videlicet iis Judex, tanquam fur in nocte veniat, & eorum partem cum hypocritis ponat. Non immeritò proinde accipi etiam de hoc timore poteſt, quod à Sapiente dictum eſt: *Niſi in timore Dei conſtanter te tenueris, citò ſub*

Aug. in ſer. de S. Cyp.

2. Cor. 5.

Matth. 24.

Eccleſ. 27.

ſubvertetur domus tua. Eſt enim & hic timor Dei, baſis quædam, unde imbecilla voluntas, ſtandi accipit firmitatem. *Cùm enim caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, præſidio crucis Chriſti mens rationalis inſtruitur, nec cupiditatibus noxiis illecta conſentit, quoniam continentiæ clavis & Dei timore transfigitur,* inquit D. Leo. Galat. 5.

Et D. Proſp. *Nulla,* inquit, *res ſic nos ab omni peccato ſervat immunes, ſicut amor Dei, & timor ſupplicij. Ad pœnam ergo quæ peccanti debetur, mens, antequam peccet, aſpiciat; cruciatus ac dolores, qui ſolẽt ſequi peccantem, carnalibus incentivis opponat; & nihil eam peccati oblectat, nec ad peccandũ ulla delectatio corporalis inclinat.* Et cùm multa ac varia pœnarũ genera recitaſſet, ſubdit; *Hæc, & his ſimilia libenter audire vel legere, jugiter ante mentis oculos adducere, futura credere, ſine ulla perturbatione metuere, nihil eſt aliud quàm vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrenare.* Hunc timorem de cordibus hominum ſublatum, queritur Cyprian. *In Dei timore, in lege juſtitiæ, in dilectione, in opere fides nulla eſt, nemo futurorum metum cogitat, diem Domini & iram Dei, & incredulis ventura ſupplicia, & ſtatuta perfidis æterna tormenta nemo conſiderat; quod metueret noſtra conſcientia, ſi crederet; quia non credit, omninò nec metuit; Si autem crederet, & caveret; ſi caveret, evaderet.* Sic D. Cyprian.

Pſal. 118. Serm. 9. de Quadrag. Vide Proſper. de vit. contemp. cap. 10. 11. l. 3. Cap. 12. ib.

De unit. Eccleſ.

Mo

Digitized by Google

MONITUM IX.

Teipſum caſtum cuſtodi.
1. Tim. 5.

In Epiſt. ad Salvinam.

DE eodem cuncti facti ſumus luto, *ait D. Hier.* iiſdem compacti exordiis. In ſerico & pannis eadem libido dominatur. Nec Regum purpuras timet, nec mēdicantium ſpernit ſqualorem. Sic omnis caro concupiſcit ea quæ carnis ſunt, & quibuſdam illecebris ad mortiferas animam voluptates trahit. Sed noſtrum eſt voluptatis ardorem, majore Chriſti amore reſtinguere, & laſciviæ jumentum franis inediæ ſubjugare; ut non libidinem, ſed cibos quærat & deſideret, & ſeſſorem Spiritum Sanctum moderato atque cōpoſito portet inceſſu.*

1. Timot. 5. Chryſ. in eum loc.

Ac Sacerdotes quidem ſibi omninò dictum putent, quod Apoſtolus Paulus, Timotheo diſcipulo & Sacerdoti ſcribit; *Teipſum caſtum cuſtodi.* Ubi de pudicitia illi ſermo eſt, inquit Chryſoſt. Et fuit ea ab antiquis Apoſtolorum temporibus in Eccleſia conſuetudo, ut non niſi continentes ad ejus miniſteria aſſumerentur. Cujus locuples teſtis

Hier. ep. 50

eſt D. Hier. *Apoſtoli,* ait, *vel Virgines, vel poſt nuptias continentes, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum pudici.* Sed nonne hæc loquitur de conſuetudine Eccleſiæ Occidentalis? Non; nam adverſus

Idem cont. Vigilant.

Vigilantium agens: *Quid,* inquit, *facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti, & ſedis Apoſtolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſierunt? Et qui ſe norunt* (ut alibi

Digitized by Google

alibi ait) *hoſtias offerre non poſſe, ſi operi inſerviāt cōjugali?* Teſtis ejuſdem rei D. Epiphan. *Sanctum,* inquit, *Sacerdotium ex virginibus quidem, utplurimum, procedēs; ſi verò non ex virginibus, at ex ſolitariam vitam agentibus; ſi verò hi non ſuffecerint, ad miniſteriū hi qui continent à propriis uxoribus accipiuntur,* &c. Epi. 50. ad Pammach. In compen. lib. 3.

In Conc. autem Arelat. cautum eſt, neminem aſſumendum ad Sacerdotium conjugij vinculo obligatum, niſi ſpopondiſſet converſionem, (continentiam ſcilicet ab uxore) licèt ſicut mater & avia, ſoror vel filia, converſæ uxori caſtè habitare cum viro ab eodem permiſſa ſit; ſed id præter conſuetudinem Eccleſiaſticam, de qua Gregor. Turon. ſic teſtatur; apud Arvernum poſt Aſtremonium Epiſcopum primus fuit Urbicus, ex Senatoribus converſus, uxorem habens; quæ juxta conſuetudinem Eccleſiaſticam, remota à conſortio Sacerdotis, religioſè vivebat. Arel. 2. c. 2. & 3. Hiſt. Franc. lib. 1. c. 44.

Quod autem attinet ad Canonem Nicænum, eum Patres inviolatum cuſtodierunt, cujus auctoritate nixus D. Baſil. non permiſit ſeptuagenarium ſenem habitantem ſecum habere mulierem: *Sed,* inquit, *ejice illam ex ædibus tuis, & trade in monaſterium. Sit illa cum Virginibus, tu inter viros miniſtra.* Idque ex præſcripto Nicæni Canonis; nam ait, *Lege Canonem à Patribus noſtris in Nicæna Synodo conſtitutum, qui manifeſtè interdixit, ne quis mulierculam ſubintroductam habeat.* De Urſino Presbytero refert D. Gregor. in Dialog. quod ex tempore ordinationis acceptæ presbyteram ſuam ut ſororem diligens, ſed quaſi hoſtem cavens, ad ſe propius accedere nunquam ſinebat, eámque ſibimet nulla occaſione permittens, ab ea ſibi communionem Epiſt. 17. ad Pareg. in addit. Lib. 4. cap. 11.

fami

familiaritatis funditus abſciderat; & ne unquam per eam incurreret culpam, ſibi etiam per illam miniſtrari recuſabat neceſſaria. De eodem Urſino infrà MON. XII.

Lib. 1. c. 22. Lib. 2. ca. 8. Aut ergo falſa eſt Soſomeni & Socratis hiſtoria de Paphnutio; quomodo enim cæteris Patribus adverſari præſumpſiſſet, cùm conſtaret, nec ipſos Arianos ordinare conſueviſſe, quos noviſſent conjugio obligatos, ut teſtatur Epihan. Aut de illis tantum fuit controverſia, qui cùm ordinarentur inviti, conteſtati eſſent ſe non poſſe ſeſe continere; quibus ſic nihilominus ordinatis, ſi Ancyran. Cap. 9. Conc. haud diu ante proſpexerat, ut concederet eis ducere poſſe uxorem; quanto æquius indulſiſſe viſa eſſet Nic. Synod. ut quam ante ſuſceptos Ordines habuiſſent, ſecum retinere poſſent? Hos fortaſſe cùm ſatagerent aliquot Epiſcopi in parem cæteris continentiæ obſervationem reducere, ne id fieret, juſtè Paphnutius interceſſit.

Epiſt. 82. c. 4. Cæterum D. Leo, nec ipſis ſubdiaconis Græcorum Eccleſ. uxoribus uti permiſit, in epiſt. ad Anaſt. *Cùm extra Clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati, & procreationi liberorum ſtudere, ſit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, ne ſubdiaconis quidem carnale connubium conceditur, ut & qui habent, ſint tanquam non habentes, & qui* 1. Cor. 7. *non habent, permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc ordine qui quartus à capite eſt, dignũ eſt cuſtodiri, quantò magis in primo, aut ſecundo, vel tertio quoque ſervandũ eſt? Ne aut Levitico miniſterio, aut Presbyteri honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquã idoneus exiſtimetur, qui ſe ab uxoria voluptate necdũ frenaſſe detegitur.*

Quod autem dicitur à quodam Canone Apoſt.

&

& à Gregor. &c. ut uxorem Epiſcopus, Presbyter, &c. non relinquat, non ſic intelligendum, ut dent operam liberis procreandis, illíſque utantur ; ſed ut earum curam gerant, quomodo Apoſt. *Si quis ſuorum, &c. curam non habet, &c.* Hæc tamen omnia à majoribus ſancita & firmata, Epiſcopi qui poſt abſolutam ſextam Synodum, uſurpato tamen ejuſdem Synodi nomine, privato conventiculo convenêre, labefactârunt, ac penitus everterunt. De qua re vide Baron. 1. Tim. 5. Tom. 1. an. Chriſt. 58.

Attende quid ſcribat Innocent. I. Pontifex Max. ad Exuperium Tholoſ. *Propoſuiſti,* inquit, *quid de his obſervari debeat, quos in Diaconij miniſterio, aut in Presbyterij officio poſitos, incontinentes eſſe aut fuiſſe, generati filij prodiderunt. De his & Divinarum legum manifeſta eſt diſciplina, & beatæ recordationis viri Siricij Epiſcopi monita evidentia commeârunt, ut incontinẽtes in officiis talibus poſiti, omni Eccleſiaſtico honore privarentur, nec admitterentur accedere ad miniſterium, quod ſola continentia oportet impleri. Eſt enim vetus admodum ſacræ legis authoritas, jam inde ab initio cuſtodita, quod in templo anno vicis ſuæ habitare præcepti ſunt Sacerdotes, ut ſerviẽtes ſacris oblationibus, puros & ab omni labe purgatos, ſibi vendicent Divina miniſteria, neque eos ad Sacrificia fas ſit admitti, qui exercẽt vel cum uxore carnale conſortiũ, quia ſcriptum eſt, Sancti eſtote, quoniã ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter. Quibus utique propter ſobolis ſucceſſionem uxorius uſus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere. Quãtò magis hi Sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſervare debent, quibus vel Sacerdotium, vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt ; nec præterit* Epiſt. 3. c. 1. Luc. 2. 1. Paral. 24. Ibidem. Lev. 10. 20.

dies,

Digitized by Google

dies, qua vel à ſacrificiis Divinis, vel à Baptiſmatis
1. Cor. 7. *officio vacent? Nam ſi B. Paul. Apoſt. ad Corinth. ſcribit dicens; Abſtinete vos ad tempus, ut vacetis orationi: & hoc utique Laicis præcepit, multò magis Sacerdotes, quibus & orandi, & ſacrificādi juge officium eſt, ſemper debebunt ab hujuſmodi conſortio abſtinere. Qui ſi contaminatus fuerit carnali concupiſcentia, quo pudore vel ſacrificare uſurpabit? aut qua conſcientia, quove merito*
Tit. 1. *exaudiri ſe credit? quum dictum ſit; Omnia mūda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mūdum.*

In c. 1. Luc. Similia habet V. Beda; *Pontifices vicis ſuæ tempore*, inquit, *Templi tantum officiis mancipati, non ſolùm à complexu uxorum, ſed ab ipſo quoque domorum ſuarum ingreſſu abſtinebant. Ubi noſtri temporis Sacerdotibus, quibus ſemper altari ſervire jubetur, perpetuò ſervandæ caſtitatis præbetur exemplum. Quia enim tunc Sacerdotalis ex ſtirpe Aaron ſucceſſio quærebatur, neceſſariò tempus ſubſtituendæ proli procurabatur. At quia nunc non carnalis ſucceſſio, ſed perfectio ſpiritalis inquiritur, conſequenter Sacerdotibus, ut ſemper altari queant adſiſtere, ſemper ab uxoribus continendum, ſemper caſtitas obſervanda præcipitur.* Sic & ante eum D. Leo *ſer. 2. de Anniverſ. ſui Pontific.* dicit, quod *Sacramentum ſacerdotij novi teſtamenti, non currit per generationum tramitem, ſed ceſſante privilegio patrum & familiarum ordine prætermiſſo, illos accipit Eccleſia, quos Spiritus ſanctus præparavit,* &c.

In Evang. Ecce nos reliquimus omnia. Queritur de malis Sacerdotibus D. Bern. *Regnat in multis, & multipliciter fornicatio, qui puritatis auctori, impuro corde & corpore miniſtrantes, non verentur ſtare Angelum Dei, qui ſecet eos medios, & diſperdat. Sed omninò audent agni immaculati ſacras contingere carnes, & intingere in ſaguinem Salvatoris manus*

nefa-

nefarias, quibus paulò antè carnes proh dolor, meretricias attrectârunt; ſic altaria circuire, ſic frequentare pſalmos, cum & ejuſmodi laus execrabilis, & oratio ſit in peccatum. Quâ re, inquit S.Chryſoſt. *mundiorem eſſe non oportet eum, qui hoc ſacrificio participaturus eſt? quos radios ſolares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat? Os quod igne impletur ſpirituali? Lingua, quæ cruentatur hoc ſanguine? Non ſolum,* ait D.Hier. *ab immundo opere abſtineat; ſed etiam à jactu oculi, & cogitationis errore, mens Chriſti corpus confectura ſit libera* Et ad Fabiol. de veſtitu Sacerd. *Ego,* inq. *ſi fecero, ſi dixero quippiam quod reprehenſione dignum eſt, de ſanctis egredior, & polluo vocabulum Chriſti, in quo mihi blandior: quanto magis Pontifex & Epiſcopus, quem oportet eſſe ſine crimine; tantarũque virtutum, ut ſemper moretur in ſanctis, & paratus ſit victimas offerre pro populo; ſequeſter Dei & hominum, & carnes agni ſacro ore conficiens, quia ſanctum oleum Dei ſuper eum eſt: non egredietur de ſancto, ne veſtimentum quo indutus eſt, polluat. Quotquot enim in Chriſto baptiſati ſumus, Chriſtum induimus. Servemus tunicam quam accepimus. Sanctam cuſtodiamus in ſancto.* Ita Hieron.

Homil. 83. in Matth.

In 1. cap. ad Tit.

Audiant Sacerdotes verba religioſiſſimi viri Th.Kemp. & altè imprimant; *O quàm magnum, & honorabile eſt officium Sacerdotum, quibus datum eſt Dominũ Majeſtatis verbis ſacris cõſecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio ſumere, & cæteris miniſtrare. O quàm mundæ debent eſſe illæ manus, quàm purum os, quàm ſanctum corpus, quàm immaculatum erit cor Sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis? Ex ore Sacerdotis nil niſi ſanctum, nil niſi honeſtũ, & utile procedere debet verbũ, qui tã*

Lib. 4. c. 11. de Im. Chr.

Digitized by Google

ſæpe Chriſti accipit Sacramẽtum. Oculi ejus ſimplices & pudici, qui Chriſti corpus ſolẽt intueri. Manus puræ
Levit. 19. 20. *& in cœlum elevatæ, quæ creatorem cœli & terræ ſolent cõtrectare. Sacerdotibus in lege ſpecialiter dicitur; Sãcti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter.*

MONITUM X.

Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.

Hebr. 13.

HIc locus ad illos pertinet, qui Matrimonij vinculo conjuncti ſunt, ut illo rectè ac legitimè utantur; quem explicans D. Aug. *Honorabile,* inquit, *connubium in omnibus, ad illud propriè pertinentibus bonis; & thorus immaculatus, non ſolum à fornicationibus & adulteriis, quæ ſunt flagitia dãnabilia; verumetiam ab illis exceſſibus concumbendi, quæ non fiunt cauſa prolis, voluntate dominante, ſed cauſa voluptatis, vincente libidine; quæ ſunt in conjugatis peccata venialia.* Et alibi idem Apoſt. ita conjugatos hortatur; *Sciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere* (uxorem intelligit D. Aug. variis locis) *in ſanctificatione, non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum; & ne quis ſupergrediatur* (excedendo limites Matrim.) *neque circumveniat in negotio fratrem ſuum,* (uxorem ejus ad ſe pelliciendo) *quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus.* D. Aug. ita monet conjugatos; *Nihil in lecto turpiter agas, nec excedas ultra conceſſam libidinem in lege Dei; ſit caſtus cum conjuge thorus, & ſi eſt cura propagandi liberos,*

Li. de nup. capit. 24. — 1. Theſſ. 4. — De nupt. li. 1. cap. 8. Enchir. 78. in Julian. lib. 5. cap. 7. Fulgent. epiſt. 1. ca. 3. Gregor. in Paſt. p. 3. adm. 28. — In Pſalm. 146.

ros, non ſit effrænata luxuries libidinum. Defer in lecto tuo conjugi tuæ honorem, quia membra Chriſti eſtis ambo; ambo ab illo conditi, ambo ſanguine ipſius reparati.

Mater omnium vitiorum incontinentia, ait D. Ambroſ. *quæ etiam licita vertat in vitium; ideóque Apoſtolus non ſolum à fornicatione nos retrahit, verum etiam in ipſis coniugiis modum quendam docet, & tempora præſcribit orandi. Intemperans enim in coniugio, quid aliud niſi quidam adulter uxoris eſt? Hic Ambroſ.* inquit Aug. *incontinentiam dicit etiam licita vertere in vitium: & licet licitum demonſtret eſſe connubium, in ipſo tamen non vult fœdari quod licitum eſt. Noverat in ipſis coniugibus luxuriam eſſe abutendi intemperantiam, quod Tobiæ teſtatur oratio, quando copulatus eſt uxori. Ait enim; Domine tu ſcis quod non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam coniugem, ſed ſola poſteritatis dilectione.*

Apud Aug. lib. 2. in Jul. cap. 7.
1. Cor. 7.
Ibidem.
Aug. de doct. Chr. lib. 3. cap. 18.
Tob. 8.

In aliena uxore, inquit D. Hier. *omnis amor turpis eſt; in ſua nimius. Sapiens vir debet iudicio amare coniugem, non affectu; reget impetus voluptatis, non præceps feretur in coitum. Nihil eſt fœdius quàm uxorem amare, quaſi adulteram. Refert Seneca cognoviſſe ſe ornatum quendam hominem, qui exiturus in publicum, faſcia uxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præſentia eius carere poterat, potionemque nullam niſi alterius tactam labris, vir & uxor hauriebant. Origo quidem amoris honeſta erat, ſed magnitudo deformis. Nihil autem intereſt, quàm ex honeſta cauſa quis inſaniat. Unde & Xyſtus Pythagoricus; Adulter eſt, inquit, in ſuam uxorem amator ardentior.*

Li. 1. in Jovinian.

D. Aug. tractans illud Apoſtoli, *Sciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificat.* &c. *Si immoderatius*, ait, *uxore tua uſus fueris, tametſi re tua utaris;*

Ser. 1. Nov.
1. Theſſ. 4.

utaris; tamen re conceſſa immoderatius utendo, corrumpis in te templum Dei. Nam & vinum de apotheca tua bibis, & tamen ſi ſic bibis ut inebrieris, non quia re tua uſus es, ideo non peccaſti; domum enim Dei ad corruptionem tuam convertiſti. Sapienter ergo reſpondit S.Ægidius, ſocius S.Franciſci, cuidam ſeculari, glorianti quod caſtè viveret, fidemque uxori ſervaret; *An ex ſuo quoque ipſius dolio,* inquit, *non poteſt aliquis ebrius fieri?*

In lib. ſentent.eius, cap.8.

Qualis olim fuerit caſtitas conjugatorum Chriſtianorum, demonſtrat his verbis Athenagoras Philoſophus Chriſtianus; *Uxorem, quam ſecundum approbatas nobis leges ſibi quiſque duxerit, reputat non in alium, quam in procreandæ ſobolis finem. Quemadmodum enim agricola poſtquam ſemina terræ mandavit, meſſis tempus exſpectat, nec alia ſuperiniicit: ſic nobis etiam concupiſcentiæ modus liberorum procreatione definitur.* Et D.Aug. *Pudicitia,* inquit, *conjugalis, quæ ultra quàm generandis filiis ſatis eſt, corpus conjugis non attrectat, gravidis non utitur fœminis, nec ejus ætatis, qua certum eſt, eas jam concipere non valere.* De Zenobia Palmyrenorum Regina (quæ ex Judæis orta, & Chriſtianis literis exculta, Chriſtiana fuiſſe credenda eſt) ſcribit Trebel. Pollio, eam tam admirabilis fuiſſe caſtitatis, ut ne virum quidem ſuum ſciret, niſi tentatis conceptionibus, ac prægnantem factam, ab eo temperaſſe. Talem fuiſſe ſolitam Chriſtianorum continentiam, tradit Tertullian.

In Apolog. pro Chriſt.

Lib.3. in Iulian. cap. 21.

De 30.Tyran. in Zen.

Virgilius, in Appendice.

Vina ſitim ſedent, natis Venus alma creandis
Sufficit, hos fines tranſiliiſſe nocet.

Sed multa humanæ infirmitati permittuntur, ne homines in libidinem proni graviora committant.

tant. Unde ſecundum veniam concedit Apoſtol. uti matrimonio ob continentiam, quia videlicet, carnis fragilitas carere illa voluptate non poteſt; unde culpa agnoſcitur, alioqui locus non eſſet veniæ. *Infirmitas incontinentiæ*, inquit Aug. *ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honeſtate nuptiarum.* Et alibi; *Tantum valet ordinatio creatoris, & ordo naturæ, ut in rebus ad utendum conceſſis, etiam cum modus exceditur, longè ſit tolerabilius, quam in eis quæ conceſſa non ſunt, vel unus, vel rarus exceſſus. Et ideo in re conceſſa immoderatio, ne in rem non conceſſam libido prorumpat, toleranda eſt. Hinc eſt etiam quod longè minus peccat, quamlibet aſſiduus ad uxorem, quàm vel rariſſimus ad fornicationem.* D. Aug. tractans luſum Iſaac cum uxore ſua: *Hoc*, inquit, *Sancti cùm faciunt, non inaniter faciunt, ſed prudēter; deſcendunt enim quodammodo ad feminei ſexus infirmitatem, ut aliquid blanda hilaritate vel dicant, vel faciāt; non enervantes, ſed tēperantes virilem rigorē. Quod tamen ei quæ uxor non eſt, qui dixerit aut fecerit, turpis eſt. Hinc enim Rex cognovit ejus eſſe uxorē, quòd cū ea quæ conjunx non eſt, ſic ludere non deceret.*

Lib. 1. de Nupt. c. 16. Ench. 78. cont. Iulia. lib. 5. ca 7. Libro 1. de Nup. ca. 16. de bono conjug. cà. 11.

Geneſ. 26. cont. Fauſt. lib. 22. ca. 46.

Graviter conqueritur D. Aug. de nimia licentia libidinum in viris. *Quis*, inquit, *ad Iudicem ductus eſt, quia meretricis lupanar intravit? Quis aliquando in publicis Tribunalibus accuſatus eſt, quia per ſuas hiſtrias laſcivus immunduſque defluxit? Quis aliquando habens uxorem, quia ancillam vitiavit, crimen invenit? ſed in foro, non in cœlo; in lege mundi, non in lege creatoris mundi.* Et S. Hieronym. *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur, & ſolo ſtupro atque adulterio*

Serm. 4. de verb. Apo.

In Epitaph. Fabiolæ.

condemnato, paſſim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur. Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.

Hinc eſt illa Ælij Veri Cæſaris, quem Hadrianus, ut in Imperiũ ſuccederet, adoptaverat, in uxorem ſuam de extraneis voluptatibus conquerentem, dicta ſententia; *Uxorem dignitatis nomen eſſe, non voluptatis.* Perinde ac ſi ad voluptatem liceret viris ſe aliis admiſcere. Sed illo æquior Antonius Imperat. qui legem Juliam in viros quoque impudicos armavit. Quem eo nomine etiam S. Aug. laudat. Conſtituit enim Antonius, ut uxorem maritus de adulterij crimine accuſare non ſinatur, cui moribus ſuis non præbuit caſtitatis exemplum: ita ut ambo damnentur, ſi ambos pariter impudicos, conflictus ipſe convicerit. *Periniquum enim,* inquit Imperator, *mihi videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibet. Sed indignantur viri,* ait Aug. *ſi audiant adulteros viros pendere ſimiles adulteris fœminis pœnas, cum tantò gravius puniri eos oportuerit, quantò magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Chriſtianis equidem loquor, qui fideliter audiunt, Caput mulieris, vir: ubi ſe agnoſcunt duces, illas autem comites eſſe debere: Et ideo cavendum viro illac ire vivendo, quà timet ne uxor ſequatur imitando.*

Lib. 2. cap. 8. de adult. conjug.

Apud Gregorianum Iureconſul. Ibid. de adult. coni.

1. Cor. 11.

Græcis & Romanis pariter factitatum eſt, ut uxorem quam quis duxiſſet, etiam ſublatis liberis, aliis dare uſuariam, ex qua liberi gignantur: mox illam vendicare, legibus & moribus permiſſum fuiſſe ſcribit Alexand. ab Alex. Sic Cato Martiam uxorem amico dedit, Socrates Xantippen. Id etiam apud alias nationes in more fuiſſe, tradit Pius

Lib. 1. Gen. dier. Vide Salvian lib. 8. de Iud. & provid.

In deſcript Aſiæ, c. 17.

Digitized by Google

Pius 2. Verum id nunquam licere, docet Auguſt. Recipere autem adulterum vel adulteram pœnitentem, charitati conſentaneum eſt. *Cur enim,* inquit idem Aug. *vir fidelis non recipiet uxorem, quam recipit Eccleſia? Aut cur uxor viro adultero, ſed pœnitenti, non ignoſcet, cui etiam ignovit Chriſtus?* Debet ignoſcere maritus vel uxor, quod ignovit Dominus, *nec iam debet dici adulter vel adultera, cuius pœnitentis crimen Divina miſeratione deletum eſt.* Statutum eſt in Conc. Arelat. *Si vir ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitẽtiam, ſed permanet in fornicatione, & vixerit cum ea, reus erit, & ejus peccati particeps. Quod ſi mulier dimiſſa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum ſuum reverti, debet, ſed non ſæpe, recipere peccatricem.* Sic & Salomon dicit; *Qui tenet adulteram,* videlicet impœnitentem ac perſeverantem in crimine, *ſtultus & inſipiens eſt.* Vide lib. 5. Decr. titulo de adult. & ſtup. ca. Si vir.

De bono coniug. cap. 18. De adulr. coniug. li. 2. cap. 6. & 9.

Prov. 18. Aug. lib. 1. Retract. cap. 19.

MONITUM XI.

Fugite fornicationem.

1. Cor. 6.

FOrnicatio propriè eſt ſoluti cum ſoluta concubitus extra Matrimonium. Quam Diabolus carnalibus perſuadere conatur, non eſſe peccatum, ſaltem mortiferum, ut ita liberius peccare audeant, nec metu futurorum ſuppliciorum crucientur. Contra clariſſimas Scripturas. Ita enim monet filium Tobias; *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam, nunquam patiaris crimen ſcire.* Ubi

Tob. 4.

fornicationem crimen vocat,quo nomine in Scri-
1.Cor.6. ptura peccatum mortale ſignificatur. Et Apoſto-
Hebr.13. lus : *Fornicarij*, inquit,*regnum Dei non poſſidebunt.*
Epheſ. 5. Et,*Fornicatores judicabit*, id eſt,condemnabit *Deus.*
Apocal.21. Et,*Omnis fornicator & immundus non habet hæredi-
tatem in regno Dei.* Et Joannes in Apocal. *Forni-
catoribus pars erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure,
quod eſt mors ſecunda.*

De detrach. *Noli dicere*,inquit S.Aug.*Uxorē non habeo, facio
cap.10. quod volo,ad meretricem vado.Noſti pretium tuum,
De verb. noſti quò accedis;quid manduces, quid bibas;imò quem
Dom.ſerm manduces,quem bibas.Sed cui facio injuriam? Si non
16. 1. Corin.3. homini,tamen quod gravius, ipſi Deo. Quomodo ipſi
Deo? corrumpendo in te templum Dei.Neſcitis,inquit
Apoſt.quia templum Dei eſtis? Si quis autem tem-
plum Dei violaverit,diſperdet illum Deus. Deinde
faciendo membra Chriſti,membra meretricis. Dicit
1. Corin.6. enim idem Apoſt. Neſcitis quia corpora veſtra mem-
bra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam
Serm.40. membra meretricis. Non potuit*,ait Aug.*gravius di-
in Nov. cere,non vehementius, non acrius deterrere Chriſtia-
nos ab amore fornicationum. Attende ergo in te mem-
Geneſ.1. bra Chriſti, qui emptus es ſanguine Chriſti. Deinde
corrūpis in te Imaginē Dei;ad imaginem quippe Dei
factus eſt homo.Si quis lapidaret imaginē tuā,quæ in
De verb. domo tua inaniter poſita eſt,ad vanū honorē tuum,*ait
Dom.ibi. idem Aug.*nec ſentiēs,nec loquēs,nec vidēs,nōne in te
contumeliā factā attendis? Cum verò imaginem Dei,
quod tu es, corrumpis in te,per fornicationes & diſ-
fluentias libidinis , nulli te injuriam facere putas?*

Poſtremò in animam ſuam peccat, qui forni-
catur , quam pro modica delectatione carnis,
æternis obligat incendiis.Simul etiam & corpus,
ut

utpote flagitiorum ſocium. *Non enim poſſunt ſeparari in mercede,* inquit Tertull. *quas opera conjungit*; loquens de carne & anima. Omitto, quod etiam nunc *in proprium corpus peccat*, ut ait Apoſt. *quoniam*, ut id D. Ambr. explicat, *ſeminaria quæ debent ſoboli ſufficere procreandæ, inquinamentum corporis, non fructum poſteritatis operantur. Deinde quia infirmatur caro, quæ in libidinibus diffluit, & non ſervat moderamina caſtitatis. Soluit enim Venus corpora, vireſque evervat ac frangit*; ex quo illud eſt verè dictum; *Libidinoſa & intemperans adoleſcentia effætum corpus tradit ſenectuti. Et, quæ confectio valetudinis, quæ deformatio coloris eſt ac membrorum, quæ non evocetur ac eliciatur huius generis voluptate?* Non quod parciore Veneris uſu ſemper fiat, præſertim intra conjugalis pudicitiæ fines, ubi quæritur prolis præcipuè bonum; ſed quod immoderata per ſeſe libido tranſilit facillimè bonæ valetudinis limites, facilius ut fuerit ea non uti, quàm poſtquam fræna laxaveris, modum aliquẽ conſervare.

De car. reſurrect.

1. Corint. 6

Ambroſ. in Pſalm. 37.

Cicero de Senectut.

Quando autem hortatur Paulus, *Fugite fornicationem*, non ſolum prohibet actus conſummationem, ſed etiam monet vitare initia, & quæcumque ad eum ducunt ac præparant; ut in primis eſt concupiſcentia interior, de qua Chriſtus, *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* De qua & S. Hieronym. *Væ nobis, qui quoties concupiſcimus, toties fornicamur.* Laudanda continentia Alexandri Magni, de quo D. Baſil. quod *noluit conſpicere Darij regis filias forma inſigni*; *ſciens*, ait Baſil. *culpam eſſe, aſpiciendo concupiſcere mulierem, etſi opere non compleret. Imò voluntas ſe oblectandi, etiam ſine voluntate operandi damna*

1. Cor. 6.

Matth. 5.

In epiſtol. ad Ruſtic.

Homil. 24.

De Trinit. lib. 12. cap. 12.

Digitized by Google

damnat hominem, inquit S. Auguſt.

Epiſt.109. Prohibet & aſpectus illicitos,de quibus S.Au-
guſt.*Non dicatis vos animos habere pudicos,ſi oculos*
habeatis impudicos, quia impudicus oculus, impudici
Matth.5. *cordis eſt nuntius.* Hunc eruendum monet Chriſtus
in Evang.& projiciendum à ſe. Democritus Phi-
In Apolog. loſophus oculos ſibi eruit,quia mulieres ſine con-
capit.46. cupiſcentia videre non poterat, & doleret ſi non
iis potitus eſſet.*Sed Chriſtianus*, inquit Tertull.*ſal-*
vis oculis fœminam videt, & animo adverſus libidi-
Valer.lib. *nem cæcus eſt*. Legem Zaleucus tulit Locrenſibus,
6.capit.5. ut adulter oculis orbaretur; juſtiſſimè,quia ii ferè
ad hoc crimen illices ſunt,aut duces.*Oculus mere-*
tricis laqueus amatoris,inquit Ambr. lib.4. in Luc.
Et alius : *Legatus amoris,adulter oculus.* Et ;

Riſit, & arguto quiddam promiſit ocello.

Lib.14. hiſt. Prohibet etiam laſciva oſcula , quæ *prænun-*
tias flagitij illecebras vocat Tacitus ; *Oſculum mu-*
De vera Virginit. *lieris eſt pignus quoddam Veneris*,ait S.Amb.Caven-
da admonet D. Baſil. *non ſecus quàm venenatorum*
Romã. 16. *animalium morſus; diffunditur enim venenum ex oſ-*
1.Cor.16. *culo per omne corpus.Oſculum, pars adulterij eſt*,inq.
Cic. *Et alienæ fœminæ infixum oſculum,rationis eſt*
verbere vindicare,ait Aug. de Civit. lib.21.cap.2.
Oſculo ſancto ſalutabant olim ſe mutuo Chriſtia-
ni,juxta præceptum Apoſtoli:id erat oſculum ca-
ſtum,ſincerum,non ſimulatum, ut Iudæ traditoris;
ſed mutuæ pacis ac reconciliationis ſignum. De
quo Athenagoras monet,*tam accuratè illud tempe-*
In orat.ad Chriſtian. *rare,ne ſi quo modo pauxillum mens polluta fuerit, ab*
æterna vos vita proſcribat Verbum, inquit. Et quo-
niam ſic etiam turpitudo aliquando irrepſiſſe vi-
deatur, uſus ille mutatus eſt.

Pro

Digitized by Google

Prohibet & reliquas voluptates tactus, quem dicit D.Baſil. *omnium ſenſuum eſſe pernitioſiſſimum, & ſæviſſimè blandientem.* Unde & in homine, & in omnibus animantibus Veneris initium eſt. De quibus S.Cypr. *Ipſe,* inquit, *concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio, & inoſculatio, & conjacentium duorum turpis fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitetur?* Loquitur autem de oſculo, & tactu, qui fit cauſa delectationis provenientis ex contactu carnis. Hinc Chriſtus, quod de aſpectu ſeu oculo impudico dixerat eruendum eſſe, quia nos in mortem æternam ruere facit; id quoque de manu, qua tactus ſignificatur, ſi ſcandalizat, abſcindendam ac projiciendam eſſe oſtendit. Corripuit quendam fratrem Jordanes 2.Generalis Prædicatorũ, quod dextrã dediſſet cuidã fœminæ. Cum ſe excuſaret, quod mulier ſancta eſſet; Reſpõdit Iordanes: *Pluvia bona eſt, & terra bona, tamẽ ex earum commixtione fit lutum quo cæteræ res fœdãtur. Sic & manus viri & fœminæ, licet bonæ ſint, ex mixtura tamẽ illarum facilè cogitatio vel affectio mala cõſurgit.* De vera Virginit. Li.1.ep.15. Matth.5.

Idem eſt judicium de *colloquiis pravis, quæ mores bonos corrumpunt* (quibus affinis turpis lectio, de qua Mon.19.) *Omnis fornicatio & immunditia,* inquit Apoſt. *nec nominetur in vobis.* Et, *Deponite turpem ſermonẽ de ore veſtrò. Paſcitur libido conviviis,* ait D.Amb. *majora ſunt his fomẽta verborum. Sermo laſcivus in animam caſtã, velut in undã puriſſimam conjectus, alias poſt alias amatorias cogitationes excitat,* inquit D.Baſil. *totamque animã voluptatis fluctibus agitat.* Unde monet D.Hier. *Nunquam verbũ inhoneſtum audias, vel ſi audieris, ne ineſceris: cavendæ verborũ dulcedines animam per aurẽ vulnerantes,* 1.Cor.15. Epheſ.5. Coloſſ.3. Lib.2. de pœnit.c.14 De vera Virginit. Hier.ad Demetr.& ad Gaudẽt.

perdita

perditæ mentes hominum, uno frequenter, levique ſermone tentant clauſtra pudicitiæ. Unde & Poëta Chriſtianus:

Baptiſta Mant.

Verba movent animos: oris laſcivia pectus
Pulſat, & in venas ſemina mortis agit.

Huc pertinet cantatio impurorum carminum, ſive voce, ſive inſtrumento muſico fiat. Veriſſimè dixit Cicero, lib. 2. de leg. *Mores labi ad mollitiem cum cantibus.* Unde & Hier. ad Furiam: *Fidicinas & pſaltrias, & ejuſmodi chorum Diaboli, quaſi mortifera ſirenarum carmina proturba ex ædibus tuis.* Eaſdem Reſcripto ſuſtulit Theodoſius, quaſi peſtes Reipub. Vide Baron. Tom. 1.

Lib. de jejuniis. Deinde etiam gulam prohibet, de qua Tertull. *Monſtrum eſſe libidinem ſine gula; appendices verò gulæ eſſe laſciviam, atque luxuriam. Tu das ſtimulos carni tuæ,* ait Orig. *tu eam adverſus ſpiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam carnibus ſatias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.* Sic & D. Hier. *Eſus carnium, & potus vini, ventriſque ſaturitas, ſeminarium libidinis eſt.* Unde & Comicus, cujus finis eſt humanos mores noſſe atque d ſcribere, dixit, *ſine Cerere & Baccho friget Venus.* Et Sen. *Amor juventâ gignitur: otio, luxu nutritur.*

Homil. 9. in Levit.

Li. 2. in Jovian.

In epiſt. ad Furiam.

Terent. in Eunucho.

In Octavia

Vide Mon. ſeq. Denique (ut plura alia omittam) vitandam monet nimiam cum fœminis familiaritatem ac conſuetudinem. Nam ut Sapiens ait; *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta ejus non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cum tetigerit eam.* Et, *Omni homini noli intendere in ſpecie, & in medio mulierum noli commorari; de veſtimentis enim procedit tinea,*

Proverb. 6.

Eccleſ. 41.

tinea, & à muliere iniquitas viri. Quantos leones domuit, inquit Cypr. *una mulicbris infirmitas delicata; quæ cum ſit vilis & miſera, de magnis prædam capit. Unde Salomon; pretium mulieris tantùm eſt unius panis, mulier autem pretioſas animas capit.* De ſingula. Cleric. Prov. 6.

Servandum poſtremò quod Nepotianum monet S. Hier. *Officij tui eſt non ſolum oculos caſtos ſervare, ſed & linguam. Nunquam de formis mulierum diſputes.* Et D. Proſp. invehitur in eos, qui fœminas deſcribunt: *Illa rudis eſt, illa dicacula; illa deformis, illa formoſa; alterius placet ornatus, geſtus alterius. Hæc enim & ſimilia colloquentes, ſuggerunt concupiſcentiæ ſuæ materiam, & niſi concupiſcentiæ morbo corrupti eſſent, nunquam vel loquerentur talia, vel audirent, quia non eos iſta corrumpunt, ſed corruptos oſtendunt.* De vit. cont. lib. 3. cap. 6. In Sacerdotes ſic facientes ita invehitur Poëta quidam pius.

Turpe Sacerdotē ſponſáſque, procóſque notare:
Sponte, ſed hæc aliis dicere, ſacrilegum.

Fugite ergo *fornicationem. Cum enim cætera vitia,* ait D. Aug. *concertatione vincantur, ſola luxuria ſuperatur fuga: ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam. Incerta victoria eſt inter hoſtilia arma pugnare; impoſſibilis liberatio eſt flammis circundari, nec ardere,* inquit Cyp. *Sicut magnes ferrum, ita fœmina virum attrahit,* ait Baſil. *Samſon fortis in Dalilæ molleſcit amplexibus. David ſanctus adulterio jungit homicidium. Salomon ſapiens, amator mulierum fuit,* inquit Hier. ad Euſtoc. De honeſt. mulier. c. 1. Eſt ſerm. 250. de Temp. De ſing. Cleric. c. 2. Vide Baſil. de vera Virginit.

Duo addam omnibus conſideranda ad faciliorem fœdæ libidinis deteſtationem ac fugam. 1. Verba D. Auguſt. *O quanta iniquitas, quanta perverſitas, ut animam quam Chriſtus ſuo ſacro ſangui-* De honeſt. Mulier. c. 3

ne

ne redemit, luxurioſus quiſque propter unius momenti delectationem libidinis, Diabolo peſſimo inimico ſuo vendat ac tradat. Verè nimium miſeranda & plangenda conditio eſt, ubi citò præterit quod delectat, & permanet ſine fine quod cruciat; ſub momento enim, libidinis impetus tranſit, & permanet ſine fine infelicis animæ opprobrium. 2. Remedia S. Greg. Nazianz. quibus carnem inſultantem coërcere ſolet, ut ipſemet teſtatur; *Venite,* inquit, *iam, & quidem magna copia, ſcelerum expiatrices lachrymæ, veni laborioſum tam mentis, quàm corporis pervigilium, ut flammæ meæ ardorem minuatis, fœtidamque vitiorum putredinem abſtergatis; venter ſatietatem ablegèt; genua humi flexa, obrigeſcant; cibique loco ſit cinis; aſperrimus ſaccus mollia membra undique tegat, vexatæque animæ ſuppetias ferat; veni triſtis cura, carnis domatrix, futura mihi ſupplicia ob oculos ponens.* Ita Nazianz.

In carmine adverſus carnem.

MONITUM XII.

O quàm pulchra eſt caſta generatio?

Sapient. 4.

BLandum eſt malum luxuria, ad quod ingenium omnium hominum proclive eſt, & quod accuſare aliquantò facilius eſt, quam vitare. Proponam ergo remedia quædam quibus Chriſtianus quiſque adverſus hoc malum ſe tueri poſſit. Ante omnia mulierum ei conſortium vitandum eſt; *Nihil enim periculoſius viro, quam mulier; nec mulieri quicquam periculoſius quàm vir; uterque ignis, uterque palea,* inquit D. Hier. Unde eſt illud Urſini Presbyteri animam agentis dictum ad mulierem ſibi propin

In Regula Monachar. ei aſcripta, cap. 18.

Digitized by Google

pinquantem: *Recede à me mulier, adhuc igniculus vivit, tolle paleam.* Refert D. Greg. in Dial. lib.4. cap.16. & lib.3.cap.7. narrans periculum Andreæ Epiſcopo Fũdano ex fœminæ cohabitatione creatum: *Qui corpus*, inq. *continentiæ dedicant, habitare cum fœminis non præſumant, ne ruina mentem tanto repentina ſurripiat, quanto ad hoc quod malè concupiſcitur, etiam præſentia concupitæ formæ famulatur. Cum fœmina ſemper eſſe, & fœminam non cognoſcere, plus eſt quàm mortuum ſuſcitare*, ait D. Bern. *Quod minus eſt, non potes; & quod maius eſt, vis credam tibi?* Serm. 65. in Cant.

Unde benè D. Hier. Nepotianum hortatur; *Hoſpitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant: Omnes puellas & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſeris, nec in præterita caſtitate confidas; nec Samſone fortior, nec Davide ſanctior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper quod Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecerit.* Sic & Aug. *Diabolus Iob uxorem reliquerat: noverat per quem deceperat Adam. Suam reliquerat adiutricem, non mariti conſolatricem.* In pſal.55. Eccleſiaſticus diligenter monuit; *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias eam, ne fortè pereas in efficacia illius. Virginem ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore illius. Noli circumſpicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. Averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Cum aliena muliere ne ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum; & non alterceris cum illa in vino, ne fortè declinet cor*

In epiſt. ad Nepot.

Eccleſia. 9:

tuum

Digitized by Google

tuum in illam,& ſanguine tuo labaris in perditionem.

Prov. 22. Salomon ait: *Fovea profunda os alienæ, cui iratus eſt Dominus, incidet in illam.* Per os intellige blanditias & illecebras verborum, vel etiam oſcula, geſtus, & ſigna vultus allicientis, per quæ viri ſæpè irretiuntur. Quod autem addit, *Cui iratus eſt Dominus*, &c. ſignificatur peccatum poſterius pœnam eſſe præcedentis, per quòd meretur à Deo deſeri, & præcipitari in illam foveam, unde difficilis exitus. B. Nilus virgines ſacras habentes juvenem Presbyterum, objurgans quòd ſimul habitarent, *neſcitis*, inquit, *hunc virum eſſe: vos fœminas? Si Deum non timetis, homines revereamini*, &c. ſed ridebant, ſtatim tamen innotuit, illum peccaſſe cum una, & quidem conſanguinea. Baro. to. 10. *Flammigero igne percutit fœmina conſcientiam pariter habitantis*, inquit S. Hier. Rectè dixit quidam Poëta;

Fœmina fax Sathanæ, fœtens roſa, dulce venenum;
Urit enim vultu, viſu, riſu, cute, cultu.
Hujus ab illecebris (ſapiens vis eſſe?) caveto.

In epiſt. ad Ruſtic. Deinde ut ſervetur caſtitas, vitandum eſt omne otium. *Facito*, ait Hier. *aliquid operis, ut te ſemper Diabolus occupatum inveniat*; ſuadetque ut tempus in certa opera diſtribuat, eáque diligenter peragat. *Tantis enim negotiis occupatus*, inquit, *nullis vacabis cogitationibus: & dum ab alio tranſis ad aliud, opuſque ſuccedit operi, illud ſolum mente tenebis, quod agere compelleris.* Sic & Greg. *Inter opera & labores contra ſtimulos carnis fortes ſumus, ſed otioſis nobis & negligentibus, aculei carnis inſurgunt, qui quaſi depoſitis Moyſi manibus, Iſraëlem vincunt. Cum enim duas res ſimul cogitare non poſſimus, fit ut aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda. Cedit amor rebus,*

In 1. Reg. lib. 6. c. 1.

Ovid. lib. 1. Amor.

ait

Digitized by Google

ait Poëta, *res age, tutus eris.*

Deſidiam puer ille ſequi ſolet, odit agentes;
Dat vacuæ menti, quo teneatur, opus.
Quæritur Ægyſthus quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

Definitio amoris hæc eſt, ait S. Chryſoſt. *animæ vacantis paſſio*; ideóque fœminam facilius in fornicationem incidere, quam in alia peccata, ob vacantiam & otium. Apoſt. in epiſt. in viris ac fœminis ſæpè reprehendit otium; ut multorum malorum cauſam. *Multam malitiam docuit otioſitas*, ait Sap. Et, *Deſideria occidunt pigrum*. Catonis quoque apophthegma eſt; *Nihil agendo, malè agere diſcimus.* Scribit D. Bern. *Otium eſſe ſentinam omnium tentationum, & cogitationum; tum inutilium; tum malarum; denique ſummam eſſe mentis malitiam.* Homil. 40. in Matth. 1. Theſſ. 4. 2. Theſſ. 3. 1. Tim. 5. Eccleſ. 33. Prov. 21. Ad fratres de monte.

Inter cauſas iniquitatis populi Sodomorum, qui *erant homines peſſimi, & peccatores coràm Domino nimis*, ut ait Script. numerat Propheta etiam otium: *Hæc fuit*, inquit, *iniquitas Sodomorũ, Superbia, Abundantia, Otium*, &c. Ad domandam carnem rebellantem D. Hilar. maximè abſtinentiæ & laboris remedio uſus eſt. *Ego, aſelle*, ait ad corpus, *faciã ut non calcitres, nec te hordeo alam, ſed palea; fame te conficiã & ſiti; gravi onerabo pondere, per æſtus agam & frigora, ut cibum potius quàm laſciviam cogites.* Rectè quidam Sapiens agens de tentationibus, earúmque remediis; *Obſiſtet*, inquit, *inolita conſuetudo, ſed meliore conſuetudine devincetur. Remurmurabit caro, ſed ſpiritus fervore refrenabitur. Inſtigabit te, & exacerbabit ſerpens antiquus, ſed oratione fugabitur, & labore utili magnus ei aditus obſtruetur.* Scribit etiã D. Hier. Ægyptiorum Monaſteria hunc morem tenuiſſe, Geneſ. 13. Ezech. 16. Hieron. in vita Hilar. Kemp. lib. 3. de Imit. cap. 13. In epiſt. ad Ruſtic.

ut nullum abſque operis labore ſuſciperent, non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem.

Tertium contra luxuriam remedium eſt, Abſtinentia, atque Sobrietas. Comeſſatio & ebrietas ideo præcepto, *Non mœcharis*, etiam prohibita dicuntur, quòd libidinem provocent. Unde & Apoſtolus poſt multam de re Venerea tractationem,

Epheſ. 5. ſubdit: *Et nolite inebriari vino in quo eſt luxuria. Non mirum*, inquit Hier. ad Furiam, *hoc figulum ſenſiſſe de vaſculo, quod ipſe fabricatus eſt*. Unde Sapiens Prov. 20. *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas*. Id eſt, tales faciunt, *quicunque his delectatur, non erit ſapiens*. Et Jeremias utrumque con-

Jerem. 5. Epiſtol. 15. jungens: *Saturati ſunt*, inquit, *& mœchati ſunt. Cibo flamma alitur, & deficit*, ait D. Ambr. *Siquidem fœnum, ſtipula, lignum, oleum, aliáque ejuſmodi alimenta ignis ſunt, quibus paſcitur. Ea ſi detrahas, vel non ſuggeras, etiam ignis ſopitur. Similiter ergo vapor corporis cibo alitur, aut minuitur, cibo excitatur, cibo ſolvitur; luxuria igitur mater libidinis eſt.*

Lib. 2. in Jovinian. Ipſe Plato (ut aſſerit Hier.) ut vacare poſſet Philoſophiæ, elegit Academicam villam ab urbe procul, non ſolùm deſertam, ſed & peſtilentem, *ut cura & aſſiduitate morborum, libidinis impetus frangeretur, diſcipulique ſui nullam aliam ſentirent voluptatem, niſi earum rerum quas diſcerent*. Vel ut D. Baſil.

Homil. 24. *ut nimis commodam corporis affectionem ac valetudinem, quaſi quandam vitis luxuriam amputaret*. Qui

Ibidem. & illud Pythagoræ memoria repetendum monet, qui ex familiaribus quendam, cum cognoviſſet exercitationibus, epulíſque diſtendi: *Non deſinis*, inquit, *difficiliorem quotidie ac moleſtiorem tibi*

carce

Digitized by Google

carcerem parare? Sic & S. Auguſt. monet: *Creatura panis & vini reſtrictius utendum eſſe, ne ipſa quoque concupiſcentia, quod malum intus ac noſtrum eſt, mentem corruptibili corpore ex abundantiore materia multò magis aggravante, adverſus nos vehementius & invictius concitetur.* Cont. Iulian. lib. 3. cap. 20.

De abſtinentia, inquit D. Leo, *prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia: & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentiis moritur, virtutibus ſpiritus innovatur. Abſtineo à vino*, ait S. Bern. *quia in vino luxuria eſt; aut ſi infirmus ſum, modico utor, juxta conſilium Apoſtoli. Abſtineo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, ſimul & carnis nutriant vitia. Panem ipſum cum menſura ſumere ſtudebo, ne onerato ventre ſtare ad orationem tædeat, & ne audiam illud prophetæ, quod panem comederim in ſaturitate. Sed ne ſimplici quidem aqua ingurgitare conſueſcam, ne diſtenſio ventris, uſque ad titillationem pertingat libidinis.* Sic Bernardus. Serm. 2. de ieiun. 10. menſ. Serm. 66. in Cant. Epheſ. 5. 1. Tim. 5.

Ingratum & nequam mancipium corpus, quò liberalius tractatur, eò fit rebellius; caſtigatione & dura tractatione fit obſequentius & paratius. *Qui delicatè nutrit ſervum ſuum*, ait Sapiens, *poſtea ſentiet eum contumacem*, quod ſecundum myſticum ſenſum de corpore intelligitur. *Unde & ipſe Apoſtolus vas electionis, ob carnis aculeos & incentiva vitiorum reprimit corpus ſuum* (jejuniis, abſtinentia, ſobrietate & ſimilibus) *& ſervituti ſubjicit, ne aliis prædicans ipſe reprobus inveniatur.* Rectè S. Aug. *Qui continentia quadam & laboribus quaſi perſequi videntur corpora ſua, non id agunt, ut non habeant corpus, ſed ut habeant ſubjugatum, & paratum ad opera neceſſaria; conſuetudines enim & inclinationes animi ad fruendũ* Prover. 29. Hieron. ad Ruſtic. 1. Cor. 9. Actor. 9. Lib. 1. de Doctrina Chriſtian. cap. 24.

inferioribus, per ipſam corporis laborioſam quandam militiam extinguere affectant. Nam non ſe interimunt, ſed curam ſuæ valetudinis gerunt. Certa eſt enim ſententia Apoſt. Nemo carnem ſuam odio habet, ſed nutrit & fovet eam. Non utique ad vitia, inquit D. Leo, *non ad luxuriam, ſed ad debitum eſt alenda & fovenda famulatum, ut teneat ordinem ſuum renovata natura, nec perverſè ac turpiter ſuperioribus inferiora prævaleant, & ibi fiat ſervitus, ubi debeat eſſe dominatus.*

Epheſ. 5. Serm. 1. de Reſurrect.

Familiare fuit ſanctis ad caſtitatem ſervandam corpus affligere. Quomodo Judith cilicio, jejuniis, orationibus. Anna vidua jejuniis, vigiliis, orationibus. Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat. Juſtina, jejuniis & humi cubationibus, ut Nazianz. ait. D. Benedictus, cum ex recordatione viſæ quondam à ſe fœminæ graviter tētaretur, ſe in ſpinas & urticas nudum projecit, in iiſque diu volutatus, toto corpore vulneratus exiit, *& per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem.* Sic & adoleſcens, de quo apud Hier. divinitus inſpiratus, præciſam morſu linguam, in contrectantis & oſculantis ſe faciem meretricis ſpecioſæ exſpuit, & ſic *libidinis ſenſum ſuccedens doloris magnitudo ſuperavit.* D. Bernard. à carne tentatus, in lacum gelidiſſimum: S. Franciſcus in nives ſe abjecit. S. Dominicus catena ferrea in carnem ſæviebat.

Judith 8. Luc. 2. Greg. lib. 2. Dial. cap. 2. In vita Pauli heremi. Vide eorum vitas.

Mo

MONITUM XIII.

Exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in caſtitate. 2. Cor. 6.

REſtant quædam alia remedia neceſſaria ei qui caſtitatem ſervare vult. Quorum primum eſt, incidentes turpes cogitationes ſtatim amputare, ne ſi diu mente teneantur, ad conſenſum infirmum animum deducant. Illi enim ſtabiles ac fixi ſunt, ac proinde victores evadunt, qui in ipſo ſtatim tentationis ingreſſu ſe opponunt, nec ſuggeſtionem peſtiferam in animum admittunt; neque dignam ducunt, de qua cogitent: ſed mox eo ſolum nomine, quia contra Dei mandatum ſit, reſpuunt, foráſque proturbant. Dicit Poëta:

Opprime dum nova ſunt, ſubiti mala ſemina morbi; Ovid.
Nam mora dat vires.

Unde & Seneca; Seneca in Hippolyt.

Quiſquis in primo obſtitit,
Repulitque amorem, tutus ac victor fuit;
Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Serò recuſat ferre, quod ſubiit jugum.

Omne malum naſcens, ait Cicero, *facilè opprimitur, non item cùm inveteratum eſt.* Philipp. 5. Lib. 1. epiſt. 18.

Sed neglecta ſolent incendia ſumere vires, In epiſt. ad Euſtoch.
ait Horatius. Præclarè Hier. ad Euſtochiam. *Nolo ſinas cogitationem creſcere. Nihil in te Babylonicum, nihil confuſionis adoleſcat. Dum parvus eſt hoſtis, interfice. Nequitia, ne zizania creſcant, elidatur in ſemine.* Et D. Greg. *Celer & facilis victoria libidinis, eſt circumſpectio cogitationis. Si quoties carnalia obviãt,* In 1. Reg. lib. 6. ca. 1.

ad aliud aliquid recurramus, quod libidinis non ſit incitamentum. Cum enim (ut antè dictum) *duas res ſimul cogitare non poſſimus, fit ut aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda.*

Pſalm.136. Audi Pſalm. dicentem; *Filia Babylonis miſera,*
beatus qui tenebit,& allidet parvulos tuos ad petram.
Parvuli Babylonis, ſunt naſcentes malæ cupiditates,
In Pſalm. inquit D.Aug. *Ne ergo cupiditas robur accipiat,cùm*
136. *parvula eſt,elide illam. Quia enim impoſſibile eſt,* ait
In epiſt. ad S. Hier. *in ſenſum hominis non irruere innatum me-*
Euſtoch. *dullarum calorem,ille laudatur,ille prædicatur beatus,*
qui ut cœperit cogitare ſordida,ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petram. Petra autem Chriſtus eſt.
1. Cor. 10 Dicit Sapiens; *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcen-*
Eccleſ. 10. *derit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris:* poſt quod ſequitur; *Quia curatio faciet ceſſare peccata maxima.*

In epiſt. ad Qui verſiculus hunc habet ſenſum, ait Hier.
Demetria- *Si in cogitationes tuas coluber aſcenderit, omni cuſto-*
dem. *dia ſerva cor tuum, & cum David canito; Ab occul-*
Prover. 4. *tis meis munda me,Domine,& ab alienis parce ſervo*
Pſalm. 18. *tuo:& ad peccatum maximum quod opere perpetratur, nequaquam pervenies, ſed incentiva vitiorum ſtatim*
Pſal. 136. *in mente jugulabis, & parvulos Babylonis allides ad petram,in qua ſerpentis veſtigia non reperiuntur,cau-*
Pſalm. 18. *teque Domino promittes, Si mei non fuerint dominati,tunc immaculatus ero,& emundabor à delicto maxi-*
Epheſ. 4. *mo.* Quare non immeritò nos Paulus admonet, *Ne*
De ieiun. *locum demus diabolo.* Quò ſpectat id quod D. Cy-
& tent. prianus ait,diaboli nimirum primis titillationibus obviãdum eſſe,nec colubrum foveri debere,donec in ſerpentem formetur. Ac poſt eum dicit S.Hier.
In cap. 4. diabolum lubricum eſſe ſerpentem, cujus capiti,
Eccleſ. id eſt, primæ ſuggeſtioni, niſi reſiſtatur, non eſſe
dubi

dubitandum, quin in penetrale cordis furtim illabatur.

Alterum adverſus libidinem remedium eſt, diligens cuſtodia ſenſuum, oculorum præcipuè & aurium. *Per quinque ſenſus*, inquit Hier. *quaſi per quaſdam feneſtras, vitiorum in animam introitus eſt. Non poteſt antè metropolis & arx mentis capi, niſi per portas ejus irruerit hoſtilis exercitus. Horum perturbationibus anima prægravatur, & capitur aſpectu, auditu, odoratu, ſapore, tactu. Intravit mors per feneſtram*, ait Propheta. *Feneſtra tua eſt oculus tuus*, ait D. Ambr. *Si videris mulierem ad concupiſcendum eam, intravit mors. Si audias ſermones meretricios, intravit mors. Si luxuria ſenſus tuos capiat, penetravit mors. Et ideo qui vult aſcendere, non læta, non amœna, non delectabilia, ſed plena doloris & fletus ſequatur. Hi ſenſus corporum*, inquit Hier. *quaſi equi ſunt ſine ratione currentes, anima verò in aurigæ modum retinet fræna currentium. Et quomodo equi abſque rectore præcipites ruunt, ita corpus, ſine ratione & imperio animæ in ſuum fertur interitum.*

Libr. 2. in Jovinian. — Jerem. 9. — De fuga ſeculi, cap. 1. — Lib. 2. in Iovin.

Queritur Propheta; *Oculus meus deprædatus eſt animam meam. Ut enim munda mens in cogitatione ſervetur*, ait Hier. *à laſcivia voluptatis ſuæ deprimendi ſunt oculi, quaſi quidam raptores ad culpam. Neque enim lignum vetitum mulier contigiſſet, niſi hoc prius incautè reſpiceret. Unde ſcriptum eſt; Vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu ejus, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit. De longè vidit mulierem David, in qua captus eſt*, inquit S. Aug. *Mulier longè, libido prope; alibi erat quod videret, in illo erat unde caderet. Attendenda ergo eſt hæc infir-*

Thren. 3. — In cap. 3. Thren. — Geneſ. 3. — In Pſal. 50.

Roman. 6. *infirmitas carnis, recordanda ſunt verba Apoſtoli, non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Non dixit, non ſit, ſed ne regnet. Ineſt peccatum, cum delectaris; regnat, ſi conſenſeris. Attende ſecurus, ſi non habes unde movearis. Sed dices, fortis ſum. Nunquid tu fortior quàm David? Alexander,* ut Plut. refert, *cum Dary filias captivas haberet, demiſſis oculis eas ſalutabat, idque rarò, metuens ſibi ab inſigni earum pulchritudine. Idem nec in cõſpectu venit uxoris Dary, quum prædicaretur eſſe decentiſſima ſpecie, ſed hujus matrem cõvenit, anum,* ut idem Plut. de Curioſ. Idem dicere ſolebat, ut refert Q. Curtius; *Dolores oculorum ſunt Perſicæ puellæ, verùm ego eas tanquã ſtatuas prætereo.*

Plutarch. in Alex.

De ſpectac.

De habitu Virg.

Et oculi noſtri ſunt, & aures cuſtodiẽdæ, ait D. Cyp. *citò in hoc aſſueſcimus, quod audimus, ſcelere.* Idem acriter reprehendit virgines illas, *quas non pudet præſentes eſſe inter verba turpia & temulẽta convivia, quibus libidinum fomes accenditur: ſponſa ad patientiam ſtupri, ad audaciam ſponſus animatur. Quæ pudica venerat, impudica diſcedit, corpore licet virgo, ac mẽte permaneat, oculis, auribus, lingua minuit illa.* Illis quibus matrimonij licentia non eſt, in Con. Agath. prohibentur alienarum nuptiarum convivia, & illi cœtus omnes, ubi amatoria cãtantur, & turpia, aut obſcœni motus corporũ choræis & ſaltationibus efferũtur, *ne auditus & obtuitus ſacris myſteriis deputati, turpiũ ſpectaculorum atque verborum contagione polluantur.* Cap. 28. volebat Jul. Pelag. ſed ſpiritu hæretico agitatus, libidinẽ (quam tanquam bonum naturale laudabat) hinc fieri commendatiorẽ, quòd ei ſerviunt, ut ardentius excitetur, etiam cæteræ partes corporis, ſive oculi videntes ad concupiſcendum, ſive aures audientes, ſive alia

Contra Iulian. lib. 5. cap. 4.

mem

membra in oſculis & amplexibus,ut eſt apud Aug.

Deinde magnum,imò præcipuum contra libidinem remedium eſt, fervida & frequens oratio. Unde Sap. *Ut ſcivi quoniam aliter non poſſum eſſe continens,niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſumma ſapientia,ſcire cujus eſſet hoc donum,adii Dominum,& deprecatus ſum illum ex totis præcordiis meis.* Et D.Aug.in Confeſſ.*Imperas nobis,Domine,continentiam.Et cùm ſcirem,ait quidam,quia nemo poteſt eſſe continens,niſi Deus det, & hoc ipſum erat Sapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum. Continentiam jubes: Da quod jubes, & jube quod vis.* Rectius tunc orans quam ante converſionem,ut ipſe de ſe:*Ego*,inquit, *adoleſcens miſer valdè, miſer in exordio ipſius adoleſcentiæ, etiam petieram à te Domine caſtitatem, & dixeram,Da mihi caſtitatem,& continentiam,ſed noli modò.Timebam enim ne me citò exaudires, & citò ſanares à morbo concupiſcentiæ, quem malebam expleri,quam extingui.* Sap. 8. Lib. 10. c.29. Lib.8. cap. 7. Confeſſ.

Illi capiunt,id eſt,ſic intelligunt,ut rem amplectantur,verbum hoc, videlicet, quod *non expedit nubere,quibus datum eſt*,inquit Chriſtus.Datur autem petentibus.*Omnis enim qui petit,accipit*.Caſtitatem à Deo petebat David, dicens:*Proba me,Domine,& tenta me,ure renes meos,& cor meum*.Et,*Cor mundum crea in me Deus,& ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*. Et, *Confige clavis timore tuo carnes meas,à judiciis enim tuis timui*.Sic & Eccleſiaſticus orabat:*Aufer à me concupiſcentias ventris, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me:& animæ irreverenti, & infrunitæ ne tradas me.* Et S. Cæcilia orabat Dominum, *Fiat cor meum & corpus meum immaculatum,ut non confundar.* Matth. 19. Luc.11. Pſal. 25. Pſal. 50. Pſal. 118. Eccl. 23. In Vita.

Denique

Denique optimum contra luxuriam remedium eſt, Humilis & devota virginei corporis Chriſti ſumptio. Corpus enim Chriſti, abſque coitu & ſemine viri de virgine conceptum, ſpiritu mundi-

In vita Licinii Betic. Apud Bar. tom. 2.

tiæ pleniſſimum, *calore Spiritus Sancti exſiccat fontes libidinis*, inquit S. Hier. Hinc Greg. ſeptimus vir ſanctus, Mathildi virgini Deo devotæ ſuadebat duo; cultum B. Virginis, quæ prima Deo Virginitatem obtulit, & caſtiſſima ſemper Virgo permanſit; & frequentem corporis Dominici communionem. *Ipſum enim eſt frumentum electorum verè bonum; Sanguis verè pulchrum eſt vinum, quod juxta Prophetam germinat Virgines*; ſicut corporale vinum impudicos facit.

Zach 9. & ibi Hiero. Epheſ. 5. Proverb. 9. Eccleſ. 4. 5. & 7.

Ad quod nos invitat æterna Sapientia; *Venite*, inquiens, *comedite panẽ meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis*. De quo & alibi: *Hoc itaque viſum eſt mihi bonum, ut comedat quis & bibat; & hoc ſæpè repetit, plurimumque commendat, non utique Sapiens carnales epulas voluptatis*, inquit Aug. *quas ibidem ſæpè reprobat dicens, Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivij. Et; Cor ſapientium, ubi triſtitia; cor ſtultorum, ubi lætitia: Sed invitans nos ad participationem hujus menſæ, quam Sacerdos ipſe Mediator novi Teſtamenti exhibet ſecundum ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo.* Quæ miram corporis & animæ efficiunt caſtitatem.

De Civit. lib. 17. cap. 20.

Pſal. 109.

D. Cyrill. ad frequentationem hujus menſæ exhortans ob fructum multiplicem: *Pias quæſo*, ait, *cogitationes ſuſcipias, ſtudiosè, ſancteque vivas, & benedictionem participes, quæ (mihi crede) non mortem ſolum, verumetiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Chriſtus, ſævientem membrorum noſtro*

Li. 4. in Ioan. c. 17.

noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ab omni nos erigit caſu. D. etiam Proſper; *Liberum,* inquit, *primi hominis arbitrium ſua prævaricatione bibit omnium vitiorum venenum, & totam hominis naturam intemperantiæ ſuæ ebrietate madefecit; ſed edendo carnem filij hominis, & bibendo ejus ſanguinem, lethalem ejus digerit cruditatem.* Denique D. Bernard. (eos alloquens qui frequenter communicabant) *Si quis veſtrum,* ait, *non tam ſæpè modò, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujuſmodi; gratias agat corpori, & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in illo; & gaudeat quod peſſimum ulcus ad ſanitatem accedat.*

Cont. Collat. cap. 19.

In ſerm. de cœn. Dom.

MONITUM XIV.

Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam. 1. Petr. 5.

DIcitur ſuperbia, quæ inter omnia peccata principem locum obtinet, eſſe propriæ excellentiæ amor, à quo ſancta humilitas prorſus aliena eſt. Amat quidem excellentiam, ſed eam quæ creditur à Deo eſſe. Quis enim verius, aut ſanctius excellere cupit, quàm is qui cœlorum regnum appetit? Quod humilis ſua humilitate quærit, habens promiſſum Dei, *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Sed odit eam excellentiam, quam homo ſibi perſuadet eſſe à ſemetipſo, ac proinde propter eam, non in Domino, ſed in ſemetipſo gloriatur. Quod vitium prohibet Apoſtolus, dicens: *Qui gloriatur,*

Matth. 23.

Digitized by Google

riatur, in Domino glorietur: non enim qui ſeipſum cõmendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.

Deſignatur hoc malum etiam complacentiæ vocabulo, quod Græci Philautiam vocant, ſeu amorem ſui. De quo D. Auguſt. in Confeſſ. *Eſt*, inquit, *intus aliud in eodem genere tentationis malum, quo inaneſcunt qui ſibi placent de ſe, quamvis aliis vel placeant, vel diſpliceant, nec placere affectent cæteris. Sed ſibi placentes, multum tibi* (Domine) *diſplicent, non tantum de non bonis, quaſi bonis, verumetiam de bonis tuis, quaſi ſuis; aut etiam ſicut de tuis, ſed tamen ex meritis ſuis.* Et de Civitate Dei: *Quid eſt ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus? Perverſa enim celſitudo eſt, deſerto eo cui debet animus inhærere principio, ſibi quodãmodo fieri, atque eſſe principium. Hoc fit, cum ſibi nimis placet: ſibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipſe ſibi. Spontaneus eſt autem iſte defectus, quãdo ſi voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur, ut videret, & accẽdebatur, ut amaret, ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum averteretur, ut ex hoc tenebreſceret & frigeſceret.*

Lib. 10. cap. 39.

Lib. 14. cap. 13.

Ac rurſum: *Relicto itaque Deo, eſſe in ſemetipſo, hoc eſt ſibi placere, non jam nihil eſſe eſt, ſed nihilo appropinquare; unde ſuperbi ſecundum Scripturas ſanctas, alio nomine appellantur ſibi placentes.* Ac poſt multa: *Ideo*, inquit, *audeo dicere, ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit, quàm ſibi placuit quando præſumpſit. Hoc dicit & ſacer Pſalmus, Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine, id eſt, ut tu eis placeas quærentibus.*

Ibidem.

Ibidem.

Pſalm. 83

tibus nomen tuum, qui ſibi placuerunt quærendo ſuum. Hactenus Auguſt.

Humilitas ergo non ſolùm non appetit excellentiam ſuæ naturæ minimè convenientem, volens eſſe plus aliquid quàm poſſit eſſe; quomodo Angelus ſuperbiit, qui Deo noluit eſſe ſubjectus, cùm ea ſit creaturæ propria conditio, ut ſuo ſubjiciatur conditori; & homines primi, qui voluerunt eſſe ſicut Deus, ut videlicet ſibiipſis duces eſſent, ad bene beatéque vivendum, nec ab illius imperio, aut lege penderent: verumetiam ſi quis in eo quod naturæ ineſſe convenit, ſibi placeat, quaſi id ex ſeſe, id eſt, aut virtute ſua, aut merito ſuo compararit. Quid enim poteſt naturæ hominum eſſe convenientius, quam Sapientia? & tamen in eo quorundam tam pernitioſus tumor ſuperbiæ extitit, ut *dicentes ſe eſſe ſapientes*, id eſt, ut inquit Auguſt. *quod ſaperent, ſibiipſis tribuentes, ſtulti facti ſunt*, id eſt, repulſi à veræ ſapientiæ luce, quam ex Deo haurire per humilitatem oportebat, in propriæ ſtultitiæ tenebras demerſi ſunt. Humilitas utrumque hoc vitium fugit, quo ſupra ſeipſos efferuntur ſuperbi, unde nominata eſt *Superbia*. Humilitatis autem ſummus gradus eſt, ſi perveniat uſque ad contemptum ſui; ſicuti ſumma Superbia eſt, ſi creſcat uſque ad contemptum Dei: Quorum hoc in diabolo, illud verò in Chriſto ſingulariter apparuit.

Rom. 1.

De ſpir. & lit. cap. 11. lib. 5. Confeſſ. cap. 3.

Major quoque humilitas eſt, ſi quis in veris bonis ſe humiliet, id eſt, iis quibus homines redduntur boni, quàm ſi quis humiliet ſe in iis bonis, quæ poſſidentur etiam à malis. Id quod D. Auguſtinus expreſſit, cùm ait: *Dei cultus in hoc maximè conſtitutus eſt, ut anima ei non ſit ingrata; unde*

De ſpir. & lit. cap. 11.

etiam

etiam in ipſo veriſſimo & ſingulari ſacrificio Domino Deo noſtro gratias agere admonemur. Erit autem ingrata, ſi quod ei ex Deo eſt, ſibi tribueret, præcipueque juſtitiam, cujus operibus velut propriis, & velut à ſemetipſa ſibimet partis, non vulgariter, tanquam ex divitiis, aut membrorum forma, aut eloquentia, cæteriſque, ſive externis, ſive internis, ſive corporis, ſive animi bonis, quæ habere etiam ſcelerati ſolent; ſed tanquam de his quæ propriè ſunt bona bonorum, quaſi ſapienter inflatur. Quo vitio repulſi à divinæ ſtabilitate ſubſtantiæ, etiam magni quidam viri ad Idololatriæ dedecus defluxere, ut ait Apoſtolus ad Rom.

Rom. 1. Porrò ut quid ſit Humilitas, & quiſnam verè ſit humilis; melius intelligatur, officia, notas, atque effectus virtutis hujus latiùs explicare oportet. Verè ergo humilis, bonum quod habet, ſuis viribus non tribuit, ſed gratuito Dei beneficio ſe accepiſſe agnoſcit. Scit enim ſcriptum eſſe: *Ne dicas in corde tuo, Fortitudo mea, & potētia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, ſed memoraberis Domini Dei tui, quia ipſe dat fortitudinem, & facere virtutē.* Et rurſum: *Hæc dicit Dominus, non glorietur Sapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in divitiis ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me. Quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & judicium, & juſtitiam in terra.* Quem locum ſæpè & explicat, & inculcat Apoſtolus, docens *in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit*, inquit D. Cyprianus. *Quid*, ait, *habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Cum data fuerit gratia*, ait S. Aug. *incipiunt etiam merita noſtra eſſe bona, per illam tamen; nam ſi illam ſubtraxerit, cadit homo, non*

Deut. 18. Ierem. 9. 1. Cor. 1. 1. Cor. 10. Cypr. lib. 3. ad Quirin. cap. 4. 1. Cor. 4. Auguſt. de grat. & lib. arb. cap. 6.

Digitized by Google

non erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter quando cœperit homo habere merita bona, non ſibi debet illa tribuere, ſed Deo; cui dicitur in Pſalm. Adjutor meus eſto, ne derelinquas me. Dicendo, ne derelinquas me, oſtendit, quia ſi derelictus fuerit, nihil boni valet ipſe per ſe. Sic Auguſt. Pſalm. 26.

Deinde qui verè humilis eſt, omne ſibi bonum deſuper datum credit, nec pro ſuis hoc meritis præcedentibus percepiſſe fatetur. Ne enim dari nobis gratiæ dona pro noſtris meritis antecedentibus crederemus, Apoſt. admonet; *Gratia Dei ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Qui etiam de ſemetipſo ait; *Qui prius blaſphemus & perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam conſecutus ſum.* Quibus verbis apertè declarat, quod gratia non pro meritis tribuatur, dum ex ſeipſo docuit, & quid de malitia meruit, & quid de benevolentia accepit. *Si quis,* inquit Synodus Arauſicana, *ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri Divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles ſimus, ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti; Quid habes quod non accepiſti? Et, Gratiâ Dei ſum id quod ſum.* Epheſ. 2. 1. Tim. 1. Synod. Arauſ. 2. c. 6. 1. Cor. 4. 1. Cor. 15.

Illi quoque qui dicunt, ex homine eſſe initium fidei; ex Deo augmentum, inquit D. Aug. *priores dant Deo initium fidei, ut retribuatur eis & ſupplementum fidei,* De præd. ſanct. c. 2.

&

& ſi quid aliter fideliter poſcunt, contra Pauli Apo-
Rom. 11. *ſtoli ſenſum, Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Hi quaſi componunt cum Deo, ut partem fidei ſibi vēdicent, atque illi partem relinquant; & quod eſt elatius, primam tollunt ſibi, ſequentem dant illi; & in eo quod dicunt eſſe amborum, priores ſe faciunt, poſteriorem Deum. Sed avertat à nobis Deus hanc amentiam,*
Lib. 2. cont. 2. Epiſt. Pelag. c. 9. Pſalm. 58. Pſalm. 20. ait Aug. *ut in donis ejus nos priores faciamus, poſteriorem ipſum: quoniam miſericordia ejus præveniet me: Et ipſe eſt cui fideliter veraciterque cantatur, Quoniam prævenisti eũ in benedictionibus dulcedinis.*

Præterea, qui veram habet humilitatem, non ſe jactat habere quod non habet, quod ſuperbi faciunt.
Lib. 2. de Gen. cont. Manch. *Quid enim*, inquit S. Auguſtin. *ſuperbia aliud, niſi deſerto ſecreto conſcientiæ, foris videri velle, quod non eſt?* Interdum ſuperbi ita cupiunt apud alios magni fieri, ut ſeſe jactitent de eo quod nec habere ſe, nec poſſe ſentiunt. Sæpe numero verò gloriantur habere ſe, quod non habent quidem, ſed habere ſe putent. Excæcat enim ſuperbia, & cordis oculos claudit, facitque ut ſe homo habere miſer exiſtimet, quod non habet. Quod cùm in multis contingat bonis, tum neceſſariò evenit, in juſtitiæ, & ſanctitatis, veræque virtutis bono; quod ipſa continuò arrogantiæ jactatione excutitur, etiamſi vel maximè teneri putetur.

Lib. 13. Moral. cap. 7. Ierem. 48. Apocal. 3. Ad quam ſuperbiæ cæcitatem pertinent exempla D. Gregor. cum ait, *Nonnulli jactant ſe habere, quod non habent, ſicut Divina voce per Prophetam de Moab dicitur; Superbiam ejus, & arrogantiam ejus ego cognovi, & quod non ſit juxta eam virtus ejus. Et ſicut Angelo Laodiceæ dicitur; Quia dicis quod dives ſũ, &*

loc*u*

locupletatus, & nullius egens, & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Aurea verò ad ſuperiora pertinens eſt D. Aug. ſententia; *Satius eſt minus quemque habere quod à Deo petat, quam plus habere quod ſibi tribuat; quoniam expedit ab imo ſurgere, quam ex alto cadere. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Et alibi; *Mihi videtur magis eſſe Dei filius, qui novit à quo ſperet, quod nondum habet, quam qui ſibi tribuit id quod habet; quamvis utrique horum præferendus ſit, qui & habet, & novit unde habeat. Si tamen non ſe credat jam eſſe, quod nondum eſt; ne incidat in vitium illius Phariſæi, qui quanquam Deo gratias ageret ex his quæ habebat, nihil tamen petebat dari ſibi; tanquam nihil indigeret ad augendam, perficiendámve juſtitiam.* Hæc Aug. Illam etiam ſuperbiam inſinuans, qua quis ſibi placet tanquam in juſtitia abſolutus atque perfectus. De quo aliàs. Epiſt. 89. 1. Petr. 5. Iac. 4. De ſpir. & lit. cap. 13. Luc. 18.

Denique verè humilis non vult ſingulariter videri, deſpectis cæteris. *Superbia,* inquit Aug. *odit conſortium, & quantum in ipſo eſt, ſolus cupit eminere omnis ſuperbus.* Proptereáque in unicornibus ſignificatos ſuperbos intelligit, ubi dicitur: *Erue à framea Deus animam meam, & à cornibus unicorniũ,* id eſt potentia ſuperborum, *humilitatem meam.* De hujuſmodi D. Greg. ait; *Nonnulli deſpectis cæteris videri appetunt, ſingulariter bonum habere quod habent. Unde & Phariſæus idcirco de templo abſque juſtificatione deſcendit, quia bonorum operum meritum ſibi quaſi ſingulariter tribuens, oranti Publicano ſe prætulit. Sancti quoque Apoſtoli ab hoc elationis vitio revocantur, qui de prædicatione redeũtes, cum elati dicerẽt, In nomine tuo etiam dæmonia nobis ſubjecta ſunt:* Monit. 46. Epiſt. 120. Pſal. 21. Loco cit. Luc. 18. Luc. 10.

ne de hac miraculorum ſingularitate gauderent, ilicò reſpondit illis Dominus dicens: Videbam Sathanam velut fulgur, cadentem de cœlo. Ipſe quippe ſingulari-
Iſa. 14. *ter elatus dixerat, Super aſtra cœli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, ſimilis ero Altiſſimo.*

Greg. ibid. Ac paucis interpoſitis: *In hac*, inquit, *arrogantiæ ſpecie, crebrò humanus animus labitur, ut id quod habet, ſingulariter ſe habere glorietur; in qua tamen ſimilitudini diabolicæ vicinius appropinquat: quia quiſquis videri ſublimior cæteris quærit, illum imitatur, qui deſpecto bono ſocietatis Angelorum, Altiſſimi ſimilitudinem ſuperbè appetens, per iniquum deſiderium, quaſi ad quoddam culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere.* Hactenus Greg. Rectè ergo monet
1. Petr. 5. D.Petr. *Omnes invicem humilitatem inſinuate. Deus enim ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam. Humiliamini ergo ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis.*

MONITUM XV.

Sobrietatem docet, & prudentiam, & juſtitiam, & virtutem: quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.
Sapient. 8.

QUatuor ſunt Virtutes quæ mores hominis & converſationem informant; quæ & *principales* dicuntur, quòd ex iis, ceu principiis ac fontibus officia ducuntur omnia: Et *Cardinales*, quòd in iis, ceu cardinibus volvitur atque verſatur vitæ hone

honeſtas omnis. Quarum non ſolùm gentiles ſcriptores meminerunt, ſed & Scriptura Divina enumerat dicens; *Sobrietatem, ſive Temperantiam, & Prudentiam docet, & juſtitiam, & virtutem, id eſt, fortitudinem.* Ubi etiam certa harum virtutum origo deſignata eſt, nimirum Sapientia, ſive intelligatur increata Sapientia, quia *omne donum optimum, & omne bonum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*: Sive creata, que pietas; pietas autem in fide, ſpe, & charitate conſiſtit. Sap. 8. Iacob. 1.

Quid autem harum quæque ſit, breviſſimè à D. Aug. oſtenditur. *In hac vita*, inquit, *virtus non eſt, niſi diligere quod diligendum eſt; id eligere, prudentia eſt; nullis inde averti moleſtiis, fortitudo eſt; nullis illecebris, temperantia eſt; nulla ſuperbia, juſtitia eſt.* Et rurſum de Trinit. dicit; *Iuſtitiam ſitam eſſe in ſubveniendis miſeriis; Prudentiam, in præcavendis inſidiis; Fortitudinem, in perferendis moleſtiis; Temperantiam, in coërcendis delectationibus pravis.* Prolixius verò alibi, ex ſententia maximè Cicer. *ut prudentia ſit rerũ bonarum & malarum & neutrarum ſcientia.* Cui non omninò diſſimilis eſt illa definitio, quam habet de lib. arb. *Prudentia eſt appetendarum & fugiendarum rerum ſcientia.* Quam tamen ſcientiam cum bona voluntate conjunctam eſſe debere ſignificat. Qui enim ſcit, quid mali fugere debeat, ſi id non fugiat, quis eum prudentem eſſe dicturus eſt? unde hortatur in Evangelio Dominus; *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes*; ut ſcilicet ea quæ ſunt nocitura, non ſolùm prævideatis, verumetiam providè caveatis. Epiſt. 2. In Pſal. 83. Lib. 14. cap. 9. Lib. 83. q. 31. Lib. 1. de Invent. Rhet. Lib. 1. cap. 12. Eod. lib. c. 23. Matth. 10.

Sed quoniam & Sapientia in veri cognitione conſiſtit: quæri ſolet, quemadmodum ab ea Prudentia diſtincta ſit? Et D. Proſper quidem duas Lib. 3. cap.

29. de vita cont. haſce ſapientiæ, prudentiæque virtutes, ſic inter ſe implicitas & connexas dicit, ut una ſine altera eſſe nequeat, ut nec imprudens ſapientia, nec inſipiens poſſit dici prudentia. Sed quid inter hanc & illam ſit diſcriminis, non aperit. Hugo verò de
De ſpiritu & anima. S.Victore diſtinguit Sapientiam à prudentia, quòd *Sapientia circa ſuperna & cœleſtia verſetur: Prudentia verò ad caduca & tranſitoria reſpiciat.* Quod tamen intelligendum eſt, ut in iis bene ſibi conſulat ſpiritualiter, ne prudentiam vocare cogamur avarorum induſtriam. Cùm igitur Sapientia legem Dei contempletur, ſuperníſque rationibus intendat: prudentia in particulari hic & nunc, hanc applicat ſcientiam ad proſecutionem utilium, & fugam nociturorum.

Unde etiam apparet, prudentiam à Sapientia
Prover. 10. derivari, ut propterea Sapiens dicat, *Sapientia viro prudentia eſt.* Quia Sapientia, qua parte colitur Deus, ejúſque mandata ſervantur, hominem verè prudentem in rebus agendis reddit, quemadmo-
Pſal. 118. dum etiam ſignificat illud Davidis; *Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo.* Jam reliquarum virtutum facilior deſcriptio eſt. *Iuſtitia enim,* ait Aug. ex Cicer. *habitus eſt animi communi utilitate conſervata, ſuam cuique tribuens dignitatem*: ſive, ut aliàs; *Iuſtitia virtus eſt, ſuum cuique tribuens. Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio, ad quam pertinet patientia & perſeverantia. Temperantia eſt rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio, cujus partes ſunt, continentia, clementia, modeſtia.*

Quæ virtutes in gentilibus ſine vera pietate

que

fuerunt, tametſi abſoluta virtutis ratione carent, niſi ex fonte pietatis, quæ in fide, ſpe, & charitate conſiſtit, profluant. Ad hoc enim illis fuerunt qualeſcunque virtutes, ut bona & honeſta gererent, non autem ut ea bene, & qua intentione fieri oportere vera ſapientia præſcribit, facerent. Unde S. Aug. *Abſit*, inquit, *ut virtutes veræ cuiquam ſerviant, niſi illi, vel propter illum, cui dicimus, Deus virtutum converte nos.* Virtutes igitur in illis magis fuêre, propter quandam officiorum rectitudinem, quàm propter legitimum ſummi boni finem, quem ſola poteſt vera Religio demonſtrare. Hinc idem Aug. *Cuſtodiſſe illos dicit quandam ſui generis probitatem, quæ poſſet terrenæ civitati conſtituendæ, augendæ, conſervandæ ſufficere.* Et infra; *Deus oſtendit in opulentiſſimo & præclaro Imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam ſine vera Religione virtutes, ut intelligamus, hac addita, homines fieri cives alterius Civitatis, ubi rex veritas, lex charitas, modus æternitas.*

Lib 4. in Iul. cap. 3, Pſalm. 80.

Epiſt. 5. ad Marcel.

De his virtutibus ita D. Hieron. *Vis ſcire, quales Dominus quærat ornatus? Habeto prudentiam, juſtitiam, temperantiam, fortitudinem; his cœli plagis includere; hæc te quadriga, velut aurigam Chriſti, ad metam concita ferat. Nihil hoc monili pretioſius, nihil hac gemmarum varietate diſtinctius. Ex omni parte decoraris, cingeris, atque protegeris; & ornamento ſunt, & tutamini, gemmæ vertuntur in ſcuta.* De his & hoc eſt memorabile dictum Auguſtini; *Illa eſt humanarum rerum ſcientia, quæ novit lumen prudentiæ, temperantiæ decus, fortitudinis robur, juſtitiæ ſanctitatem. Hæc enim ſunt, quæ nullam fortunam metuentes, verè noſtra dicere audemus.*

In epiſt. ad Nepot.

Lib. 1. contra Acad. cap. 7.

Digitized by Google

Lib. 14. de Trinit. c. 9. De vir. cōt. lib. 3. c. 23.

Manebunt autem hæ virtutes, ex ſententia D. Aug. & Proſperi, etiam in beata vita; ſed alio modo, videlicet quia non in iiſdem quibus hic, officiis verſabuntur, ſed aliis quibuſdam actibus, beatæ illi vitæ convenientibus eniteſcent. Quemadmodum etiam hic exercitia habent ad vitæ hujus miſeriam accommodata. Itaque hic quidem prudentia eſt, prævidere & præcavere inſidias; illic verò prudentiæ erit, omnia in Deo perfectè cognoſcere, & ei nullum bonum aut præponere, aut æquare. Fortitudinis hic eſt, frænare libidines, & concupiſcentiæ impetus coërcere; illic verò ſola juſtitia, & nulla re noxia delectari. Hic juſtitiæ eſt, ſuccurrere miſeris; illic verò erit Deo ſummum amorem, ſicuti æquitas poſtulat, perfecta pietate deferre.

Epiſt. 52. ad Macedon.

In futura vita, inquit alibi Aug. *nec prudenter diſcernentur à bonis mala quæ nulla erunt; nec fortiter tolerabuntur adverſa, quia non ibi erit, niſi quod amemus, non etiam quod toleremus; nec temperantiâ libido frænabitur, ubi nulla ejus incitamenta ſentientur; nec juſtè ſubvenietur ope indigentibus, ubi inopem, atque indigum non habebimus. Una ibi virtus erit; & idipſum erit virtus, præmiumque virtutis; quod dicit ille qui amat, Mihi adhærere Deo bonum eſt. Dicatur hoc & prudentia, quia proſpectiſſimè adhærebit bono, quod non amittatur; & fortitudo, quia firmiſſimè adhærebit bono, unde non avellatur; & temperantia, quia caſtiſſimè adhærebit bono, ubi jam non corrumpatur; & juſtitia, quia rectiſſimè adhærebit bono, cui meritò ſubjiciatur.* Sic ſanctus Auguſt.

Pſalm. 72.

Mo

Digitized by Google

MONITUM XVI.

Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes. Matth. 10.

VAria eſt ſerpentis aſtutia. Primò, *totum corpus pro capite objicit ferientibus*, ait D. Aug. *Sic nos pro capite noſtro, quod eſt Chriſtus, corpus potius perſequentibus offeramus, ne fides Christiana, tanquam caput, necetur in nobis, ſi parcentes corpori negemus Deum. Fertur coluber*, inquit S. Ambr. *cum urgetur periculo, caput ſemper abſcondere, & in orbem ſe colligens, objecta reliqua parte corporis, hoc ſolum tueri; quod læſa ferantur membra cætera, ſalvo capitis vigore, reparari. Hoc & tu moraliter caput ſerva, hoc ſervato & myſticè. Myſticũ caput Chriſtus eſt, quia omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. Hoc caput qui amiſerit, vivendi uſum habere non poterit. Hoc ſolo diſtamus à beſtiis, ad imaginem Dei & ſimilitudinem, virtutum vigore formati. Fides nos ab irrationabilium pecudum comparatione ſecernit. Hoc caput humani ſervate ſerpentes; etiamſi omnia membra cædantur, totum uratur corpus incendiis, mergatur profundo, eviſceretur à beſtiis; hoc tamen capite cuſtodito, vita integra, ſalus tuta eſt. Nemo enim poteſt perire, cui non ſublatus eſt Chriſtus.* Libr. 2. de doct. Chriſtian. c. 16. In Pſalm. 118. conc. 20. Coloſſ. 1. Sap. 2.

Eſt & caput, inquit idem Ambr. *ſumma ſtudij atque operis noſtri, ſumma negotij, ſumma ſpei, ſumma virtutum. Omnis autem ſumma eſt ſtudij noſtri, ut ſimus humiliores, veritatem ſequamur, quam non videt extollens ſe, fruſtra inflatus mente carnis ſuæ, & non tenens caput. Inflatus ergo caput non tenet, hoc eſt, illam humilitatem Chriſti, qua deſcendit uſque ad crucem,* Eodẽ loco. Coloſſ. 2.

Digitized by Google

çem,deſcendit uſque ad inferos. Ideo Iudæus non cre-
Mat. 11. *didit,quia contempſit dicentem,Diſcite à me,quia mi-*
tis ſum,& humilis corde. Hæc humilitas virtutum om-
nium caput eſt, quæ totum velut quoddam noſtrorum
Pſalm. 33. *actuum fovet corpus. Et humiles ſpiritu, inquit Pro-*
pheta,ipſe ſalvabit. Hactenus Ambr. Chriſtum er-
go oportet ſuper omnia diligere,illum rebus om-
nibus anteponere. *Qui amat patrem, aut matrem*
pluſquam me,non eſt me dignus, ait Dominus. *Et qui*
Matt. 10. *amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.*
Luc. 14. Imò; *Qui non odit patrem & matrem, adhuc autem*
Vide Aug. ep. 89. q. 4. *& animam ſuam* (alterutra,videlicet,propoſita con-
ditione, aut eis,aut Chriſto renuntiare) *non poteſt*
meus eſſe diſcipulus.

De vit. cōt. lib. 3. c. 15. *Illi pluſquam ſe,Chriſtum diligunt,* ait D. Proſper,
qui ejus amore,ſuæ ad tempus ſaluti non parcunt,ſeip-
ſos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facul-
tatibus propriis, patriæ extorres fieri, parentibus &
uxoribus,ac filiis ſuis renuntiare paratiſunt;& ut to-
tum dicam, ipſam corporis mortem, non ſolùm non
refugiunt, ſed etiam libenter excipiunt, ambientes à
corporis ſui vita magis, quàm à Deo vita animæ ſuæ
Ench. c. 68. *diſcedere.* In Enchiridio dicit S. Aug. quod qui res
ſeculares diligit,ſi Chriſtus in corde fundamenti
locum habet,id eſt,ut ei nihil anteponatur;& ma-
lit homo rebus quas diligit magis carere, quam
Chriſto,quamvis doleat,dum amittit, per ignem
1. Cor. 3. fit ſalvus;quia *urit eum rerum dolor,quas dilexerat,*
amiſſarùm,ſed non ſubvertit, neque conſumit funda-
menti ſtabilitate munitum.

Tract. de lapſ. Eſt elegans locus apud Cyprian. de cauſa lapſo-
rum. *Decepit,* inquit, *multos patrimonii ſui amor cæ-*
çus,nec ad recedendum parati aut expediti eſſe potue-
runt,

runt, quos facultates ſuæ velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens vincta, & anima præcluſa, ut ſerpenti terram, ſecundum ſententiam Dei, devoranti, præda & cibus fierent, qui terrenis cupiditatibus inhærerent. Tanta facilitate, ait D. Chryſ. *carnem exuere debemus* (maximè propter Chriſtum) *quanta veſtimentum; id autem præſtiterimus, ſi non fuerimus pecuniæ dediti, ſi non domibus, ſi non affectioni; ſi ab omnibus fuerimus ſeparati.* Joſeph pallio in manu adulteræ relicto, quæ ejus pudicitiam tentabat, fugit; ſic & nos corpus, quo velut pallio & veſtimento anima circundatur, & quicquid ad illud pertinet, in manibus hoſtium potius relinquamus, quam fidei ac juſtitiæ puritatem nobis auferri patiamur. Gen. 3. Homil. 5. in epiſt. ad Hebr. Gen. 39.

Eſt alia ſerpentis prudentia vel aſtutia, quod, ut inquit S. Aug. *per cavernæ anguſtias coarctatus, depoſita veteri tunica, novas vires accipit; ſic exuendus vetus homo, ſicut monet Apoſtolus, ut induamur novo: & exuendus per anguſtias, dicente Domino; Intrate per anguſtam portam. Quicquid in mundo eſt*, inquit Ioan. id eſt, in veteri homine & corrupto; *Concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*, explicans non tam peccata omnia, quàm omnium peccatorum peſſimas radices, ut rectè D. Thom. *Ex illis enim non ſolùm incentiva libidinis ſed & iracundiæ, ſuperbiæ, philargyriæ, cenodoxiæ, cæteráque hujuſmodi rabies, quæ multò laborioſius quam illa devincuntur; & ante annos pubertatis, noſtrum animum perturbatura adveniunt; & edomita ſanè, vel per naturam ceſſante libidine, nihilominus ipſa nos impugnare non ceſſant.* Lib. 2. de doct. Chriſtian. c. 16. Epheſ. 4. Matth. 7. 1. Ioan. 2. In 1. 2. q. 77. ar. 5. V. Beda cap. 1. in Cant.

Im

Implctur ergo per omnia ſententia Veritatis, qua
Matth.7. diſcimus anguſtam eſſe & arduam viam quæ ducit ad vitam. *Magni enim operis & laboris eſt*, ait D.Leo, *mobilitatem cordis ab omnibus continere pec-*
Serm. 11. de Quadr. *catis, & cum undique innumeræ vanitatum illecebræ blandiantur, ad nulla contagia vigorem animi relaxare. Adverſa nocent, corrumpunt proſpera, nec minoris eſt periculi carere deſideratis, quam abundare conceſſis. Inſidiæ ſunt in divitiarum amplitudine: inſidiæ in paupertatis anguſtiis; illæ elevant ad ſuperbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat ſanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia eſt negligentiæ, & hæc cauſa triſtitiæ. Laqueus eſt in ſecuritate, laqueus eſt in timore: nec intereſt utrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis; cum par morbus ſit, vel ſub vana delectatione languêre, vel ſub anxia ſolicitudine laborare.*

Pſal. 57. Tertia ſerpentis aſtutia eſt, quod adverſus incantatorem utramque aurem obturat, unam ad terram premit, alteram cauda obſtruit. Docemur cavere inſidias ſpirituales, & animę pernicioſas. Huc pertinet, quod Homerus Poëta (*cujus omnis Poëſis virtutis laus eſt, & ejus omnia ad hunc finem referun-*
Homil.24. *tur*, inquit D.Baſil.) de Ulyſſe refert, quod obturatis auribus ſociorum, inſulam prætervectus eſt Sirenarum, ne voces earum malè blandientes audi-
Eccl.28. rent & perirent. *Sepi aures tuas ſpinis*, ait Sap. *&*
1 Cor.15. *linguam nequam noli audire; & ori tuo facito oſtia, & ſeras auribus tuis.* Et Apoſt. *Corrumpunt bonos mores*
2.Tim.2. *colloquia prava. Prophana & inaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem: & ſermo eorum ut cancer ſerpit.* Cujus malum immedicabile, priuſquam totam carnem perederit, atque infecerit, non ſentitur;

ſentitur;& ſimul atque corporis humani partẽ aliquã corripuerit,continuò ſenſim atque occultè in reliquas partes inſerpit,ac ubi invaluerit paululũ, ſerò tum medicinã paraveris. Quod in ſermonibus hæreſeos & libidinis præcipuè locum habet, quæ vitia admodum ſunt turpia, & occultis initiis valdè cõtagioſa; libido ex nobis ipſis arma habet,& blanda atque amabilis eſt voluptas:& hæreſis tũc primùm noxia percipitur,cum altas radices egerit.

Quarta aſtutia ſerpentis eſt,quod totius corporis venenum in gutture colligit,& ibi ſervare ſtudet,ut habeat unde ſe defendat. Sic quiſque Chriſtianus in promptu habere debet arma ſpiritualia, contra tentationes,quæ in hac vita,*quæ tota tentatio eſt*,variæ accidere ſolent,vel in fide,vel in charitate,pudicitia,&c. Chriſtus ſingulis tentationibus diaboli oppoſuit ſingula teſtimonia ſcripturarum. De Paula Romana dicit D.Hier. quod *teſtimoniis Scripturarum, quaſi armatura Dei*, contra omnia occurrentia,inſtructa erat. Sic in ſua converſione Aug. adverſus linguam ſubdolam, converſioni,velut conſulendo,contradicentem,parata habebat *verba Dei,& exempla ſanctorum*. Vult Sapiens nos imitari exemplum formicæ, quæ in æſtate colligit, unde hyeme paſcatur. *Sic in tranquillitate pacis comprehendenda eſt doctrina ſapientiæ, quæ inter tribulationum turbines difficulter agnoſcitur*; *nec facilè inveniuntur in adverſitate præſidia, quæ non fuerunt in pace quæſita*, inquit D. Proſp.

Iob 7.
Matth. 3.
In ejus Epitaph.
Li.9.Confeſſ. cap.2.
Prov.6.
Aug. in pſ. 66.& 36. conc. 2.
Epigr.91.

Quinta ac poſtrema Serpentis aſtutia eſt; ſortitus eſt à natura viſum perſpicaciſſimum, quo ſibi poſſit proſpicere. Unde adagium, *Serpentis oculi*: quorum debilitatem reparare novit eſu rutæ.

Vtilius

Digitized by Google

Ovid. lib. 2. amor. *Utilius ſumas*, ait Poëta, *acuentes lumina rutas.* Sic ergo & nobis opportuna defectibus noſtris adhibẽda remedia. *Cervus transfixus*, ait Tert. *ſagittâ, ut ferrum de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno eſſe medendum. Hirundo ſi excæcaverit pullos, novit illos oculare rurſus de ſua chelidonia. Sic vulpes pini lachrymâ ſibi medetur*, inquit D.Baſil. *Urſi herbis, ſuis medentur vulneribus; Serpens debilitati oculorum eſu rutæ. Peccator*, ait Tertul. *reſtituendo ſibi inſtitutam à Deo exomologeſin, ſciens præteribit illam? Rogo vos*, ait Aug. *quam poterit habere ſpem ſalutis, creber in morbis, piger in remediis?* Quam illi, de quibus Ambroſ. *qui peccati remedio, pœnitentia*, videlicet, *utuntur, tanquam peccati incentivo?* Quam denique illi, qui *inſani ſunt adverſus antidotum, quo ſani eſſe poterant? Quia antiquorum morborum difficilis & tarda curatio eſt*, inquit D.Leo, *tantò velocius adhibeantur remedia, quantò recentiora ſunt vulnera. Peccatum enim, quod per pœnitentiam non citò deletur, mox ſuo pondere trahit ad alia*, inquit S.Gregor.

[Margin: De pœnit. cap. 12. — Baſil. lib. 9. hexaëm. — Ibidem. — Serm. 14. in Nov. — Lib. 2. de pœnit. c. 9. — Serm. 1. de Reſur. — Greg. lib. 23. Moral.]

MONITUM XVII.

Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.

Prov. 13.

Iacob. 3. LIngua, inquit S.Iacobus, *ignis eſt*, accendens videlicet ad omnia peccata, *univerſitas iniquitatis*, quòd eâ omnia peccata committantur: illa blaſphemat, perjurat, occidit, mœchatur, rapit, &c. *eſt inquietum malum, plena veneno mortifero.* Pſalmiſta eam comparat *gladio acuto, novaculæ acutæ, veneno,*

veneno aſpidum, & ſagittis peſtiferis. Et Sapiens; *Mors,* inquit, *& vita, in manibus linguæ,* id eſt, inquit Aug. *in ejus poteſtate,* quam & loquenti & audienti adfert, prout loquens ea vel malè, vel benè utitur. Et, *Multi ceciderunt in ore gladii, ſed non ſic quaſi qui interierunt per linguam.* Propriè intelligitur de lingua aliena; poteſt etiam rectè dici de propria. Quot animas perdidit lingua hæreticorum, detractorum, ſuſurronũ, &c. Quot item ſeipſos ſua lingua perdiderunt. Imò ipſe Dominus apertè pronuntiat; *Quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii. Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Proclivia ſanè ſunt vitia linguæ, difficile eſt enim, ut quiſque lingua non labatur, & peccet. Unde idem Iac. *Qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir.* Non enim lingua fruſtra in udo poſita eſt, niſi quia facilè labitur. *Lingua,* inquit Aug. *facilitatem habet motus, in udo poſita eſt, facilè in lubrico labitur.*

Pſalm. 52. 56. Prov. 18. Eccl. 28. Aug. in Pſalm. 72. Matth. 12. Iacob. 3. Serm. 28. de verb. Apoſt.

Anacharſis Philoſophus cum cœnaſſet apud Solonem, uti refert Plutarc. hoc geſtu deprehenſus eſt dormiens, ut dexteram admotã haberet ori, ſiniſtram pudendis. Nam exiſtimabat, & rectè, linguã arctiori fræno indigere. Non enim facilè quis proferat, tot homines rerum venerearum intemperantiâ ſublatos, quot urbes & imperia tacendus ſermo prolatus evertit. Rectè Pittacus Amaſidi Ægyptiorum Regi, qui victimam ei miſerat, & juſſerat, ut præſtantiſſimam & deterrimam ejus carnem exemptam remitteret, linguam, quaſi potiſſimum aliquod bonorum & malorum inſtrumentum, miſit. Simile quid de Æſopo narratur.

De Garrulitate. Plut. ibid. & de audiendo.

Re

Digitized by Google

Romani maximus author Tullius eloquii de quodam ait, nullum unquam verbum, quod revocare vellet, emiſit. *Quæ laus*, ait S. Auguſt. *quamvis præclariſſima videatur, tamen credibilior eſt de nimium fatuo quàm de ſapiente perfecto. Quis eſt enim, ait Sapiens, qui non labitur in verbo? Quiſquis autem hoc nondum eſt aſſecutus, ſecundas partes habeat modeſtiæ, quia primas non potuit habere ſapientiæ*, inquit Aug. *Quia non valuit omnia non pœnitenda diligenter dixiſſe, pœniteat quæ cognoverit, dicenda non fuiſſe.* Illud Simonidis in promptu eſſe debet, ait Plut. ibid. *Pœnituit me ſæpè locutum eſſe, tacuiſſe nunquam.* Quod etiam Xenocrati tribuit Valer. Max. lib. 7. cum rogaretur cur ſolus ita linguam ſuam cohiberet, cum intereſſet ſummo ſilentio maledicis aliorum ſermonibus:

Aug. epiſt. 7.

Ibidem.

Virtutem primam eſſe puta compeſcere linguam, inquit Cato. *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio*, inquit S. Jac. cap. 1.

Sed videamus remedia, quæ ad linguam rectè moderandam adhiberi debent, ut peccata quæ lingua committuntur, varia ac penè infinita, facilius vitentur. Primum, ut homo purget cor ſuũ, & ſanctis cogitationibus occupet: *ex abundantia enim cordis os loquitur*, ait Chriſtus. *Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona; & malus homo de malo theſauro cordis ſui profert mala.* Hinc & Salomon ait; *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quià ex ipſo procedit vita. Remove à te os pravum, & detrahentia labia ſint procul à te. Oculi tui rectà videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Ubi præcipit Salomon, ut cor & intellectum rectis cogitationibus occupemus,

Matth. 12.

Prov. 4.

pemus,& locuturi præmeditemur quid dicamus, nec ſimus in loquendo præcipites, ut pravo ore carere poſſimus. Unde & D.Hier.monet: *Diu ante conſidera quid loquendum, & adhuc tacens provide, ne quid dixiſſe pœniteat. Verba tua ponderet cogitatio,& lingua officium animi libra diſpenſet*. Et D.Auguſt. *Perpende quid dicturus es, examina, conſule interiorem veritatem,& ſic profer ad exteriorem auditorem*. Bene datur cordi omnis cuſtodia, juxta dictum Sapientis, inquit Bern. à quo cætera procedere conſtat. *Non poteſt autem fieri ut habeat mala facta, vel verba, qui habet bonas cogitationes. Illa enim de cogitatione procedunt,* inquit Aug. *nec quiſquam poteſt facere aliquid, aut ad aliquid agendum membra movere, niſi præceſſerit juſſio cogitationis.*

Vid.Mon. 110. ex D. Ambr. In epiſt. ad Gelant. In pſal. 38. verſ.1. Prov.4. In ſerm.de tripl. cuſt. In pſ.148.

Secundum remedium eſt ſilentium, & pauca loqui. Sicut enim dicit Salomon: *In multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia ſua prudentiſſimus eſt. Verbis tuis facito ſtateram,* monēs omnia oris verba bene & prudenter ponderanda. *Sicut urbs patens, & abſque murorum ambitu; ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. Quia enim murum ſilentii non habet,* ait Greg. *patet inimici jaculis civitas mentis: & dum otioſa verba cavere negligimus, ad noxia quoque pervenimus. Sit omnis homo tardus ad loquendum. B.Virgo,* ait Ambr. *erat loquendi parcior.* Deus linguam incluſit ſub duobus ſeptis, dentibus & labiis, ait Chryſ. ut diligenter cuſtodiatur, & ne liberiùs evagetur. Et binas aures homini dedit, linguam unicā, ut moneretur plura audire, loqui pauca, ait D. Baſil. Laconiſmus probatur, qui eſt, ut definit Nazian. multa dicere paucis. Plato, ut refert Plutarchus de garrulit.

Prover. 10. Eccl.28. Prov.25. In Paſt. part.3. adm.15. Iac.1. De Virg. Hom. 22. ad popul. De vera Virgin. Epiſt.13.

garrulit. *laudat taciturnos & breviloquos, quorũ pauca verba, graves & multæ ſententiæ:* & comparat eos vehementibus jaculatoribus, quorum oratio eſt acris, denſa, contorta. Sic laudat S. Aug. *ſermones cujuſdam ſenis, quòd eſſent ſine cultu verborum, vivacitate ſententiarum jocundi, & graves; quibus idcirco,* inquit, *aſſiduus & fixus inhærebam.* Virgilius de quodam rabula; *Si tempus tacendi hic ſciret, raró loqueretur; tacendum enim ſemper eſt, niſi cum taciturnitas tibi noceat, aut oratio aliis proſit.* Cum Catoni Uticenſi etiamnum puero vitio daretur taciturnitas, ait; *Carpant taciturnitatem, modò vitam probent.* Et addidit: *Tum demùm abrumpam hoc meum ſilentium, quum ea loqui potero, quæ ſunt indigna ſilentio.* *Dum ipſa infirmitas animæ,* inquit Aug. *quam aggravat corpus quod corrumpitur, & audire vult & dicere; audire intus, dicere foris; aliquando perturbata ſtudio dicendi, deficit in diligentia agnoſcendi; & in his dicit aliquid quod fortè non eſſet dicendum; contra hæc, ait, remedium optimum eſt ſilentium.*

Libro 4. Conf. c. 3.

Donat. in vita.

In pſal. 38.

Tertium remedium, evitatio conſortii malè loquentium. Amicus enim ſtultorum ſimilis efficietur. *Cum ſtulto ne multum loquaris,* ait Sapiens, *& cum inſenſato ne abieris; ſerva te ab illo, ut non moleſtiam habeas, & non coinquinaberis peccato illius.* Dicit Eſaias c. 16. *Vir pollutus labiis ego ſum.* Rationem ſubdit: *In medio polluta labia habentis ego habito. Valdè enim difficile eſt, ut lingua ſecularium mẽtem non inquinet, quam tangit,* ait Greg. *quia dum plerumque eis ad quædam loquenda condeſcendimus, pauliſper aſſueti, hanc ipſam locutionem, quæ nobis indigna eſt, etiam delectabiliter tenemus, ut ex ea jam redire non libeat, ad quam velut ex condeſcẽſione dedu-*

Vide Gregor. lib. 3. Dial. c. 15. Prov. 13. Eccl. 12.

ſti, venimus inviti; ſicque fit ut ab otioſis ad noxia, à levioribus ad graviora verba veniamus, &c. Quiſquis malorum gaudeat conſortio, ait Euripides, rogare qualis ipſe ſit, nil eſt opus; nam quiſque ſimilis eſt ſodalitii ſui. Rectè D. Hier. *Proclivis eſt malorum imitatio, & quorum virtutes aſſequi nequeas, citò imitaris vitia.* Ac quod in naturalibus effectibus videmus, ut ignis igne, & omne ſimile ſimili gignatur, idem quoque evenit in moribus; nihil enim facilius quam ut ſuperbia ſuperbiam, iracundia iracundiam, loquacitas loquacitatem, omne denique vitium ſui generis vitium in aliorum animis pariat. Sicut autem conſuetudo malè loquentium periculoſa; ita converſatio cum iis qui linguam ſuam moderari conſueverunt, admodum ſalutaris. Unde Sap. *In multitudine presbyterorum ſta, & ſapientia illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei poſſis audire, & proverbia laudis non effugiant à te. Et ſi videris ſenſatum, evigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* Et iterum; *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum.*

Eurip. in Phœniſſ.

Epiſt. 7.

Eccl. 6.

Eccl. 8.

Quartum remedium, ob oculos habere mala, quæ accidunt iis qui lingua ſua abutuntur. Sic Plut. *Primum hoc ſit hujus perturbationis pharmacum ac medicamentum, probrorum & calamitatum, quæ ex ea oriuntur inſpectio. Et adhibenda eſt aſſidua contrariorum meditatio: audiendæ, commemorandæ, & in promptu habendæ taciturnitatis laudes, & gravitas, ſanctimonia, religioque ſilentij.* Narrat Divus Greg. de quadam Sanctimoniali; quæ carnis quidem continentiam habebat, ſed linguæ procacitatem & ſtul-

De garrul.

Li. 2. Dialog. ca. 23.

Digitized by Google

tiloquium non declinabat, quæ defuncta ac ſepulta, eadem nocte viſa eſt deduci ante ſacrum altare, & per medium ſecari, & pars una illius igne cremabatur, pars altera intacta remanebat: cujus flammæ combuſtio in ipſis marmoribus apparuit. De aliis duabus refert idem, quæ necdum perfectè linguam ſuam ſub habitus ſui fræno reſtrinxerant. Et

Li. 2. Dial. cap. 23: monitæ à S. Benedicto, ut corrigerent linguam ſuam, ſed nihil mutatæ, intra paucos dies morte punitæ, aliíſque pœnis ſubjectæ fuerunt.

Homil. 40. in Evang. Quærit idem Greg. Cur dives in tormentis poſitus, linguam ſuam refrigerari poſtulet, cum eum Scriptura non de loquacitate, ſed de elatione, & tenacia, ac edacitate notavit? *Niſi quod is qui convi-* Sap. 11. Plutarc. de Garrul. *vando magis de loquacitate peccaverat, per retributionis juſtitiam, in lingua atrocius ardebat? Abundare enim conviviis loquacitas ſolet.*

Epiſt. 5. lib. 1. *Fœcundi calices quem non fecêre diſertum?*

inquit Horatius. *Vetus proverbium eſt*, inquit Plut. *Quod in corde ſobrij eſt, id eſt in lingua ebrij.* Hinc Zeno, cum legatis Regiis Athenis adhibitus convivio, & tacens, ab iis interrogatus: De te, ô Zeno, quid Regi renuntiare nos convenit? *Nihil aliud*, inquit, *quā Athenis ſenem eſſe, qui novit inter pocula tacere.* Et Bias in convivio quodam tacens, & hoc nomine, tanquam ſtolidus & ineptus, à quodam garrulo taxatus: *Ecquis fatuus*, ait, *inter pocula tacere poſſit?* In conviviis, ut docet experientia, proferuntur obſcœna & impia, excitantur lites, contumeliæ, rixæ; homines ſe mutuò ad crapulam & Matth. 12. ebrietatem incitant, lacerantur abſentes, &c. *Si de* In Paſt. *verbo otioſo ratio redditur in die judicij* (quod terri- part. 3. ad- biliter dixit Dominus) *penſemus*, inquit Greg. *quæ*

pœna

pœna multiloquio maneat, in quo etiam per verba noxia peccatur? Qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam, ait Sap. Et, *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.* monit. 15. Prover. 22. Prover. 13. Vide Mon. 65. ex Prat. Spir.

Quintum ac præcipuum, ſumméque neceſſarium remedium ad frænandam linguam eſt, ferventibus precibus, ac miſericordiæ promptis operibus, orare Deum, ut frænetur lingua à malis, & *ſermo noſter ſemper ſit in gratia, ſale conditus, ut ædificet, detque gratiam audientibus,* quod monet Apoſt. *Domini eſt gubernare linguam,* ait Sap. *Linguam autem nullus hominum domare poteſt*, inquit Jacob. *Quod non ideo dixit,* ait D. Aug. *ut hujus in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur, ſed ut ad domandam linguam Divinæ gratiæ poſcamus auxilium. Non enim ait, linguam nullus domare poteſt, ſed nullus hominum; ut cum domatur, Dei miſericordia, Dei adjutorio, Dei gratia fieri fateamur. Conetur ergo anima domare linguam; & dum conatur, poſcat auxilium; & oret lingua, ut dometur lingua, domante illo, qui dixit ad ſuos; Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Coloſ. 4. Epheſ. 4. Prov. 16. Jacob. 3. De nat. & grat. ca. 15. Matth. 10.

Hoc petebat David, dicens; *Et ne auferas,* id eſt, *auferri permittas de ore meo verbum veritatis uſquequaque.* Et, *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Et, *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Salomon quoque, *Vanitatem, & verba mendacij longè fac à me.* Et Eccleſiaſticus; *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, ut non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me. Domine pater, & dominator vitæ meæ, ne* Pſal. 118. Pſal. 140. Pſal. 143. Prov. 30. Eccl. 22. & 23.

Digitized by Google

derelinquas me in cogitatu, & conſilio eorum, nec ſinas me cadere in illa exprobratione.

Imò ipſe Apoſtolus, cujus cor plenũ erat timore Dei, adhuc metuebat ſibi à peccato linguæ, & non tantum ipſe orabat, ut Deus ſibi daret legitimam ac rectam Evangelii prædicationem; ſed & alios rogabat, ut pro ſe eam à Deo peterent. Greg. Nazian. loquacitatem, quæ in ſenibus ſolet vireſcere, & ipſi quoque ſeni acciderat, hac diſciplina coërcuit, quadraginta videlicet dierum perpetuo ſilentio; quo abſoluto, ita ad Chriſtum: *Tibi linguam meam devinxi, & nunc eam ſolvo; quod utrumque ut piè faciam, te ſupplex rogo. Loquar, quæ loqui convenit; quæ autem nefas eſt loqui, ne animo quidem & cogitatione complectar.* Et D. Aug. petens à Deo intelligentiam Scripturarum, volens eſſe uſui fraternæ charitati, ac Domino ſacrificare famulatum cogitationis & linguæ ſuæ, ita orat: *Sint caſtæ delitiæ meæ, Scripturæ tuæ; nec fallar in eis, nec fallam ex eis. Circuncide ab omni temeritate, ab omnique mendacio, interiora & exteriora labia mea.* Et Doctorem ſeu prædicatorem monet; *Ipſa hora jam, ut dicat accedens, exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam ſitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit, fundat. Quis enim facit ut quod oportet, & quemadmodum oportet dicatur à nobis, niſi in cujus manu ſunt & nos, & ſermones noſtri.* Sic Auguſtinus.

Ephеſ. 6. Coloſ. 4. In Carm. de ſilentio Quadr. Libro 11. Conf. c. 31. Lib. 4. de doct. Chriſtian. c. 15. Sap. 7.

Tutius veritas auditur, quàm prædicatur, inquit idem Aug. *quoniam cum auditur, humilitas cuſtoditur; cum autem prædicatur, vix non ſurrepit cuivis hominum quantulacunque jactantia, in qua utique inquinantur pedes. Ergo ut Apoſtolus Iacobus dixit, Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.*

Aug. tract. 56. 57. in Ioan. & ſer. 82 in Nov. Iac. 1.

Digitized by Google

quendum. Dicit & alius homo Dei; Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Hoc eſt quod dixi, cùm veritas auditur, humilitas cuſtoditur. Dicit & alius: Amicus autem ſponſi ſtat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Fruamur auditu, ſine ſtrepitu nobis loquente intrinſecus veritate; quanquam etiam cum forinſecus inſonat per legentem, per prædicantem, conſolantem, exhortantem, pſallentem, &c. ipſi qui hæc agunt, inquinare pedes ſuos timeant, cum placere hominibus, ſurrepente humanæ laudis amore, affectant. Pſal. 50. Ioan. 3.

Cæterùm qui eos audit libenter & piè, non habet locum jactandi ſe in alienis laboribus; & non inflatis, ſed humiliatis oſſibus, gaudio gaudet propter vocem Dominicæ veritatis. Hinc cum à quiete ad actionẽ vocantur ſancti, dicunt in Cant. *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? refugientes prædicationem, quam ſine peccato ſe facere non poſſe ſentiunt. Quod enim tranquillè diſcunt, perturbatè docent, id eſt, cum perturbatione adminiſtrant, quia vel ignorant homines, vel non recipiunt,* &c. *& ſi reprehenduntur, turbantur; ſi laudantur, inflantur.* Unde Dominus apud Ezechielem; *Aquam puriſſimam bibiſtis, ſed eam pedibus veſtris turbaſtis,* &c. Vide etiam Aug. ſer. 55. in Nov. & in Pſalm. 50. verſu *Auditui.* Cant. 5. Ezech. 34.

MONITUM XVIII.

Attende lectioni. 1. Timot. 4.

CHriſtus roganti, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? reſpondit, In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? Ad lectionem ſacram ſuo exemplo hortatur nos D. Virgo, de qua dicit

Lib. 2. de Virginib. Ambr. quod *erat legendi ſtudioſior, & quod tum ſibi minus ſola videbatur, cum ſola eſſet: nam quemadmodum ſola, cui tot libri adeſſent, tot Archangeli, tot Prophetæ?* In Evãgelio etiam conſtat, optimè verſatam fuiſſe in Scriptura, ubi S. Luc. ait; *Maria conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Quia enim ſanctas Scripturas legerat*, inquit V. Beda, *& ſciebat Prophetas, conferebat ſecum ea, quæ ſunt acta de Domino, cum his quæ noverat à Prophetis ſcripta de Domino, & collata ad invicem, inſtar cœleſtium Cherubim, ſocia ſui vultus luce, concordia cognovit.*

Luc. 2.

In cap. 2. Luc.

In Epiſt. ad Demetr. Ad eandem lectionem frequenter hortatur D. Hieron. ac ita quidem Demetriadem:

Unum illud tibi, nata Deo, præque omnibus unum
Prædicam, & repetẽs iterumque iterumque monebo,

ut animum tuum ſacræ lectionis ſtudio occupes, nec in bona terra pectoris tui, ſementem lolij, avenarumque ſuſcipias, ne dormiente patrefamilias, qui eſt animus Deo ſemper adhærens, inimicus homo zizania ſuperſeminet. Euſtochium quoque hortatur: *Crebius lege, diſce quamplurima. Tenenti codicem, ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat.* Sic & Celantiam. *Præcipua tibi cura ſit legem noſſe Divinam, per quam poſſis quaſi præſentia cernere exempla Sanctorum, & quid faciendum ſit, quidve vitandum, illius conſilio diſcere. Maximum enim ad juſtitiam auxilium eſt, implere Divinis eloquiis animum, & quod opere exequi cupias, ſemper corde meditari. Sint ergo Divinæ Scripturæ ſemper in manibus tuis, & jugiter in mente volvantur.*

In epiſt. ad Celant.

In epiſt. ad Ruſtic. Similiter & Ruſticum; *Nunquam*, inquit, *de manibus tuis, & oculis tuis recedat liber. Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis. Scribantur*

libri

Digitized by Google

libri, ut & manus operetur cibum; & animus lectione ſaturetur. Et ad Lætam ſcribit de inſtitutione filiæ: *Pro gemmis & ſerico Divinos codices amet. Diſcat primò pſalterium, his ſe canticis avocet: & in proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam; in Eccleſiaſte conſueſcat, quæ mũdi ſunt calcare; in Iob virtutis & patiẽtiæ exempla ſectetur. Ad Evangelia tranſeat, nunquam poſitura de manibus. Apoſtolorum acta & epiſtolas tota cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris ſui cellariũ his opibus locupletaverit, mandet memoriæ Prophetas, &c. Cypriani opuſcula ſemper in manu teneat. Athanaſij epiſtolas, & Hilarij libros inoffenſo decurrat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet.* In epiſt. ad Lætam.

Sanctus Eunuchus, ait idem Hier. de quo in actis, *tantus amator legis, Divinæque ſcientiæ fuit, ut etiam in vehiculo ſacras literas legeret. Ambroſius, quo chartas, ſumptus, Notarios miniſtrante, tam innumerabiles libros ſcripſit Origenes, refert nunquam ſe, Origene præſente, ſine lectione cibum ſumpſiſſe, nunquam iniſſe ſomnum, niſi unus è fratribus, ſacris literis perſonaret. Hoc diebus egiſſe & noctibus, ut & lectio orationem exciperet, & oratio lectionem. Quid nos ventris animalia,* ait Hier. *tale unquam fecimus?* In epiſt. ad Paulin. Actor. 8.

Quam autem ſit utile lectioni ſacræ vacare, inde facilè quivis intelliget, ſi in memoriam revocet quomodo Aug. adhuc adoleſcens, & à pietate alienus, excitatus ſit lectione libri Ciceronis, qui vocatur Hortẽſius, in quo lectorem exhortabatur ad quærendam & diligendam ſapientiam. *Ille,* inquit ipſe Aug. *liber mutavit affectum meum, & ad teipſum, Domine, mutavit preces meas, & vota mea ac deſideria fecit alia. Viluit mihi repentè omnis vana* Li. 3. Confeſſ. cap. 4.

Digitized by Google

ſpes, & immortalitatem Sapientia concupiſcebam aſtu cordis incredibili; & ſurgere jam cœperam, ut redirem ad te. Non enim ad acuendam linguam referebam illum librum, neque mihi locutionem, ſed quod loquebatur, perſuaſerat. Quam ardebam, Deus meus, quam ardebam evolare à terrenis ad te; & neſciebam quid ageres mecum, apud te enim eſt ſapientia. Si ille ſic immutatus eſt lectione authoris Ethnici, ad ſapientiam hortantis; quantam ad movendum vim habebunt ſcripturæ ſacræ, & ſimiles libri, ſi eo ſpiritu legantur quo ſcripti ſunt?

Li. 8. Conf. cap. 12. Id in ſe expertus Auguſt. in ſua converſione, ut teſtatur in Confeſſ. primò ante baptiſmum anxius quid ageret, audivit vocem: Tolle, lege: Tolle, lege: interpretans divinitus ſibi juberi, ut aperiret codicem, & legeret, quod primum capitulum inveniſſet; arripuit, aperuit, & legit in ſilentio capitulum quò primum conjecti ſunt oculi: Rom. 13. *Non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Statimque cum fine hujus ſententiæ, omnis fugit dubitatio. Deinde jã baptizandus, Li. 9. Conf. cap. 4. *Quas tibi, Deus meus,* ait, *voces dedi, cum legerem pſalmos David, cãtica fidelia, ſonos pietatis, excludentes turgidum ſpiritum? Quas tibi voces dedi, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, ſi poſſem toto terrarum orbe adverſus typhum generis humani. Et tamen toto orbe cantantur, & non eſt qui ſe abſcondat à calore tuo.* Et de libris Confeſ. Lib. 2. Retract. ca. 6. ſuarum, quas ſcripſit jam Epiſcopus: *De malis & bonis meis,* inquit, *laudant juſtum & bonum Deum, atque in eum excitant humanum intellectum & affectum.*

ctum. Hoc in me egerunt cum ſcriberentur, & agunt cum leguntur.

Quantam ex lectione Scripturarum hauſerit utilitatem Victorinus Rhetor nobiliſſimus, uſque ad ſenectutem idolorum venerator, narrat ibi S. Auguſtinus. Legebat ſanctam Scripturam, omneſque Chriſtianas literas inveſtigabat ſtudioſiſſimè, & perſcrutabatur; & dicebat Simpliciano, non palam, ſed ſecretius ac familiarius, noveris me jam eſſe Chriſtianum. Et reſpondebat ille, non credam, nec deputabo te inter Chriſtianos, niſi in Eccleſia Chriſti te videro. Ille autem irridebat eum dicens, Ergóne parietes faciunt Chriſtianos? Et hoc ſæpè dicebat, jam ſe eſſe Chriſtianum, & Simplicianus illud ſæpè reſpondebat, & ſæpè ab illo parietum irriſio repetebatur. Amicos enim ſuos verebatur offendere, ſuperbos dæmonicolas, quorum ex culmine Babylonicæ dignitatis, quaſi ex cedris Libani, quas nondum contriverat Dominus, graviter ruituras in ſe inimicitias arbitrabatur. Sed poſteaquam legendo & inhiando auxit firmitatem, timuitque negari à Chriſto coram Angelis ſanctis, ſi eum timeret coram hominibus confiteri, reuſque ſibi magni criminis apparuit, erubeſcendo de Sacramentis humilitatis verbi Dei, & non erubeſcendo de ſacris ſacrilegis dæmoniorum, quæ imitator ſuperbus acceperat: depuduit vanitati, & erubuit veritati, ſubitoque & inopinatò ait Simpliciano, Eamus in Eccleſiam, Chriſtianus volo fieri. At ille non capiens ſe lætitia, perrexit cum eo. Ibique palam & intrepidè fidem Chriſtianam confeſſus, non erubuit,

Lib. 8. Cōf. cap. 2.

Matth. 10.

eſſe puer Chriſti, & infans fontis ejus, ſubjecto collo ad humilitatis jugum, & edomita fronte ad crucis opprobrium.

Li.8. Conf. cap.6. Similem utilitatem ex lectione ſacra oſtendit in duobus illis Aulicis, qui dum Imperator apud Treviros pomeridiano Circenſium ſpectaculo teneretur, exierunt deambulatum in hortos muris contiguos, & vagabundi irruerunt in quandam caſam, ubi habitabant quidam ſervi Dei, ſpiritu pauperes, qualium eſt regnum cœlorum. Et invenerũt ibi Codicem, in quo ſcripta erat vita Antonij. Quam legere cœpit unus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relicta militia ſeculari, ſervire Deo. *Tunc ſubitò repletus amore ſancto, & ſobrio pudore, iratus ſibi, conjecit oculos in amicum, & ait illi; Dic, quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris, quò ambimus pervenire? Quid quærimus? Cujus rei cauſa militamus? Majórne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quam ut amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu iſtud erit? Amicus autem Dei, ſi voluero, ecce nunc fiò. Dixit hoc, & turbidus parturitione novæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus ubi Deus videbat, & exuebatur mundo mens ejus, ut mox apparuit. Namque dum legit, & volvit fluctus cordis ſui, infremuit aliquando, & diſcrevit, decrevitque meliora, jamque Domini factus, ait amico ſuo; Ego jam me abrupi ab illa ſpe noſtra, & Deo ſervire ſtatui, & hoc ex hora hac in hoc loco aggredior. Te ſi piget imitari, noli adverſari. Reſpondit ille, ſe adhærere ſocio tantæ mercedis, tantæque militiæ. Et ambo jam Domini facti, ædificabant turrim*

Matth. 5.

Luc. 14.

rimi ſumptu idoneo, relinquendi omnia ſua, & ſequendi Dominum.

D. etiam Fulgentius, juvenis, opibus, & nobilitate conſpicuus, magnus in ſeculo, major futurus ſi in eo manſiſſet, commonitus & compunctus diſputatione expoſitionis D. Aug. in Pſal. 36. ubi lubricus hujus vitæ ſtatus, & caducus proſperitatis flos, ubi bonorum præmia, & impiorum ſupplicia luculenter ponuntur ob oculos, relicto ſeculo ac matre vidua, quam unicè dilexerat, totum ſe Deo conſecravit. Nonne lectio ſacra B. Ignatio Societatis Ieſu Fundatori, ſalutis fuit initium? Cum enim affixus lectulo fallendi temporis cauſa, prophanum quempiam librum popoſciſſet, ex iis quos antea per otium lectitare conſueverat, Divino planè conſilio factum eſt, nullus ut eo tempore domi liber eſſet ejuſmodi: At verò longè meliores alii duo reperti ſunt, quorum alterius, vita Chriſti, alterius (quo ſelecta virtutum exempla continebantur) Sanctorum flores, erat inſcriptio. Quos dum ſibi oblatos variis locis quaſi aliud agens delibat, ſenſim capi cœptus eſt pulchritudine eorum quæ ſcripta reperiebat, atque adeò inter ipſam lectionem ad ea ſequenda accendi.

In vit. c. 5.

In vita per Maffæ. li. 1.

MONITUM XIX.

Ne deſideres de cibis illius, in quo eſt panis mendacii.

Prov. 23.

SIcut amanda & frequentanda eſt lectio ſacra: ita prophana, & maximè turpis & obſcœna

dili

diligenter vitanda, quia pernicioſa eſt. Ex lectione enim turpium, turpificatus animus, earum rerum quas legit, ſenſim affectu tingitur, & libidine tandem incenſus, ea incipit appetere. Prudenter Lacedæmonii libros Archilochi Poëtæ maximi, ſed obſcœni, è ſua civitate exportari juſſerunt, quòd eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum ſuorum animos imbui, ne plus moribus nocerent, quam ingeniis prodeſſent. Rectè quidam,

Val. Max. lib. 6. ca. 3.

Laſcivaque pagina multos
Efficit inceſtos, in Veneremque trahit.

Ipſe Ovidius, qui libros amorum ſcripſit, eorum lectionem prohibet, dicens;

Lib. 2. de art. amandi.

Eloquar invitus, teneros ne tange Poëtas:
Submoveo dotes impius ipſe meas.

Et de aliis impuris Poëtis ait;

Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli?
Vel tua, cujus opus Cynthia ſola fuit?

Dæmonum cibus eſt, inquit Hieron. *Carmina poëtarum, ſecularis ſapientia, Rheticorum pompa verborũ. Hæc ſua omnes voluptate delectant, & dum aures verſibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt. Verùm ubi cum ſummo ſtudio fuerint ac labore perlecta, nihil aliud niſi inanem ſonum, & ſermonum ſtrepitum, ſuis lectoribus tribuunt: nulla ibi ſaturitas veritatis, nulla refectio juſtitiæ reperitur. Studioſi earum in fame veri, & virtutum penuria perſeverant.*

In epiſt. ad Damaſ. de filio prodigo.

D. Auguſt. agens de libris Gentilium; *Didici*, inquit, *in eis multa verba utilia, ſed & quæ in rebus non vanis diſci poſſunt, & ea via tuta eſt, in qua pueri ambularent.* Et ad objectiones vanorum hominum,

Lib. 1. Cõf. cap. 15.

Digitized by Google

qui dicunt, *Hinc verba diſcuntur, hinc acquiritur eloquentia rebus perſuadendis, ſententiiſque explicandis maximè neceſſaria.* Reſpondet, *Ita verò non cognoſceremus verba hæc, imbrem aureum, & gremium, & fucum, & templa cœli, & alia verba, quæ in eo loco ſcripta ſunt, niſi Terentius induceret nequam adoleſcentem, proponentem ſibi Iovem ad exemplum ſtupri, dum ſpectat tabulam quandam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc, Iovem quo pacto Danaæ miſiſſe aiunt, in gremium imbrem aureum, fucum factum mulieri. Et vide quemadmodum ſe concitat ad libidinem, quaſi cœleſti magiſterio. At quem Deum? inquit, Qui templa cœli ſummo ſonitu concutit. Ego homuncio id non facerem? Ego verò illud feci, ac lubens. Non omninò per hanc turpitudinem verba iſta commodius diſcuntur, ſed per hæc verba turpitudo iſta confidentius perpetratur. Non accuſo verba, quaſi vaſa electa, ſed vinum erroris, quod in eis nobis propinatur ab ebriis doctoribus.* Unde & Cyprian. epiſt. 2. ad Donat. *Deos ſuos, quos venerantur, imitantur; fiunt miſeris & religioſa delicta.* Et Tert. in Apolog. *Inceſti qui magis, quàm quos Iupiter docuit. Qui ex matre Rhea, & filia puella prolem ſuſcepit, & propria ſorore pro conjuge uſus eſt,* inquit Athenagoras. Li. 1. Conf. cap. 16. In Eunuch. In Apol. pro Chriſt.

Qui autem præ ſe ferunt, ſe non hoc agere; ut diſcant quæ dicunt aut ſcribunt authores ſpurci, ſed tantum quemadmodum dicant ea, legere vel audire: meminerint neceſſe eſſe, ut in animum eorum veniant, ſimul cum verbis quæ diligunt, res etiam quas fortè negligunt. Neque enim ea dirimere poſſunt. Et dum cor aperiunt ad excipiendum quàm diſertè ſcribant, vel dicant, pariter intrat, quàm vanè ac impudicè. Sed cum Vide Aug. lib. 5. c. 14. Confeſſ.

quan

quanto periculo ac detrimento, quis non videt?

Lib. 5. Cõfeſſ. cap. 6. Sed nonne *veritas* (*quæ ubicunque eſt, Domini noſtri eſt*) *à Gentilibus tanquam injuſtis poſſeſſoribus in uſum noſtrum vendicanda eſt?* Ita quidem D. Aug.

Lib. 2. de doctrina Chriſt. ca. 18. 40. Sed non eſt cujuſvis in venenatis undique pratis puram aliquam herbam, alicubi fortè latentem, ſine læſione colligere; non eſt cujuſvis aurũ in luto hominem demergente quærere. Nec eſt prudentis, magno labore & periculo, aurum è longinquo petere, ubi domi exiguo cum labore, nullóque periculo, tantundem queas obtinere. Hoc ergo magnorum eſt, & eorum, qui ut ait Apoſt. *exercitatos*

Hebr. 5. In epiſt. de filio prodigo. *habent ſenſus, ad diſcretionem boni & mali.* Qualis erat D. Hier. qui, *quando Philoſophos legimus,* inquit, *quando in manus noſtras libri veniunt ſapientiæ ſecularis; ſi quid in eis utile reperimus, ad noſtrum dogma convertimus. Si quid verò ſuperfluum, de idolis, de amore, de cura ſecularium rerum, hæc radimus, hæc in unguium morem, ferro acutiſſimo diſſecamus.*

In epiſt. ad Magnum Orat. Idem cum à Magno Oratore, à Ruffino ſubornato, per epiſtolam interrogatus eſſet, cur in opuſculis ſuis ſecularium literarum interdum ponat exempla, & candorem Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus pollueret? Reſpondet ei adferens varia aliorum exempla qui id fecerunt, etiam ipſius Apoſto-

Tit. 1. 1. Cor. 15. Actor. 15. Deut. 21. li Pauli, qui ex Epimenide recitat, *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.* Ex Menandro: *Corrumpunt mores bonos colloquia prava.* Ex Arato: *Ipſius enim & genus ſumus.* Adfert etiam ex veteri teſtamento, de captiva muliere, cujus radendum caput, ſupercilia, omnes pili, & ungues corporis amputandi; & ſic habenda in conjugio. *Quid ergo mirum, ſi & ego,* inquit, *ſapientiam ſecularem propter*

eloquii

eloquii venuſtatem, & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiva Iſraëlitidem facere cupio, & ſi quid in ea mortuum eſt idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado, & mixtos puriſſimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth?

Id ſe etiam feciſſe, teſtatur Aug. legens libros quorũdam Platonicorum. *Intendi*, inquit, *in aurum & argentũ, quod ab Ægypto voluiſti Domine, auferret populus tuus, quoniam tuum erat, ubicunque erat. Et dixiſti Athenienſibus per Apoſtolum tuum, quod in te vivimus, movemur, & ſumus, ſicut & quidam ſecundùm eos dixerunt. In idola autem Ægyptiorum non attendi. Quibus de auro tuo miniſtrabant, qui tranſmutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius, quam creatori.* Et hoc diligenter cavendum, ne ex ipſorum tenebris, luci Eccleſiæ aliquid inferamus, quod ejus maculet puritatem.

Li.7.Confeſſ.cap.9. Exod.3 & 11. Actor.17. Vide part. 1. Mon.85.

Lectio autem librorum, qui ab hæreticis ſunt conſcripti, multò amplius vitanda, quorum ſermo ut cancer ſerpit, qui venena lethalia verbis & libris peſtiferis evomunt, quorum lectio ſingulorũ pectoribus mortale virus infundit. *Non deſideres de cibis illius*, inquit Sapiens, *in quo eſt panis*, id eſt, doctrina, *mendacii*: hoc eſt, Ne legas libros ejus vel expoſitiones, qui habet falſam doctrinam. *Nemo hoc impunè præſumat*, ait S. Leo, *nec inter Catholicos cenſeatur, quiſquis Scripturis utitur ab Eccleſia Catholica damnatis.* Et Iſaiæ Abbatis præceptum eſt, *Si librum inveneris, qui dicatur eſſe hæreticorum, cave illum legas, ne veneno mortifero cor tuum impleat.* De opuſculis Juliani Pelagia. ita V. Beda; *Ea*, inquit, *cautiſſimè legat, ne per copiam eloquentiæ blandientis,*

2. Tim.2. Prov. 23. Leo epiſt. 93. Orat.4. In Cant. cap.1.

ris,in cœnum incidat doctrina nocentis;ſed ut dici ſolet,ita carpat botrum,ut ſpinas caveat,i.in dictis ejus ſanos ſenſus ſcrutetur; & eligat, ut non minus vitet inſanos. Vel potius illud faciat Maronis,

Eclog.3.

Qui legitis flores,& humi naſcientia fraga,
Frigidus,ô pueri,fugite hinc,latet anguis in herba:
id eſt,ſe ab ejus per omnia lectione compeſcat.

Quod de omnibus hæreticorum libris, ſub graviſſima pœna ſanxit Eccleſia. Et eſt Conſtantini Magni epiſtola, in qua præcipit, ut ſi quiſquam Arij libros celaſſe comperiatur, & non repentè prolatos,igne conſumpſiſſe,mortis ſupplicio ſubjaceat. Vide memorabilem hiſtoriam in Prato ſpirituali,libello magnæ authoritatis;citatur enim in Conc.Nicæn.2.de non legendis, nec ſervandis libris hæreticorum. De Origene ita Caſſiodorus: De Origene concluſivè dictum eſt; *Vbi bene,nemo melius;ubi malè,nemo peius.* Et ideo cautè, ſapienterque legendus eſt, ut *ſic inde ſuccos ſaluberrimos aſſumamus,ne pariter ejus venena perfidiæ, vita noſtra contraria,ſorbeamus.* Cui & illud convenienter aptari poteſt,quod Virgilius, dum Ennium legeret,à quodam quid faceret, requiſitus, reſpondit; *Aurum ex ſtercore quæro.*

Lib.2.hiſt. Trip.c.15.

Prat.ſpir. cap.46.

De inſtit. divinar. lection.

Non deſunt Sapientes, qui cenſent omnia hæreticorum ſcripta,etiam quæ utilia ſunt,in authorum talium deteſtationem, æterna oblivione obliterandâ; Sicuti in veteri teſtamento mandaverat Dominus de civitate quæ defecerat ad Deos alienos; *Delebis eam,omniaque quæ in ea ſunt: quicquid etiam ſupellectilis* (quantumvis pretioſæ ac utilis) *fuerit,congregabis,& cum ipſa civitate ſuccendes.* At licèt non ſingula quæ ſcripſerunt,hæretico veneno

Deut.13.

infecta ſint, fieri tamen facilè poſſet, ut quis captus verborum blanditiis, & dicendi elegantia, quibus non parum ſtudent; ſenſim ab incorruptis ad vitioſa deſcenderet. Huc pertinet quod parens Societ. Jeſu Ignatius prudenter aiebat; *Dum mali authoris bonus liber legitur, primò quidem placet ipſe liber, paulatim deinde, qui librum ſcripſit: qui quidem probatus, blandè in animos teneros ac molles influit, & lectoribus jam benevolis ſuique amantibus, doctrinam ſuam facilè perſuadet, ut quicquid ſcriptum ab illo ſit, id etiam verum judicetur.* Ita quod infectum veneno eſt, id longiſſimè etiam ſerpit; & dum principiis cautè non obſiſtititur, ægrè vitantur extrema. In Vita per Ribad. li. 5. c. 10.

MONITUM XX.

Attendite ne graventur corda veſtra in crapula & ebrietate.

Luc. 21.

F*Rani gutturis*, inquit S. Aug. *temperata relaxatione & conſtrictione tenendi ſunt.* Et rurſum; *Hoc me docuiſti, Domine, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* Et alius Sapiens; *Corporalibus fomentis temperatè utendum, non deſiderio nimio, inhærendum; abjicere omnia non licet, quia natura ſuſtentanda eſt; requirere autem ſuperflua, & quæ magis delectant, lex ſancta prohibet.* Inter corruptos urbis mores recenſet Saluſt. *non famem, non ſitim operiri, ſed ea omnia luxu antecapere.* Ac Socrates præcipiebat abſtinere ab eo cibo; Libr. 10. Confeſſ. cap. 31. Kemp. lib. 3. de Imit. In Catilin. Plutarch.

& potu,qui non eſurientes,ad edendum & bibendum provocarent.

Aug.ibid.

Sed ait D.Aug. *Cum ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adjungit ſeſe tanquam pediſſequa periculoſa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere, vel dico, vel volo. Nec idem modus utriuſque eſt: nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt.* Sed quia cupiditas ſemper ad exceſſum tendit, ideo ſervus Dei, inquit Hugo, ut eam poſſit reprimere, ſemper debet ad minus tendere, ut ipſorum alimentorum ac veſtimentorum minus velit habere, etiam quam neceſſe ſit. Plus ſemper appetit voluptas, quã neceſſitas. Humanã natura modico contenta eſt, ſed conſuetudo multa addidit; voluntas, & voluptas plura copulaverunt.

In explic. Reg. 5. Aug. ca. 5.

Rurſum Aug. *Alimentorum ſuſtentaculis indigemus; ſi ſuavia non ſunt, quæ ore ſumuntur, nec ſumi poſſunt, & nauſeando ſæpè reſpuuntur, & pernitioſa ſunt cavenda faſtidia. Non ſolum ergo cibo, ſed & cibi ſapore indiget infirmitas corporis noſtri, non propter exſaturandam libidinem, ſed propter tuendam ſalutem. Cum ergo natura quodammodo poſcit ſupplementa, quæ deſunt, non vocatur libido, ſed fames, aut ſitis. Cum verò ſuppleta neceſſitate, amor edendi ſollicitat animum, jam libido eſt, jam malum eſt, cui cedendum non eſt, ſed reſiſtendum. Quæ duo, id eſt, famem, & edendi amorem, etiam Poëta diſcrevit, qui poſt maris jactationem, ſociis Æneæ naufragis & peregrinis ſatis eſſe judicans, tantum ſumere alimentorum quantum indigentia refectionis poſtularet, ait:*

Cont. Iulian. lib. 4. cap. 14.

Virg. Æneid. 1.

Poſtquam exempta fames epulis, menſæque remotæ.

Cum verò Æneas ipſe ab Evandro Rege ſuſceptus eſt hoſpes, decentius arbitratus ampliores exhiberi epulas Regias,

Digitized by Google

Regias, quam neceſſitas poſceret, non ſatis fuit ei ut diceret, Poſtquam exempta fames; ſed addidit, Et amor compreſſus edendi. Æneid. 8.

Quantò magis nos noſſe ac diſcernere debemus, quid neceſſitas refectionis, quid libido edacitatis expoſcat: quorum negotium eſt, contra concupiſcentem carnem ſpiritu concupiſcere, & condelectari legi Dei ſecundum interiorem hominem, ejuſque delectationis ſerenitatem, nullis libidinoſis delectationibus nubilare. Nam iſte amor edendi, non edendo, ſed continendo eſt comprimendus. Quis autem mente ſobrius, non mallet, ſi fieri poſſet, ſine ulla mordaci voluptate carnali, vel arida ſumere alimenta, vel humida, ſicut ſumimus hæc aëra, quæ de circumfuſis auris, reſpirando & ſpirando ſorbemus & fundimus. Hæc Aug. Galat. 5. Rom. 7.

Modicus ac temperatus cibus, ait D. Hier. *& carni & animæ utilis eſt*. Et alibi; *Parcus cibus & venter ſemper eſuriens, triduanis jejuniis præfertur, & multo melius eſt, quotidie parum, quam rarò ſatis ſumere. Pluvia illa optima eſt, quæ ſenſim deſcendit in terram, ſubitus & nimius imber in præceps arva ſubvertit.* Legimus quoſdam morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, proſcriptione bonorum, ad ſimplicem menſam, & pauperes cibos redactos convaluiſſe; caruerunt enim ſollicitudine diſpenſandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus & animam fraudant. In epiſt. ad Ruſtic. In epiſt. ad Furiam. Lib. 2. in Iovinian.

Sunt quibus in ſolo vivendi cauſa palato eſt, ait Poëta. Verum tu *non vivas, ut edas; ſed edas, ut vivere poſſis. Paucis*, inquit Boëth. *minimiſque natura contenta eſt, cujus ſatietatem, ſi ſuperfluis urgere velis, aut injucundum quod infuderis, fiet, aut noxium. Qui Chriſtū deſiderat, & illo pane veſcitur, non magnoperè* Iuven. Sat. 10. De Conſ. li. 1. proſ. 5

quarit, de quàm pretioſis cibis ſtercus conficiat, inquit Hieron. ad Paulin.

Multa autem ex comeſſatione & ebrietate oriuntur mala; & corporalia, quæ nota ſunt; & ſpiritualia. Quorum primum eſt luxuria atque libido.

In 1. cap. ad Tit. Unde D. Hier. *Ubicunque ebrietas atque ſaturitas fuerint, ibi libido dominatur. Specta ventrem & genitalia; pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. Vicina ſunt membra loco, ſic & vitio. Nunquam ego ebrium caſtum putabo, qui etſi vino cōſopitus dormierit, potuit tamen peccare per vinum.* Et rurſum; *Dicit Apoſtolus: Noli inebriari vino, in quo eſt luxuria. Venter enim mero æſtuans, citò deſpumat in libidines. Noë ad unius horæ ebrietatem nudat femora ſua, quæ per ſexcētos annos ſobrietate contexerat. Loth per temulentiam libidini miſcet inceſtum, & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt.* Et alibi: *Quod ſi quis exiſtimet, & abundantia ciborum, potionumque ſe perfrui, & vacare poſſe ſapientiæ; hoc eſt, & verſari in delitiis, & delitiarum vitiis non teneri, ſeipſum decipit. Cùm enim procul ab his remoti ſæpè capiamur naturæ illecebris; & cogamur ea cupere, quorum copiam non habemus, quantò magis, ſi circundati retibus cupiditatum, eſſe nos liberos arbitremur?*

Epheſ. 5. In epiſt. ad Oceanum. Lib. 2. in Iovinian.

In Paſt. part. 3. admon. 20. Et D. Greg. *Quod, inquit, gulæ deditos, levitas protinus operis ſequitur, auctoritas ſacra teſtatur, dicens: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Quos plerumque edacitas uſque ad luxuriam pertrahit, quia dum ſatietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur. Unde & hoſti callido, qui primi hominis ſenſum in concupiſcentiam pomi aperuit, ſed in peccati laqueo ſtrinxit, divina voce dicitur; Pectore & ventre repes. Ac ſi ei apertè diceretur, cogi-*

Exod. 32. Geneſ. 3.

tàtione

tatione & ingluvie ſuper humana corda dominaberis. Quia gulæ deditos luxuria ſequitur, Propheta teſtatur; qui dum aperta narrat, occulta denuntiat, dicens, Princeps cocorum deſtruxit muros Ieruſalem. Princeps namque cocorum venter eſt, cui magna cura obſequium à cocis impenditur, ut ipſe delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Ieruſalem virtutes ſunt animæ ad deſiderium ſupernæ pacis elevatæ. Cocorum igitur Princeps muros Ieruſalem dejicit, quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriam deſtruuntur. 4. Reg. 25. ex 70.

Aliud malum, quod ex illis vitiis naſcitur, eſt Inexplebilis avaritia. Duplex enim eſt avaritia, inquit S. Auguſt. Una eorum, qui nimis cupidè ſervant ſua; altera eorum qui rapiunt aliena. Unde Dominus in Evangelio dicit; *Cavete ab omni avaritia.* Et D. Hier. *Avaritiæ tibi vitandum eſt malum; tum ut tua, quæ ſunt aliena, non ſerves; tum ut aliena non appetas; quod & publicæ leges puniunt.* Tales ſunt voluptuoſi; ſtudent enim undecunque etiam ex malo acquirere, ut habeant, quo voluptates ſuas expleant; hinc ſpoliantur pauperes, & rapinæ fiunt, ut fames pauperum tranſeat in delitias voluptuoſorum. Hinc Ariſtoteles dicit in Ethicis: *Omnem prodigum eſſe avarum.* Et D. Ambr. *Luxum eſſe avaritiæ matrem; quum enim exhauſerit quis luxuriando proprias facultates, quærit poſtea avara compendia.* Serm. 63. in Nov. Luc. 12. In epiſt. ad Euſtoch. De Helia & ieiun. cap. 19.

D. quoque Hier. *Ciborum aviditas, quod avaritiæ mater ſit, & animum quaſi quibuſdam compedibus degravatum, in terra teneat, quis ignorat? Propter brevem gulæ voluptatem terræ luſtrantur, & maria, & ut mulſum, vinum, pretioſiſque cibus fauces* Lib. 2. in Iovinian.

Ibidem. *noſtras tranſeat, totius vitæ opera deſudamus.* Et rurſum; *Tolle epularum & libidinis luxuriam, nemo quærit divitias, quarum uſus aut in ventre, aut ſub ventre eſt.* De Catilina ait Saluſt. (In bello Catil.) *Sui profuſus, alieni appetens.* Et Aug. dicit ebrioſos, & voluptuoſos fieri fures, raptores, fraudulẽtos. (In pſalm. 139. Ser. 12. de Quadr.) *Luxus,* inquit Claudia, *populator opum.* Et Plautus in Trinummo, *Luxuria inopiæ mater. Pauperies* autẽ, ut ait Horat. (Ode 24. lib. 4.) *jubet quidvis & facere, & pati; virtutiſque viam deſerit arduæ.* Denique D. Leo: *Circumſtant,* inquit, *undique pericula innumerabilium delictorum, & per licitos uſus ad immoderatos tranſitur exceſſus, dum per curam ſalutis irrepit delectatio voluptatis; & non ſufficit concupiſcentiæ, quod poteſt ſatis eſſe naturæ. Hinc habendi amor nunquam ſatiandus exoritur, hinc cupiditas eminendi, quæ vel ſtirpi ſuæ innexa, vel ſoboli, nunc prolem habet ſuperbiam, nunc parentem.*

Tertium denique malum, quòd ex comeſſatione & ebrietate oritur, eſt cæcitas mentis, & oblivio Dei. Sunt enim ſpinæ Evangelicæ maximè ſuffocantes verbum Dei, (Luc. 8. & 21.) adeò ut per eas non vacet cõſiderare opera Dei; quemadmodum ait Iſaias exclamans adverſus voluptatum ſectatores: (Iſai. 5.) *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis; cythara, & lira, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis veſtris, & opus Domini non reſpicitis, & opera manuum ejus non cõſideratis.* Rectè D. Leo: (Serm. 8. de jejun. 10. menſ.) *Quotidiano experimento probatur, potus ſatietate aciem mentis obtundi, & ciborum nimietate vigorem mentis hebetari; ita ut delectatio edendi, etiam corporum contraria ſit ſaluti, niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri, ſubtrahat voluptati. Quamvis enim ſine anima nihil*

hil caro deſideret,& inde accipiat ſenſus, unde ſumit & motus; ejuſdem tamen eſt animæ,quædam ſibi ſubdita negare ſubſtantiæ, & interiori judicio,ab inconvenientibus exteriora frænare,ut à corporis cupiditatibus ſæpè libera,in aula mentis, Divinæ poſſit vacare ſapientiæ,ubi omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarũ, in meditationibus ſanctis, & delitiis lætetur æternis.

Fornicatio,vinum,& ebrietas auferunt cor, inquit Propheta, Et Poëta; Oſeæ 4. Horat.lib. 2. Sat.2.

Corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat unà,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Et Cicero; *Mente rectè uti non poſſumus,multo cibo & potione completi.* Et alibi; *Quis bona mente præditus,non mallet,nullam omninò nobis à natura voluptatem datam? Cujus motus ut quiſque eſt maximus,ita eſt inimiciſſimus Philoſophiæ.* Denique D. Proſper; *Ipſam mentem,*inquit,*abſtinentiæ fructus alacrẽ facit, carnem quoque non uſque ad laſſitudinem fatigatam, ſed ſpiritui ordinanti ſubjectam,mobilem reddit. Senſus etiam quos dicuntur craſſos efficere, vel gravare congeſtæ delitiæ,conſuetudo parcitatis exonerat,& velut quadam politura religioſæ exercitationis attenuat.* Li.5.Tuſc. quæſt. In Hortenſio. De vita cont.lib.2. cap.22.

MONITUM XXI.

Non in comeſſationibus & ebrietatibus. Rom. 13.

FOeda hæc vitia omnes omninò dedecẽt Chriſtianos. Sed quia corpus ad libidinem inflammant, illos maximè dedecent, qui caſtitatem voverunt,aut ſe caſtè vivere velle profitentur. Unde 1. Tim.5. De conver. ad cler. cap.30. In ep.ad mat. & filiam.

In epiſt. ad Furiam. Apoſt. *Vidua in delitiis vivens, mortua eſt*. D. Bern. *Periclitatur caſtitas in delitiis*. Et S. Hier. *Difficilè* In vit. c. 9. *inter epulas ſervatur pudicitia*. Et alibi; *Quid neceſſe eſt, nos jactare pudicitiam? quæ ſine comitibus, & appendiciis ſuis, continentia & parcitate, fidem ſui fa-* In vit. c. 9. *cere non poteſt?* Dicere ſolebat B. Laurentius Juſtin. *Pudicitiã cum carnalibus blandimentis nihil aliud eſſe, quàm ignem extinguere velle, & ligna ſuperinjicere.*

Item eos dedecet præterea, qui ſua ſponte ad libidinem ſunt proclives, ut juvenes: unde Paulus Tit. 2. Tito mandat, *Iuvenes hortare, ut ſobrij ſint*. *Non* Ibidem. *Æthnæi montes*, ait Hier. *non Vulcania tellus tantis ardoribus æſtuant, ut juveniles medullæ, vino plenæ,* In epiſt. ad Euſtoch. *& dapibus inflammatæ*. Et alibi; *Vinum & adoleſcentia, duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus? quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus?* Mulieres quoque, de quibus 1. Tim. 3. Paulus Timotheo ſcribit, *ſobrias eas eſſe debere*. Et Poëta gentilis;

Turpe jacens mulier, multo madefacta Lyæo.

Hinc illis apud Rom. *ignotus erat uſus vini, ne ſci-* Val. Max. lib. 2. ca. 1. *licet in aliquod dedecus prolaberentur*, inquit Valer. *quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus* Lib. 6. c. 3. *ad inconceſſam Venerem eſſe conſuevit*. Refert idem, quendam uxorem, quod vinum bibiſſet, fuſte percuſſam interemiſſe, illum autem non tantum accuſatore, ſed & reprehenſore caruiſſe, unoquoque exiſtimante, optimo illam exemplo, violatæ ſobrietatis pœnas pependiſſe. *Sanè quæcunque fœmina vini uſum immoderatè appetit, & virtutibus omnibus januam claudit, & delictis aperit.*

Quia autem comeſſatio & ebrietas, uſum rationis obfuſcant, vel impediunt, ideo maximè dehone

honeſtant eos,quorum eſt alios regere, verbo vel exemplo docere,quoniam ebrii officium ſuum facere nequeunt. Hinc Apoſtolus mandat Tito, ut *ſenes doceat ſobrios eſſe. Anus ſimiliter non multo vino ſervientes, benè docentes, ut prudentiam doceant.* Hinc & Reges,Duces,Iudices, ac Senatores maximè oportet ſobrietati ſtudere; ſicut ait mater Salomonis erudiens eum: *Noli Regibus,ô Lamuel, noli Regibus dare vinum; quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas; ne fortè bibant, & obliviſcantur judiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.* Et Eccleſiaſtes:*Væ tibi terra,cujus rex puer eſt,& cujus principes manè comedunt.Beata terra,cujus rex nobilis eſt,& cujus principes veſcuntur in tempore ſuo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Gentilis Philoſophus Plato,Moderatoribus Rerumpub.magnopere ſuadet, ut ebrietatem caveant, qui & legem Carthaginenſium valde probat, qua Magiſtratibus vini uſum interdixerant.

Tit. 2. Prov.31. Eccl.10. Lib.3.de Repub. Lib.2.de leg.

Apud Athenienſes ebrius Princeps morte mulctabatur. Apud Indos mulier, ſi temulentum Regem occidiſſet,hoc munere donabatur, ut ſucceſſori nuberet.Miſerabilis fuit exitus Zenonis Imperatoris,qui ebrius vivus ab Ariadna uxore ſepultus eſt;jamque ſobrius factus, lamentans & clamans, illa prohibente aperiri monumentum, ibidem extinctus eſt,ut refert Zonaras. Hoc reprehendit in Philippo & Alexandro, patre & filio Regibus, Juſtinus, quod uterque nimis vini avidus eſſet, ſed ebrietatis diverſa vitia; Patri mos erat etiam de convivio in hoſtem procurrere,periculis temerè ſe exponere; Alexander non in hoſtem, ſed in ſuos ſæviebat; Quamobrem Philippum ſæpè vulne

Alex. Genial.dierum lib.3. Tom.3. Annal. Lib.12. hiſtor.

Digitized by Google

vulneratum prælia remiſere; hic amicorum interfector, convivio frequenter exceſſit.

Ob eundem defectum, etiam Epiſcopos, Paſtores, Prædicatores, Sacerdotes, & ſimiles decet eſſe maximè ſobrios. Ideo Apoſt. rejicit ab Epiſcopatu & Diaconatu vinolentos. Imò & in veteri lege, terribili exemplo, occiſione Nadab & Abiu, filiorum Aaron, qui ut apparet, ebrii acceſſerant ad altare Domini, per ignem egreſſum à Domino, oſtẽſum eſt, quantum diſpliceat Deo Sacerdotum ebrietas. Dixitque Dominus ad Aaron: *Vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini; & ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum; doceatiſque filios Iſraël omnia legitima mea.*

1. Tim. 3.

Levit. 10.

Unde & in Conc. Lateran. dicitur à Patribus; *A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant, unde vinum ſibi temperent, & ſe vino; nec ad bibendum quiſquam incitetur, cum ebrietas mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum.* Ubi etiam jubentur tabernas prorſus vitare, niſi fortè neceſſitatis cauſa in itinere conſtituti: ad aleas & taxillos non ludere, nec hujuſmodi luſibus intereſſe. Mimis, joculatoribus, & hiſtrionibus non intendere. Ibi etiam decernunt Patres illum abuſum, ſub gravi pœna, penitus tollendũ, quo ad potus æquales ſuo modo ſe obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Quod ſuo tempore etiã deploravit S. Aug. dicens; *Si quis ſe vino ingurgitabat, ſi bibebat menſuras ſine menſura, parum erat; quia non inveniebat crimen, etiam viri fortis nomen accipebat, tanto*

Sub Innoc. 3. c. 15. 16. 17.

Serm. 4 de verb. Apoſtoli.

Digitized by Google

tantò nequior, quantò ſub poculo invictior. Contra hanc corruptelam lepidè quidam ſcripſit;

Is quater eſt latro, dum ſe, ſociumque trucidat:
Utriuſque animam, corpus utrumque necans.

Sed cur homines minus hæc vitia exhorreſcunt, quam alia non tam gravia? *Non metiuntur,* inquit Aug. de Mendacio, c.18. *malum ex regula veritatis, ſed ex ſua quiſque cupiditate atque conſuetudine. Non id putantes gravius, quod revera amplius fugiendum eſt, ſed quod ipſi amplius exhorreſcunt. Hocque totum ab amoris perverſitate naſcitur vitium. Cum enim duæ ſint vitæ noſtræ, una ſempiterna, quæ divinitus promittitur; altera temporalis, in qua nunc ſumus; cum quiſque iſtam temporalem amplius diligere cœperit, nulla æſtimat graviora peccata, quam quæ illi faciunt injuriam, vel ipſam, vel ejus commoditatem aliquam auferendo. Itaque fures & contumelioſos raptores, interfectores, tortores, magis oderunt quam laſcivos, ebrioſos, luxurioſos, ſi nulli ſint moleſti. Non enim intelligunt, aut omnino curant, quod iſti Deo faciunt injuriã, non quidem in illius aliquod incommodum, ſed in ſuam magnam pernitiem, cùm dona ejus in ſe corrumpunt etiam temporalia, atque ipſis corruptionibus averſentur æterna.* Sic Aug. qui & epiſt.64. *Comeſſationes & ebrietates,* inquit, *ita conceſſæ & licitæ putantur, ut in honore etiam Martyrum celebrentur. Quæ fœditas non ſolùm flagitioſa, ſed & ſacrilega eſt.* Contra quos & D. Ambr. de Helia, c.17. *O ſtultitiam hominum, qui ebrietatem ſacrificium putant, qui æſtimant illos ebrietate placari, qui jeiunio paſſiones ſuſtinere didicerunt!* Et Hieron. ad Euſtoch. *Valde abſurdum eſt, nimia ſaturitate velle honorare Martyrem, quem ſcias Deo placuiſſe ieiuniis.*

De mendac. ca. 18.

Digitized by Google

Qui autem ab hiſce vitiis immunem ſe præſtare vult: Primò fugiat oportet; nam & hic fuga opus eſt, ſicut & in libidine venerea, monente
1.Cor.6. Paulo; *Fugite fornicationem.* Longè enim facilius eſt, non ſolum temperatè, ſed & tenuiter vivere ac refici, paupereque victu contentum eſſe, dum variæ deſunt epulæ, quàm in lauta & ſplendida menſa non excedere; facilius eſt homini penuriam pati, quam abundare. Provocant, atque illiciunt infirmum animum vinum & epulæ delicatæ ante ora
Prov. 13. poſitæ. Unde Salomon; *Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus. Quantò quiſque longius fuerit ab adverſis, tantum non ſentit adverſa; minus avaritiæ moleſtias patitur, qui divitias non videt; minus voluptatibus ſtimulatur, qui non eſt,*
De ſingul. Cleric. *ubi eſt frequentia voluptatum,* inquit D. Cypr.

Deinde prorſus vitet neceſſe eſt ſocietatem potatorum, & hominum intemperantium, quæ eſt peſtis pernicioſiſſima; unde Salomon, *Noli eſſe in*
Prov. 13. *conviviis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt: Amicus enim ſtulto-*
Matth.24. *rum ſimilis efficietur.* Unde & Chriſtus malum ſervum, quem deſcribit, dicit *manducare, & bibere cum*
Lib.3. de Ira. *ebrioſis. Sumuntur,* ait Seneca, *à converſationibus mores, & ut quædam in contactis corporibus vitia tranſiliunt, ſic animus mala ſua proximis tradit. Impudicorum cœtus fortem quoque virum emollit; ebrioſus convictores in amorem vini traxit.* Lycurgus ob multorum vinolentiam & ebrietatem vites amputavit. Plutarcho tamen viſus in eo non ſapere, *quum licuiſſet,* inquit, *illi propius admovere fontes, & inſanientem Bacchum alio Deo ſobrio compeſcere, & ad moderationem perducere.* Quod tamen mirum in Plutar

Plutarcho ait quidam; ut enim non perimat in vino aqua, quod eſt utile, certè non aufert à vino quod noxium; & vide an non præſtaret abſtemios mortales eſſe, quam cum vino tantum haurire incommodorum. Sic ille.

Denique frequenti oratione ac devota, ſtudeat hanc virtutem à Deo impetrare. Nemo enim poteſt eſſe continens aut ſobrius, niſi Deus peculiari ſua gratia donaverit. Unde Sapientia æterna dicitur ſobrietatem docere. *Docet autem Deus*, inquit D. Aug. *non oſtendendo tantummodò veritatem, ſed & impertiendo charitatem; electis donans; & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere.* Et Sapiens; *Ut ſcivi*, inquit, *quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſumma ſapientia, ſcire cujus eſſet hoc donum, adii Dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordiis meis.* Apoſtolus quoque ad Philippenſes ſcribens; Poſtquam dixiſſet, *Ego enim didici in quibus ſum, ſufficiens eſſe; ſcio & humiliari, & abundare, (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari, & eſurire; & abundare; & penuriam pati:* oſtendens, per quem haberet temperantiam, ſubjecit; *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Sic & Aug. orat; *Audio vocem jubentis Dei mei; Non graventur corda veſtra in crapula & ebrietate. Ebrietas longè eſt à me, miſereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnunquam ſurrepit ſervo tuo, miſereberis ut longè fiat à me. Nemo enim poteſt eſſe continens, niſi tu des.* Ejus gratia dignitas humanæ conditionis per immoderantiam ſauciata, medicinalis parſimoniæ ſtudio reformatur.

Sap. 8.
De grat. Chriſt. c. 13
Sap. 8.
Philip. 4.
In Conf. li. 10. c. 31.
Luc. 21.

Digitized by Google

ram,ut nec propter vitium natura damnetur, nec propter naturam vitium diligatur. Et alibi; *Facile eſt*, inquit, *atque proclive, malos odiſſe, quia mali ſunt; rarum autem & pium eoſdem ipſos diligere, quia homines ſunt; ut in uno ſimul & culpam improbes, & naturam approbes, ac propterea culpam juſtius oderis, quòd ea fœdatur natura, quam diligis.* Unde Dominus in Evangelio, cùm diceret; *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo,* rectè adjecit (ut quidam Patres legunt) *temerè,* ſeu *ſine cauſa, reus erit judicio.* Ipſe enim Chriſtus ſalutari hac ira interdum commotus fuiſſe legitur. Indignatus eſt enim Apoſtolis, cum parvulos accedere ad eum prohiberent: indignatus etiam locum ſacrum violantibus,& facientibus ex domo patris ſui domũ negotiationis,& ſpeluncã latronũ.

Epiſt. 54. Matth. 5. Iren.lib.4. Chryſ.Baſ. & Græci. Marc. 10. Joann. 2.

Dominus, inquit D.Baſil. *abſque ratione & temerè iraſcenti minatur judicij ſeveritate, non tamen damnat eos qui ira tanquam remedio ad animi morbos depellendos utuntur.* Sic & S. Chryſoſt. *Non ſemper iraſci malum eſt, ſed importunè ac leviter iraſci. Quamobrem in Evangelio dictum eſt, Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, non enim omninò iſtum extinxit affectum. Primò quidem, quia impoſſibile eſt, hominem paſſionibus liberari. Nam ut regere illas poſſumus, ita abſque illis per omnia eſſe non poſſumus. Deinde quia etiam multis utilis eſt affectus ille, ſi illo videlicet opportunè ac ſcienter utamur. Itaque conſidera, quam ampla quidẽ bona operata ſit ira Pauli; hanc enim ille adverſus Corinthios exercendo, à maxima illos errorum peſtilentia liberavit. Per hanc etiam Galatarum gentem, quæ ferè à Chriſto exciderat, reformavit, alióſque his plures illius ira cenſura correxit. Quodnam igitur opportunum eſt tempus iræ? quando non, ſcilicet,*

Hom.cont. iracundos. Hom. 17. in Matth. Matth. 5. 1. Cor. 5. Gal. 3. 4. 5.

Digitized by Google

cet, noſnetipſos ulciſcimur, ſed cum reprimimus erga alios inſolentes, cumque deſides increpatione convertimus. Quod verò importunum eſt tempus iræ? cum ſcilicet, ut noſmetipſos vindicemus, iraſcimur: quod
Rom. 12. *Paulus quoque prohibebat dicens, non voſmetipſos defendentes, ſed date locum iræ. Quando etiam de pecu-*
1. Cor. 6. *niis litigamus; hoc enim omninò deſtruxit, dicens; Quare non magis injuriam patimini?* &c. ita Chryſ.

De Civit. lib. 9. ca. 5. Denique D. Aug. *Scriptura Divina,* inquit, *Deo ipſam mentem ſubjicit regendam & juvandam, mentique paſſiones ita moderandas atque frænandas, ut in uſum juſtitiæ convertantur. In diſciplina Chriſtiana, non tam quæritur utrum pius animus iraſcatur, ſed quare iraſcatur; nec utrum ſit triſtis, ſed unde ſit triſtis; nec utrum timeat, ſed quid timeat. Iraſci enim peccanti ut corrigatur; contriſtari pro afflicto, ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat, neſcio utrum quiſquam ſana conſideratione reprehendat.*

Pſalm. 26. Sed cum nemini ſua ira videatur injuſta, valde cavendum eſt, ne mentiatur iniquitas ſibi, perſua-
Epigr. 98. dens ſe tantum odiſſe peccatum, cùm hominem ipſum odio habeat. Hinc D. Proſper; *Nulli iraſcenti ira ſua videtur injuſta, unde ab omni indignatione citò redeundum eſt ad manſuetudinis lenitatem. Nam pertinax iræ motus facilè in eius odium tranſit, cui*
Epiſt. 149. *non celeriter ignoſcitur. Ac multò melius,* ait S. Aug. *nec iuſtè cuiquam iraſcimur, quàm velut iuſtè iraſcendo, in alicuius odium ira occulta facilitate dilabimur. Ita enim inveteraſcens ira fit odium, dum quaſi iuſti doloris admiſta dulcedo, diutius eam in vaſe detinet, donec totum aceſcat, vaſque corrumpat. In recipiendis enim hoſpitibus ignotis ſolemus dicere, multò melius eſſe, malum hominem perpeti, quàm forſitan per*

ignoran

Digitized by Google

ignorantiam excludi bonum, dum cavemus, ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi contrà eſt. Nam incõparabiliter ſalubrius eſt, etiam iræ juſtè pulſanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere non receſſurã, & perventuram de ſurculo ad trabem. Audet quippe impudenter etiam creſcere citius, quam putatur. Non enim erubeſcit in tenebris, cum ſuper eam ſol occiderit. Epheſ. 4.

Omnis amaritudo, inquit Apoſt. *& ira, & indignatio tollatur à vobis, cum omni malitia.* Et, *Providentes, ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Incaſſum enim*, ait S. Greg. *foras nequitia ex ramis inciditur, ſi ſurreptura multiplicius, intus in radice ſervetur.* Et Apoſtolus ad Galat. iram numerat inter peccata, quæ hominem excludunt à regno Dei. Unde ibidem Hier. *Neſcio quis poſſit regnum Dei poſſidere, cùm is qui iraſcitur, à regno ſeparetur.* Sed loquitur Apoſt. de ira quæ peccatum mortale eſt, ejus qui proximo nocere intendit: ſicut & Dominus in Evang. Omne enim nocumentum charitati adverſatur: hoc ergo ſpectare & intendere, peccatum mortale eſt. Dicit Poëta: Epheſ. 4. Heb. 12. Deut. 29. In paſt. part. 3. adm. 10. Galat. 5. Hieron. in c. 5. Gal. Matth. 5. Horat. in ep. 2. lib. 1.

Ira furor brevis eſt: animum rege, qui niſi paret,
Imperat: hunc frænis, hunc tu compeſce catenis.

Et Boët. de Conſ. Philoſoph. Lib. 3. Metro 5.

Qui ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces;
Nec victa libidine colla,
Fœdis ſubmittat habenis.

Cato ſenior, peſſimum dicebat Imperatorem, qui ſibi non poſſet imperare. Quomodo, inquit Cicero, *aut cui hic libero imperabit, qui non poteſt ſuis cupiditatibus imperare? Refrænet primùm libidines, ſpernat voluptates,* In Paradoxis.

tes, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, cæteras animi labes repellat; tum incipiat aliis imperare, cum ipſe improbiſſimis dominis, dedecori ac turpitudini parêre deſierit. Dum quidem his obediet, non modò Imperator, ſed liber habendus omninò non erit.

Li. 5. Moral. ca. 31. Addam hoc ex S. Gregorio: *Sciendum eſt*, inquit, *quòd alia eſt ira, quam impatientia excitat, alia quam zelus juſtitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute ſurgeret, divinæ* Num. 25. *animadverſionis impetum Phinees per gladium non* 1. Reg. 2. 3. 4. *placaſſet. Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra ſe implacabilis ſupernæ ultionis excitavit: nam quo contra vitia ſubditorum tepuit, eo contra illum di-* Pſalm. 4. Greg. ib. *ſtrictio æterni Rectoris exarſit. De hac per Pſalmiſtam dicitur: Iraſcimini, & nolite peccare.* Sed nota quod ibidem ſequitur: *Cum*, inquit, *per iram animus movetur, curandum ſummopere eſt, ut nec hæc eadem, quæ inſtrumento virtutis aſſumitur, menti ira dominetur; nec quaſi Domina præeat, ſed velut ancilla ad obſequiũ parata à rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robuſtius contra vitia erigitur, cum ſubdita rationi famulatur: nã quantumlibet ira ex zelo rectitudinis ſurgat, ſi immoderata mentem vicerit, rationi protinus ſervire contemnit, & tantò ſe impudentius dilatat, quantò impatientiæ vitium virtutem putat.* Sic Greg.

MONITUM XXIII.

Melior eſt patiens viro forti.

Prov. 16.

MElior eſt, quia præſtantior, patiens, id eſt, tardus vel lentus ad iram, viro forti, qui videlicet;

delicet,hoſtes vincit, urbes ſubjugat; quod licet apud homines magnam habet laudem, tamen judicio Sapientis præſtantior eſt,qui iram vincit, & impetum ſpiritus ſui ratione moderatur: præſtantior,inquam,non ſolum quia magis laudandus,ſed quia revera fortior illo; juxta illud Poëtæ:

Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit
Oppida,nec virtus altius ire poteſt. Baptiſta Mant.

Et rurſum:

Ardua res,viciſſe alios; victoria maior
Eſt, animi fluctus compoſuiſſe ſui.

Et hæc quidem fortitudo oſtenditur in quarũlibet paſſionum repreſſione; unde additur generaliter, *Qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium.* Prov.16. Peculiariter verò & eximiè probatur in repreſſione iræ, quæ omnium paſſionum eſt vehementiſſima,& ſuperatu difficillima; à qua fortiſſimi quique ſecundum corpus,ſæpè aliis citius ſuperantur: Ut patet in Alexandro Magno,qui tot provincias ſubjugavit,iræ tamen ac furoris belluam in ſe ſuffocare non potuit, ſed illa victus clariſſimos viros,etiam amicos occidit. *Alexander*,inquit Seneca,*Perſas,& Hyrcanos,& Indos,& quicquid gentium uſque in Oceanum extendit Oriens,vaſtabat,fugabatque. Sed ipſe modò occiſo amico, modò amiſſo jacebat in tenebris;aliàs ſcelus,aliàs deſiderium ſuum mœrẽs. Victor tot Regum ac populorum,iræ,triſtitiæque ſuccubuit.Id enim egerat,ut omnia potius haberet in ſua poteſtate,quàm affectus.* Epiſt.114. Pulchrè de Greg. *Quanto culmine virtus patientiæ polleat;Salomon indicat dicens: Melior eſt patiens viro forti,& qui dominatur animo ſuo,expugnatore urbium.Minor eſt victoria urbes expugnare,quia extra ſunt quæ vincuntur.Majus eſt autem* Hom.38. in Evang. In Paſt. part.3. admo.10.

tem quod per patientiam vincitur, quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & ſemetipſum ſibimetipſi ſubjicit, cum eum patientia in humilitate tolerantia ſternit.

Talis iræ moderator apud fideles fuit Patriarcha Joſeph, de quo Ambr. *Iure mirandus, qui hoc fecit ante Evangelium, ut læſus parceret, oppetitus ignoſceret, venditus non referret injuriam; ſed gratiam pro contumelia ſolveret: quod poſt Evangelium omnes didicimus, & ſervare non poſſumus.* Talis fuit & Propheta David, in cujus poteſtatem cum bis veniſſet capitalis ejus hoſtis Saül, noluit in eum extendere manũ. Quod in eo & ipſemet hoſtis miratus eſt, dicens: *Iuſtior me es, tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Quis enim cum invenerit inimicũ ſuum, dimittet eum in via bona?* Tales ſe erga perſecutores ſuos geſſerunt Martyres, quando non ſe vindicari, ſed illis poſtularent ignoſci.

In li. de S. Ioſeph, c. 1.

1. Reg. 24. & 26.

Talis iræ moderator apud Gentiles fuit Phocion Princeps Athenienſis, qui injuſtè damnatus ad mortem, cum ei allatus eſſet cicutæ calix, interrogatuſque, num quid ad filium vellet dicere? *Ego*, inquit, *tibi fili mando, rogoque, ne quid Athenienſibus harum rerum memoria iraſcaris, ſed injuriam mihi illatam planè obliviſcaris.* Talis & Julius Cæſar, de quo Cicero ejus mores extollens, dixit quod *nihil obliviſci ſoleret, niſi injurias. Dicebat hoc*, ait Auguſt. *tam magnus laudator, aut tam magnus adulator. Sed ſi laudator, talem Cæſarem noverat; ſi autem adulator, talem eſſe debere oſtendebat.* Saluſtius de antiquis Romanorum moribus loquens, ait quod *accepta injuria, ignoſcere malebant, quam perſequi.* De iiſdem illud elogium eſt: *Ignoſcendo creviſſe.* Dicebat Cato ſenior ſe omnibus peccantibus ignoſcere, præterquam

Plutarch. in Phocio.

Epiſt. 5.

In Catil.

Digitized by Google

quam ſibi. Multum diſſimilis illi Mævio, qui carpens alios, omnia ſibi condonabat. *Vera charitas, nulli novit indignari, vel iraſci, niſi tantum ſibiipſi,* inquit Thom. Kemp. Li. 2. cap. 3. de Imit.

Tentationem iræ atque vindictæ dicit Aug. eſſe *horrendam ac periculoſiſſimam. Quando,* inquit, *nobiſcum agitur, ut vindicemus nos, ira exaſperatur, ac frendet homo; vindicari, horrenda tentatio. Unde enim accepturus veniam fueras pro cæteris delictis, hoc perdis. Si quid aliis ſenſibus, aliis cupiditatibus peccaveras, hinc erat ad ſanandum; quia dicturus eras, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Qui te inſtigat ut vindiceris, perdet tibi quod dicturus eras. Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Illo perdito cuncta tenebuntur, omninò nihil dimittitur. Pugnate ergo cum corde veſtro, quantũ poteſtis, & ſi videritis iram veſtram ſtare adverſum vos, rogate contra illam Deum, faciet te Deus victorem tui, faciet te Deus victorem non forinſecus inimici tui, ſed intrinſecus animi tui; aderit enim, & faciet.* Et alibi; *Quicunque,* inquit, *verbo vel facto aliquem læſerit, meminerit ſatisfactione quantocyus curare quod fecerit, & ille qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Si autem invicem ſe læſerint, invicem ſibi debita relaxare debebunt, propter orationes veſtras, quas utique quantò crebriores habetis, tantò ſaniores habere debetis.* Quæ tametſi Religioſis ſcripſerit Auguſtinus, ad omnes tamen omninò Chriſtianos pertinent. Serm. 1. de orat. Domini. Ibid. Aug. Epiſt. 109.

Imò etiam qui publica authoritate funguntur, decet non odio hominis, aut carnali aliqua cupiditate, ſed zelo juſtitiæ, & æquitate duci ad noxios puniendum. Decet enim illos ſui ipſorum meminiſſe, ſeque ipſos cogitare eſſe peccatores,

ut juſtitiam in alios neceſſariam, non ſæviendo exerceant, ſed humana commiſeratione adhibeant. *Nam ſic cogitata infirmitate communi,* ait Auguſtin. *& accuſatorius dolor, & judicatorius rigor frangitur: ſic cadit ſævitia, tremente conſcientia.* Meritò quidam ait optandum, ut qui Reipubl. præſunt, legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur. Refert D. Gregorius in Dialog. de quodam ob eam cauſam damnato, quod ad pœnas etiam juſtè inferendas, magis crudelitatis deſiderio, quam publico zelo motus eſſet.

Epiſt. 54.

Li. 4. Dial. cap. 36.

Seneca dixit, *In vindicandis peccatis hæc tria ſecutam eſſe legem, quæ Princeps quoque ſequi debeat; aut, ut eum quem punit, emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut ſublatis malis ſecuriores cæteri vivant.* Declarat etiam D. Auguſtinus, quomodo juſtus quiſque velit de inimicis ſuis vindicari? *Quia,* inquit, *& magis cupit inimicum ſuum corrigi, quàm puniri; & cum in eum videt à Domino vindicari, non ejus delectatur pœna, quia non eum odit, ſed Divina juſtitia, quia Deum diligit. Denique ſi in hoc ſeculo in eum vindicatur, vel pro illo etiam lætatur, ſi corrigitur; vel certè pro aliis, ut eum timeant imitari. Ipſe quoque ſit melior, non ſupplicio ipſius odia ſua paſcendo, ſed errata emendando. Ac per hoc de benevolentia eſt, non de malitia, quod lætatur juſtus cum viderit vindictam, & manus ſuas lavat, id eſt, opera ſua mundiora efficit, in ſanguine, id eſt, exitio peccatoris: ſumens inde non mali alieni gaudium, ſed divinæ admonitionis exemplum. Si autem in futuro ſeculo, ultimo Dei judicio vindicetur, hoc ei placet, quod Deo, ne benè ſit malis; ne piorum præmiis perfruantur.*

Lib. 2. de Clement.

In Pſal. 78.

fruantur. Quod utique injuſtum eſt, & à regula veritatis quam juſtus diligit, alienum. Sic Auguſt.

Duos modos tradit S. Gregor. (ut etiam hoc addam) quibus fracta poſſidere animum ira deſueſcit. Primus eſt, ut *mens ſollicita, antequam agere quodlibet incipiat, omnes ſibi, quas pati poteſt, contumelias proponat, quatenus Redemptoris ſui probra cogitans, ad adverſa ſe præparet. Quæ nimirum venientia tanto fortius excipit, quanto ſe cautius ex præſcientia armavit. Qui enim improvidus ab adverſitate deprehenditur, quaſi ab hoſte dormiens invenitur, eumque citius inimicus necat, quia non repugnantem perforat. Nam qui mala imminentia per ſollicitudinem prænotat, hoſtiles incurſus quaſi in inſidiis vigilans expectat: & inde ad victoriam valenter accingitur, unde inſciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus ante actionis ſuæ primordia, cuncta debet adverſa meditari, ut ſemper hæc cogitans, ſemper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quicquid acciderit, providus ſuperet, & quicquid non acceſſerit, lucrum putet.* Li. 5. Mor. cap. 31.

Secundus ſervandæ manſuetudinis modus eſt, ut *cum alienos exceſſus aſpicimus, noſtra, quibus in aliis exceſſimus, delicta cogitemus. Conſiderata quippe infirmitas propria, mala nobis excuſat aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortaſſe adhuc habeat, in quo debeat ipſe tolerari. Et quaſi aquâ ignis extinguitur, cum ſurgente furore animi, ſua cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubeſcit ſibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo, ſæpè ſe recolit, parcenda peccaſſe.* Hactenus Gregor.

Digitized by Google

MONITUM XXIV.

Non in contentione & æmulatione.

Rom. 13.

In pſalm. 104. INvidia, inquit Aug. *eſt odium felicitatis alienæ.* Eſt ergo mors charitatis, quæ ut ait Apoſt. *non* 1. Cor. 13. *æmulatur*, id eſt, non invidet aliis ſua bona, nec terrena, nec ſpiritualia: ſed qui diligit proximum, gaudet de bono proximi, juxta mandatum Apo- Rom. 12. ſtoli, *Gaudete cum gaudentibus.* Contrà, qui non diligit proximum, ſed tantum ſuis commodis ſtudet, reliquos excellere cupiens, invidet proximo, id Horat. lib. 1. epiſt. 2. eſt, triſtatur de bono ejus, ſicut ait Poëta;

Invidus alterius rebus macreſcit opimis.

Galat. 5. Hujus mali originem explicat Apoſtolus, cum ait, *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Et alibi, cum dixiſ- 1. Cor. 13. ſet, *Charitas non æmulatur; velut ſi cauſam quæras unde fiat, ut non æmuletur, continuò ſubdit, Non inflatur; quaſi dicat, Ideo non habet invidentiam,* De S. Virg. cap. 31. *quia nec ſuperbiam,* inquit D. Auguſtin. *Superbiam enim ſequitur invidentia, tanquam filia pediſſequa. Eam quippe continuò parit ſuperbia, nec unquam eſt ſine tali prole, atque comite; quibus duobus malis, id eſt, ſuperbia & invidentiæ, Diabolus præeſt.* Epiſt. 64. Et alio loco idem S. Auguſt. cum dixiſſet ex Apoſtolo: Non in contentione & æmulatione, ſubdit: Galat. 5. *Horum morborum mater eſt ſuperbia, & humanæ laudis aviditas.*

Numerat autem Apoſt. invidiam inter ea peccata,

cata, quæ hominem excludunt à regno Dei. Ac tantò gravior eſt invidia, quantò majus eſt bonum quod quis alteri invidet; ſicut & odium tantò eſt gravius, quantò gravius eſt malum, quod quis optat proximo. De illa dicit D. Ignatius? *Invidiam cave, author ejus eſt Diabolus, & ſucceſſor ipſius Cain, fratri invidens, & invidia homicidium perpetrans.* In epiſt. ad Heronem.

Invidia autem, ait D. Hier. *quæ felicitate aliena torquetur, in duplicem ſcinditur paſſionem. Cum aut invidus ipſe eſt aliquid in eo, in quo alium eſſe non vult; aut alium videns eſſe meliorem, dolet ſe ei non eſſe conſimilem, malletque alterum non eſſe tam excellentem.* De Cæſare & Pompeio dicit Florus; *Nec hic ferebat parem, nec ille ſuperiorem.* Ipſe Cæſar causā diſſidii inter ipſum & Pompeium ait fuiſſe, quod *Pompeius neminē ſecum exæquari volebat*. Et de Cæſare narratur, ſolitum eſſe dicere, *Malle ſe primum in parva civitate eſſe, quam ſecundum in magna.* Clitum amicum optimum occidit Alexander, quòd *memoriam Patris tueretur, ejuſque res geſtas laudaret, cum ipſe ſe Patri præferret.* Et Dario Regi petenti ab eo, ut cum eo regnum partiretur, dixit ſe præſtaturum, *ſi ſecundus ſibi, non par haberi vellet: Mundum non poſſe regi duobus Solibus, ſic nec duobus Regibus.* Quam multa nobis invidorum exempla ſuppeditat Scriptura? Abel fratrem innocentem occidit Cain, invidiæ furiis agitatus. Ioſeph venditus à fratribus, & ab eis ſemper malè habitus. David à Saüle quoties ex invidia ad mortem quæſitus? Denique Chriſtus à Pilato occiſus, per invidiam ei à Judæis traditus.

In cap. 5. ad Galat. — Lib. 4. c. 2. — Lib. 1. de bell. Civil. — Plutarc. de Cæſare. — Iuſt. li. 12. hiſtor. — Idem li. 11. — Gen. 4. — 1. Ioan. 3. — Gen. 37. — 1. Reg. 18. — Matth. 27.

Ut ad diviſionem D. Hieronymi redeamus; Prioris generis invidia laborant illi, qui ſua dona aliis

aliis communicare nolunt, ut ipſi ſcilicet excellẽtiores maneant. Quibus omninò diſſimilis erat Sapiens, qui confidenter de ſeipſo dicebat; *Quid ſit Sapientia, & quo modo facta ſit, referam, & non abſcondam à vobis Sacramenta Dei, ſed ab initio nativitatis inveſtigabo, & ponam in lucem ſcientiam illius, & non præteribo veritatem; neque cum invidia tabeſcente iter habebo; quoniã talis homo non erit particeps Sapientiæ.* Et rurſum; *Sapientiam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.* D. Aug. in Confeſ. *Multum tibi, Domine, diſplicent ſibi placentes, aut de non bonis tanquam bonis, aut de bonis tuis, quaſi ſuis, aut ſicut de tuis, ſed tanquam ex meritis ſuis; aut ſicut ex ſola gratia, non tamen ſocialiter gaudent, ſed ea aliis invident.*

Sap. 6.

Sap. 7.

Lib. 10. cap. 39.

Secundi generis invidia perpetuò cruciatur diabolus, ex quo ab Angelorum ſocietate excidit. Unde adhuc homini ſtanti invidens, eum pertraxit in lapſum, & omnes omninò ſecum in æternam mortem præcipitare conatur. *Invidiâ diaboli*, ait Sapiens, *mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius. Quia ſuperbus eſt diabolus,* inquit D. Aug. *ideo invidus, & omne corpus ipſius, talium corpus eſt; fieri enim non poteſt, ut ſuperbus non invideat.* Et D. Leo; *Diabolus,* ait, *primum ſuperbus ut caderet; deinde invidus, ut noceret. Quia in veritate non ſtetit, totam vim ſuam in mendacio collocavit, omniaque deceptionum genera de hoc venenatiſſimo artis ſuæ fonte produxit; ut ab illo bono, quod ipſe propria elatione perdiderat, ſpem humanæ devotionis excluderet, eoſque in conſortium damnationis ſuæ traheret, ad quorum ipſe reconciliationem pertinere non poſſet.*

Sap. 2.

In pſal. 58. 129.

Serm. 4. de Collect.

Ex

Digitized by Google

Ex primo genere invidiæ ad ſecundum devenitur; Qui enim aliis ſua communicare non vult, ut ipſe major appareat, dignus eſt perdere quæ habet, juxta ſententiam Salvatoris; *Tollite ab inutili ſervo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti*, id eſt, interprete D. Aug. *cum benignitate utenti eo quod accepit, dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Veritas tua, Domine,* ait Auguſt. *nec mea eſt, nec illius, aut illius, ſed omnium noſtrũm, quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur eâ.* Et rurſum: *Hæc eſt lex Divinæ providentiæ, ut nemo à ſuperioribus adjuvetur ad cognoſcendam & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adjuverit.* Et iterum; *Eſt iuſtum conſilium, ut qui ſe à potentiore adiuvari velit, adiuvet & inferiorem, in quo eſt ipſe potentior.*

Matth. 25. Lib. 1. c. 1. de doct. Chriſt. In Conf. li. 12. ca. 25. De vera relig. ca. 8. De ſerm. Domini in monte, lib. 1. ca. 3.

Quando igitur ſuperbus perdito ſuo bono miſer efficitur, invidet aliis, quod æquè miſeri non ſint, ut in diabolo contigiſſe videmus. Ideo inquit D. Aug. *Cum diabolo & angelis eius nulla concordia: ipſi nobis invident regnum cœlorum. Miteſcere omninò erga nos non poſſunt, plus illi vigilant ad decipiendum, quàm ego ad me cuſtodiendum.* Et in æternum damnatorum eſt invida illa vox: *Ecce quomodo computati ſunt* (electi) *inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorũ eſt.* Et in Pſ. dicitur; *Peccator videbit* (juſtũ in gloria) *& iraſcetur, dẽtibus ſuis fremet & tabeſcet.*

In pſal. 76. Sap. 5. Pſal. 111.

Quanta autem mala adferat Superbia & Invidia, mater & filia, non facilè eſt dicere. Una Superbia eſt, quam jure omnium hæreticorum matrem eſſe cenſuit S. Auguſtin. Unde & D. Petrus; *Sibi*

Cont. epiſt. Funda. c. 6.

2.Pet.1. *Sibi placentes,ſectas non metuunt introducere,*&c.Et
2.Tim.3. S.Paulus; *Inſtabunt*,inquit,*tempora periculoſa*.Sed unde? *Et erunt homines ſeipſos amantes,elati,ſuperbi*.&c.Similiter ejus proles Invidia pietatem infe-
Serm. de zelo & livor. ſtiſſimè perſequitur.D.Cyprian.*Hinc*, inquit, *vinculum pacis rumpitur,hinc charitas fraterna violatur; hinc adulteratur veritas, ſcinditur unitas, ad hæreſes & ſchiſmata proſilitur,dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis invidetur,dum quis aut queritur ſe non potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præ-*
Iudas in ep. *poſitum*,&c.Videtur etiam Iudas in epiſtola originem hæreſcôn poſuiſſe, cum ait; *Væ illis qui in via Cain abierunt,& errore Balaam mercede effuſi ſunt, & qui in contradictione Core perierunt*.Quibus verbis primò notatur Invidia, cujus ſtimulis & facibus Cain in paricidium eſt incitatus.Deinde Ava-
Gen.4. ritia, cujus cupiditas Prophetæ Balaam obturavit
Num.22. oculos & cæcavit.Poſtremò, ſuperbia quæ adver-
Num.16. ſus Moyſen & Aaron Levitas quondam erexit.

Convenientiſſimè autem ordinavit Dominus, ut qui per invidiam imitantur Diabolum & Cain, ſui ipſorum, ſicut & illi,ſint tortores. *O Sathanæ*
In epiſt.ad Aſellam. *calliditas*,ait D. Hieronymus, *ſemper ſancta perſequens! O Invidia primùm mordax tui!* Hinc & Sa-
Sap. 6. Prov. 14. piens; *Invidiam tabeſcere* dicit. Et alibi; *Putredo oſſium,invidia*.Quia tanto ſe cruciatu affligunt invidi,ut etiam robuſtiſſima quæ habent,cujuſmodi
In ca.5.ad Galat. ſunt oſſa in corpore, putrefaciant. Unde ait idem Hieronym. *Pulchrè quidam dixit:*

Iuſtius invidia nihil eſt,quæ protinus ipſum
Authorem rodit,cor cruciatque ſuum.

De zelo & livore. Et Divus Cyprianus in libro de zelo & livore, valdè optimo,inquit ibidem Hieronymus; *Qualis*

eſt,

eſt, ait, *animæ tinea, aut quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem; id eſt, odiſſe in eo vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere, aliorum gloriam ſuam facere pœnam, & velut quoſdam pectori ſuo admovere carnifices, cogitationibus & ſenſibus ſuis adhibere tortores, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent, qui cordis ſecreta malevolentiæ ungulis pulſent. Non cibus talibus lætus, non potus poteſt eſſe jucundus: ſuſpiratur ſemper, & ingemiſcitur, & doletur. Dumque ab invidis nunquam livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obſeſſum ſine intermiſſione laniatur*, &c. Unde & Poëta: Virgil. in appendic.

Livor tabificum malis venenum,
Intactis vorat oſſibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quod quiſquis furit, invidetque forti,
Ut debet, ſibi pœna ſemper ipſe eſt.
Teſtatur gemitu graves dolores,
Suſpirat, fremit, incutitque dentes.
Sudat frigidus, intuens quod odit.
Effudit mala lingua virus atrum.
Pallor terribilis genas colorat.
Infelix macies renudat oſſa.
Non lux, non cibus eſt ſuavis illi.
Nec potus juvat, aut ſapor Lyæi, &c.

Digitized by Google

MONITUM XXV.

Servite Domino in lætitia.

Pſalm. 99.

Vide Bernard. ſer. 20. in Cāt. 2. Cor. 9. Li. 1. Conf. cap. 12. Sent. 112. Pſalm. 99. Rom. 12. Roman. 6. Epiſt. 144.

TRibus modis Deo ſerviendum; Hilariter, Prudenter, Fortiter. Hilariter, quia opus virtutis ſeu juſtitiæ, quo Deo ſervitur, exercendum eſt, non ex triſtitia aut neceſſitate, ſed cum hilaritate & gaudio ſpiritus. *Hilarem enim datorem diligit Deus*, ait Apoſt. *Nemo invitus benefacit*, ait Auguſt. *etiamſi bonum eſt quod facit.* Et Proſper; *Cum bonum operaris, hilaris operare: nam ſi quid boni triſtis feceris, fit de te magis, quàm facis. Servite Domino*, ait Propheta; *in lætitia.* Et Apoſt. *Qui miſeretur in hilaritate.* Et rurſum; *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ*, id eſt, inquit Auguſt. *Quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido, voluptaſque peccati; ſic vos ad juſtè vivendum non ſupplicii metus urgeat, ſed delectatio, charitaſque ducat juſtitiæ.* Malum eſt ergo in rebus Dei cum tepore & tædio verſari. Languor iſte eſt animi, noxius & periculoſus, quando orare non libet, nec ad ea quæ Dei ſunt, ſeipſum vel lecto, vel audito verbo Dei excitare. *Sicut enim*, inquit S. Aug. *corpori noxium eſt corpoream eſcam non poſſe percipere, ita animæ periculoſum eſt, ſpiritales delitias faſtidire.* Quod periculum animadvertens Propheta, ait; *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Et de aliis: *Omnem eſcam abomi-*

Sent. 10. apud Proſp. Pſal. 118. Pſal. 106. & ibi Aug.

abominata eſt anima eorum , & appropinquaverunt uſque ad portas mortis. Moxque & illi advertentes periculum ; *Clamaverunt*, inquit, *ad Dominum, cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.* Similiter & peccare juſtum aſſerit Aug. *quando ei per infirmitatem animæ ſurrepit tædium in ipſa beneficentia qua conſulit proximo, vel cum minus ſufficitur neceſſitatibus aliorum, vel parum in eis proficitur; quo tædio fuſcatur hilaritas, in qua datorem diligit Deus. Surrepit autem tantò magis, quantò minus quiſque; & tantò minus, quantò magis quis profecerit.* Contra quod tædium ac triſtitiam mandat Apoſtolus; *Gaudete in Domino ſemper.* Et, *Regnum Dei eſt juſtitia, & gaudium, & pax in Spiritu Sancto.* De perfect. juſt. ratioc. 17. Eccl. 35. Philip. 4. Rom. 14.

Deinde Deo ſerviendum prudenter. Atque hæc prudentia duo excludit , primò infidelitatem & ſuperſtitionem. Præſupponit enim vera virtus, ſeu juſtitia, qua Deo ſervitur, veram fidem. *Iuſtus enim ex fide vivit*, inquit Apoſtolus. Et. *Fides prima datur*, ait Auguſtinus, *ut per illam cætera quæ ad iuſtitiam & vitam pertinent, impetrentur.* Dicit idem Auguſtinus de doctrina Chriſtiana; *Titubabit fides, ſi Divinarum Scripturarum vacillat authoritas. Porro fide titubante, charitas etiam* (quæ & juſtitia) *ipſa langueſcit. Nam ſi à fide quiſque ceciderit, à charitate etiam neceſſe eſt cadat.* Non enim poteſt diligere quod eſſe non credit. Aut quomodo diligit eum, aut rectè ſervit ei, cui loquenti, ſive per ſe, ſive per alios, miniſtros videlicet ſuos, non credit ? *Charitas omnia credit*, ait Apoſtolus, *ſed Deo*, inquit Auguſtin. etiamſi ea dicat, quæ ſenſum omnem & rationem excedunt. De homine dicitur : *Nolite omni ſpiritui credere.* Et, *Qui facilè credit , levis eſt* Roma. 1. Hebr. 10. De præ-deſt. Sanct. cap. 7. Li. 1. c. 37. 1. Cor. 13. De ſpir. & lit. cap. 31. 1. Ioan. 4. Eccl. 19.

Digitized by Google

Epiſt. 3. ad Voluſ. Hebr. 11. *eſt corde. Quæ ſibi quiſque facilia captu putat, æquo animo accipit*; ait D. Auguſt. *Supra ea veluti ficta pro falſis ducit. Tu noli eis eſſe ſimilis. Fides enim eſt argumentum rerum non apparentium*, inquit Apoſt. id eſt, certus aſſenſus eorum quæ nec ſenſu, nec ratiocinatione, nec experientia comperta habentur. Ibidem. *Diſputantur hæc latius*, ait Auguſtin. *ſed intellectui fides aditum aperit, infidelitas claudit*.

Deinde hæc prudentia excludit indiſcretionem & immoderationem, etiam in rebus bonis. *Virtutes eſſe moderatas, immoderatas autem fieri vitia, etiam Philoſophi dixerunt*, inquit Hieron. In Epitap. Pauli, & in epiſt. ad Demetr. Unde & illud eſt Comici; Terent. in Andr. *Ne quid nimis*. Et noſter etiam Sapiens dixit; Eccl. 7. *Noli eſſe juſtus multum*. Et Poëta; Hor. lib. 1. epiſt. 6.

Inſani Sapiens nomen feret, æquus iniqui,
Ultra quam ſatis eſt virtutem ſi petat ipſam.

Et rurſum; Lib. 1. ſer. Sat. 1.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Et Diſcretio, ait D. Bernardus, Serm. 49. in Cant. *eſt moderatrix & auriga virtutum, affectuum, morum; omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem, & perpetuitatem. Tolle hanc, virtus vitium erit*. Pulchrè D. Ambr. In 1. cap. 1. ad Tim. *Prudenter ſibi ſerviri vult Deus, non ut nimietate ſua debiles fiant, & poſtea medicorum ſuffragia requirant. Temperandum eſt enim, ut ſi fieri poteſt, cœptum obſequium gradatim provehatur, quàm per inconſiderantiam minuatur. Intemperantia enim ipſam animam inquietam facit, ut cum de infirmitate ſollicita eſt, non tantum dedita ſit Divinis officiis*.

1. Tim. 5. Timotheus Apoſtoli diſcipulus, non natura, ſed virtute abſtemius erat, & ex nimia abſtinentia videtur incidiſſe in iſtas infirmitates, de quibus Apoſto

Apoſtolus ad eum: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere, propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Quem idcirco *nimium corporis caſtigatorem* vocat Aug. Qui & ad Bonifacium ſcribens: *Exerce,* inquit, *jejunia, quantum ſine læſione valetudinis fieri poſſunt.* Et ad Probam; *Sumenda iſta, in quantum valetudinem non perturbant.* In veteri teſtamento omnibus ſacrificiis adhiberi debebat ſal, condimentum ciborum, ut ſapiant, placeant: ſic diſcretio virtutibus, condimentum operum, ut Deo ſint accepta. *Prudenter ergo ſervit Deo,* inquit Bern. *qui ab Eccleſiaſtici ſenſus puritate, nulla deviat veriſimilitudine; & qui diſcretionis metam nulla ſuperſtitione, vel levitate, vel ſpiritus ferventioris vehementia deſerit.*

Epiſt. 121. cap. 3. Epiſt. 70. Epiſt. 121. ibid. Levit. 2. Bern. ſer. 20. in Cāt.

Denique Deo ſerviendum fortiter, quod fit, quando nec blanditiis, nec minis adduci homo poteſt, ut virtutem vel juſtitiam deſerat. *Cui,* inquit D. Aug. *donatur à Deo ſuavitas, ſeu boni delectatio, vel charitas, profectò inſtanter orare debet, quò tantum ſibi augeatur hoc donum, ut non ſolum pro illo contemnat delectationes cæteras, ſed etiam pro illo quaſlibet perferat paſſiones; ita ſuavitati ſalubriter additur diſciplina. Non enim quantulacunque ſuavitati ſeu bonitati, hoc eſt, charitati ſanctæ poſcenda eſt, & obtinenda; ſed tam magna, ut ſub ejus preſſura non poſſit extingui; ſed ſicut ingens flamma ſub impetu venti, quantò magis reprimitur, tantò ardentius excitari.* Sic & D. Proſper; *Eſt,* inquit, *amor, qui poteſt alio amore ſuperari; & ſæpè dilectio Dei ex mundi dilectione marceſcit; niſi ad eum fervorem Spiritu Sancto inflammante proficiat, qui nullo extingui frigore, nullo poſſit tempore languere.* De tali dilectione dicitur in

In pſ. 118. conc. 17. Libro 2. de voc. gent. cap. 11.

ut juſtitiam in alios neceſſariam, non ſæviendo exerceant, ſed humana commiſeratione adhibeant. *Nam ſic cogitata infirmitate communi*, ait Auguſtin. *& accuſatorius dolor, & judicatorius rigor frangitur: ſic cadit ſævitia, tremente conſcientia.* Meritò quidam ait optandum, ut qui Reipubl. præſunt, legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur. Refert D. Gregorius in Dialog. de quodam ob eam cauſam damnato, quod ad pœnas etiam juſtè inferendas, magis crudelitatis deſiderio, quam publico zelo motus eſſet.

Epiſt. 54.

Li. 4. Dial. cap. 36.

Seneca dixit, *In vindicandis peccatis hæc tria ſecutam eſſe legem, quæ Princeps quoque ſequi debeat; aut, ut eum quem punit, emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut ſublatis malis ſecuriores cæteri vivant.* Declarat etiam D. Auguſtinus, quomodo juſtus quiſque velit de inimicis ſuis vindicari? *Quia*, inquit, *& magis cupit inimicum ſuum corrigi, quàm puniri; & cum in eum videt à Domino vindicari, non ejus delectatur pœna, quia non eum odit, ſed Divina juſtitia, quia Deum diligit. Denique ſi in hoc ſeculo in eum vindicatur, vel pro illo etiam lætatur, ſi corrigitur; vel certè pro aliis, ut eum timeant imitari. Ipſe quoque fit melior, non ſupplicio ipſius odia ſua paſcendo, ſed errata emendando. Ac per hoc de benevolentia eſt, non de malitia, quod lætatur juſtus cum viderit vindictam, & manus ſuas lavat, id eſt, opera ſua mundiora efficit, in ſanguine, id eſt, exitio peccatoris: ſumens inde non mali alieni gaudium, ſed divinæ admonitionis exemplum. Si autem in futuro ſeculo, ultimo Dei judicio vindicetur, hoc ei placet, quod Deo, ne benè ſit malis; ne piorum præmiis perfruantur.*

Lib. 2. de Clement.

In Pſal. 78.

Digitized by Google

fruantur. Quod utique injuſtum eſt, & à regula veritatis quam juſtus diligit, alienum. Sic Auguſt.

Duos modos tradit S. Gregor. (ut etiam hoc addam) quibus fracta poſſidere animum ira deſueſcit. Primus eſt, ut *mens ſollicita, antequam agere quodlibet incipiat, omnes ſibi, quas pati poteſt, contumelias proponat, quatenus Redemptoris ſui probra cogitans, ad adverſa ſe præparet. Quæ nimirum venientia tanto fortius excipit, quanto ſe cautius ex præſcientia armavit. Qui enim improvidus ab adverſitate deprehenditur, quaſi ab hoſte dormiens invenitur, eumque citius inimicus necat, quia non repugnantem perforat. Nam qui mala imminentia per ſollicitudinem prænotat, hoſtiles incurſus quaſi in inſidiis vigilans expectat: & inde ad victoriam valenter accingitur, unde inſciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus ante actionis ſuæ primordia, cuncta debet adverſa meditari, ut ſemper hæc cogitans, ſemper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quicquid acciderit, providus ſuperet, & quicquid non acceſſerit, lucrum putet.* Li. 5. Mor. cap. 31.

Secundus ſervandæ manſuetudinis modus eſt, ut *cum alienos exceſſus aſpicimus, noſtra, quibus in aliis exceſſimus, delicta cogitemus. Conſiderata quippe infirmitas propria, mala nobis excuſat aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè meminit, quod fortaſſe adhuc habeat, in quo debeat ipſe tolerari. Et quaſi aquâ ignis extinguitur, cum ſurgente furore animi, ſua cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubeſcit ſibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo, ſæpè ſe recolit, parcenda peccaſſe.* Hactenus Gregor.

Digitized by Google

MONITUM XXIV.

Non in contentione & æmulatione.

Rom. 13.

In pſalm. 104. INvidia, inquit Aug. *eſt odium felicitatis alienæ.* Eſt ergo mors charitatis, quæ ut ait Apoſt. *non* 1. Cor. 13. *æmulatur*, id eſt, non invidet aliis ſua bona, nec terrena, nec ſpiritualia: ſed qui diligit proximum, gaudet de bono proximi, juxta mandatum Apo- Rom. 12. ſtoli, *Gaudete cum gaudentibus*. Contrà, qui non diligit proximum, ſed tantum ſuis commodis ſtudet, reliquos excellere cupiens, invidet proximo, id Horat. lib. 1. epiſt. 2. eſt, triſtatur de bono ejus, ſicut ait Poëta;

Invidus alterius rebus macreſcit opimis.

Galat. 5. Hujus mali originem explicat Apoſtolus, cum ait, *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Et alibi, cum dixiſ- 1. Cor. 13. ſet, *Charitas non æmulatur; velut ſi cauſam quæras unde fiat, ut non æmuletur, continuò ſubdit, Non inflatur; quaſi dicat, Ideo non habet invidentiam,* De S. Virg. cap. 31. *quia nec ſuperbiam*, inquit D. Auguſtin. *Superbiam enim ſequitur invidentia, tanquam filia pediſſequa. Eam quippe continuò parit ſuperbia, nec unquam eſt ſine tali prole, atque comite; quibus duobus malis, id eſt, ſuperbiæ & invidentiæ, Diabolus præeſt.* Epiſt. 64. Et alio loco idem S. Auguſt. cum dixiſſet ex Apoſtolo: Non in contentione & æmulatione, ſubdit: Galat. 5. *Horum morborum mater eſt ſuperbia, & humanæ laudis aviditas.*

Numerat autem Apoſt. invidiam inter ea peccata,

Digitized by Google

ſtata, quæ hominem excludunt à regno Dei. Ac tantò gravior eſt invidia, quantò majus eſt bonum quod quis alteri invidet; ſicut & odium tantò eſt gravius, quantò gravius eſt malum, quod quis optat proximo. De illa dicit D. Ignatius? *Invidiam cave, author ejus eſt Diabolus, & ſucceſſor ipſius Cain, fratri invidens, & invidia homicidium perpetrans.* In epiſt. ad Heronem.

Invidia autem, ait D. Hier. *quæ felicitate aliena torquetur, in duplicem ſcinditur paſſionem. Cum aut invidus ipſe eſt aliquid in eo, in quo alium eſſe non vult; aut alium videns eſſe meliorem, dolet ſe ei non eſſe conſimilem, malletque alterum non eſſe tam excellentem.* De Cæſare & Pompeio dicit Florus; *Nec hic ferebat parem, nec ille ſuperiorem.* Ipſe Cæſar causã diſſidii inter ipſum & Pompeium ait fuiſſe, quod *Pompeius neminẽ ſecum exæquari volebat*. Et de Cæſare narratur, ſolitum eſſe dicere, *Malle ſe primum in parva civitate eſſe, quam ſecundum in magna.* Clitum amicum optimum occidit Alexander, quòd *memoriam Patris tueretur, ejuſque res geſtas laudaret, cum ipſe ſe Patri præferret.* Et Dario Regi petenti ab eo, ut cum eo regnum partiretur, dixit ſe præſtaturum, *ſi ſecundus ſibi, non par haberi vellet: Mundum non poſſe regi duobus Solibus, ſic nec duobus Regibus.* Quam multa nobis invidorum exempla ſuppeditat Scriptura? Abel fratrem innocentem occidit Cain, invidiæ furiis agitatus. Ioſeph venditus à fratribus, & ab eis ſemper malè habitus. David à Saüle quoties ex invidia ad mortem quæſitus? Denique Chriſtus à Pilato occiſus, per invidiam ei à Judæis traditus.

In cap. 5. ad Galat. Lib. 4. c. 2. Lib. 1. de bell. Civil. Plutarc. de Cæſare. Iuſt. li. 12. hiſtor. Idem li. 11. Gen. 4. 1. Ioan. 3. Gen. 37. 1. Reg. 18. Matth. 27.

Ut ad diviſionem D. Hieronymi redeamus; Prioris generis invidia laborant illi, qui ſua dona

aliis

aliis communicare nolunt, ut ipſi ſcilicet excellē-
Sap. 6. tiores maneant. Quibus omninò diſſimilis erat Sapiens, qui confidenter de ſeipſo dicebat; *Quid ſit Sapientia, & quo modo facta ſit, referam, & non abſcondam à vobis Sacramenta Dei, ſed ab initio nativitatis inveſtigabo, & ponam in lucem ſcientiâm illius, & non præteribo veritatem; neque cum invidia tabeſcente iter habebo; quoniā talis homo non erit particeps Sapientiæ.* Et rurſum; *Sapientiam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.* D. Aug. in Confeſ. *Multum tibi, Domine, diſplicent ſibi placentes, aut de non bonis tanquam bonis, aut de bonis tuis, quaſi ſuis, aut ſicut de tuis, ſed tanquam ex meritis ſuis; aut ſicut ex ſola gratia, non tamen ſocialiter gaudent, ſed ea aliis invident.*

Sap. 7. Lib. 10. cap. 39.

Secundi generis invidia perpetuò cruciatur diabolus, ex quo ab Angelorum ſocietate excidit. Unde adhuc homini ſtanti invidens, eum pertraxit in lapſum, & omnes omninò ſecum in æternam mortem præcipitare conatur. *Invidiâ diaboli*, ait Sapiens, *mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius. Quia ſuperbus eſt diabolus*, inquit D. Aug. *ideo invidus, & omne corpus ipſius, talium corpus eſt; fieri enim non poteſt, ut ſuperbus non invideat.* Et D. Leo; *Diabolus*, ait, *primum ſuperbus ut caderet; deinde invidus, ut noceret. Quia in veritate non ſtetit, totam vim ſuam in mendacio collocavit, omniaque deceptionum genera de hoc veneniſſimo artis ſuæ fonte produxit; ut ab illo bono, quod ipſe propria elatione perdiderat, ſpem humanæ devotionis excluderet, eoſque in conſortium damnationis ſuæ traheret, ad quorum ipſe reconciliationem pertinere non poſſet.*

Sap. 2. In pſal. 58. 129. Serm. 4. de Collect.

Ex

Ex primo genere invidiæ ad ſecundum devenitur; Qui enim aliis ſua communicare non vult, ut ipſe major appareat, dignus eſt perdere quæ habet, juxta ſententiam Salvatoris; *Tollite ab inutili ſervo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti*, id eſt, interprete D. Aug. *cum benignitate utenti eo quod accepit, dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Veritas tua, Domine*, ait Auguſt. *nec mea eſt, nec illius, aut illius, ſed omnium noſtrum, quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur eâ.* Et rurſum: *Hæc eſt lex Divinæ providentiæ, ut nemo à ſuperioribus adjuvetur ad cognoſcendam & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adjuverit.* Et iterum; *Eſt iuſtum conſilium, ut qui ſe à potentiore adiuvari velit, adiuvet & inferiorem, in quo eſt ipſe potentior.*

Matth. 25. Lib. 1. c. 1. de doct. Chriſt. In Conf. li. 12. ca. 25. De vera relig. ca. 8. De ſerm. Domini in monte, lib. 1. ca. 3.

Quando igitur ſuperbus perdito ſuo bono miſer efficitur, invidet aliis, quod æquè miſeri non ſint, ut in diabolo contigiſſe videmus. Ideo inquit D. Aug. *Cum diabolo & angelis eius nulla concordia: ipſi nobis invident regnum cœlorum. Miteſcere omninò erga nos non poſſunt, plus illi vigilant ad decipiendum, quàm ego ad me cuſtodiendum.* Et in æternum damnatorum eſt invida illa vox: *Ecce quomodo computati ſunt* (electi) *inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorũ eſt.* Et in Pſ. dicitur; *Peccator videbit* (juſtũ in gloria) *& iraſcetur, dẽtibus ſuis fremet & tabeſcet.*

In pſal. 76. Sap. 5. Pſal. 111.

Quanta autem mala adferat Superbia & Invidia, mater & filia, non facilè eſt dicere. Una Superbia eſt, quam jure omnium hæreticorum matrem eſſe cenſuit S. Auguſtin. Unde & D. Petrus; *Sibi*

Cont. epiſt. Funda. c. 6.

2.Pet.1. *Sibi placentes, ſectas non metuunt introducere,* &c. Et
2.Tim.3. S.Paulus; *Inſtabunt*, inquit, *tempora periculoſa.* Sed unde? *Et erunt homines ſeipſos amantes, elati, ſuperbi,* &c. Similiter ejus proles Invidia pietatem infeſtiſſimè perſequitur. D.Cyprian. *Hinc*, inquit, *vinculum pacis rumpitur, hinc charitas fraterna violatur; hinc adulteratur veritas, ſcinditur unitas, ad hæreſes & ſchiſmata proſilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis invidetur, dum quis aut queritur ſe non potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpoſitum,* &c. Videtur etiam Iudas in epiſtola originem hæreſeôn poſuiſſe, cum ait; *Væ illis qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & qui in contradictione Core perierunt.* Quibus verbis primò notatur Invidia, cujus ſtimulis & facibus Cain in paricidium eſt incitatus. Deinde Avaritia, cujus cupiditas Prophetæ Balaam obturavit oculos & cæcavit. Poſtremò, ſuperbia quæ adverſus Moyſen & Aaron Levitas quondam erexit.

Serm. de zelo & livor.

Iudas in ep.

Gen. 4. Num. 22. Num. 16.

Convenientiſſimè autem ordinavit Dominus, ut qui per invidiam imitantur Diabolum & Cain, ſui ipſorum, ſicut & illi, ſint tortores. *O Sathanæ calliditas,* ait D. Hieronymus, *ſemper ſancta perſequens! O Invidia primùm mordax tui!* Hinc & Sapiens; *Invidiam tabeſcere* dicit. Et alibi; *Putredo oſſium, invidia.* Quia tanto ſe cruciatu affligunt invidi, ut etiam robuſtiſſima quæ habent, cujuſmodi ſunt oſſa in corpore, putrefaciant. Unde ait idem Hieronym. *Pulchrè quidam dixit:*

In epiſt. ad Aſellam. Sap. 6. Prov. 14.

In ca. 5. ad Galat.

Iuſtius invidia nihil eſt, quæ protinus ipſum
Authorem rodit, cor cruciatque ſuum.

Et Divus Cyprianus in libro de zelo & livore, valdè optimo, inquit ibidem Hieronymus; *Qualis*

De zelo & livore.

eſt,

eſt, ait, *animæ tinea, aut quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo, zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem; id eſt, odiſſe in eo vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere, aliorum gloriam ſuam facere pœnam, & velut quoſdam pectori ſuo admovere carnifices, cogitationibus & ſenſibus ſuis adhibere tortores, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent; qui cordis ſecreta malevolentiæ ungulis pulſent. Non cibus talibus lætus, non potus poteſt eſſe jucundus: ſuſpiratur ſemper, & ingemiſcitur, & doletur. Dumque ab invidis nunquam livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obſeſſum ſine intermiſſione laniatur*, &c. Unde & Poëta: Virgil. in appendic.

Livor tabificum malis venenum,
Intactis vorat oſſibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quod quiſquis furit, invidetque forti,
Ut debet, ſibi pœna ſemper ipſe eſt.
Teſtatur gemitu graves dolores,
Suſpirat, fremit, incutitque dentes.
Sudat frigidus, intuens quod odit.
Effudit mala lingua virus atrum.
Pallor terribilis genas colorat.
Infelix macies renudat oſſa.
Non lux, non cibus eſt ſuavis illi.
Nec potus juvat, aut ſapor Lyæi, &c.

Digitized by Google

MONITUM XXV.

Servite Domino in lætitia.

Pſalm. 99.

Vide Bernard. ſer. 20. in Cãt. 2. Cor. 9. TRibus modis Deo ſerviendum; Hilariter, Prudenter, Fortiter. Hilariter, quia opus virtutis ſeu juſtitiæ, quo Deo ſervitur, exercendum eſt, non ex triſtitia aut neceſſitate, ſed cum hilaritate & gaudio ſpiritus. *Hilarem enim datorem diligit Deus*, ait Apoſt. *Nemo invitus benefacit*, ait Auguſt. *etiamſi bonum eſt quod facit*. Et Proſper; *Cum bonum operaris, hilaris operare: nam ſi quid boni triſtis feceris, fit de te magis, quàm facis. Servite Domino*, ait Propheta; *in lætitia*. Et Apoſt. *Qui miſeretur in hilaritate*. Et rurſum; *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ*, id eſt, inquit Auguſt. *Quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido, voluptaſque peccati; ſic vos ad juſtè vivendum non ſupplicii metus urgeat, ſed delectatio, charitaſque ducat juſtitiæ*. Malum eſt ergo in rebus Dei cum tepore & tædio verſari. Languor iſte eſt animi, noxius & periculoſus, quando orare non libet, nec ad ea quæ Dei ſunt, ſeipſum vel lecto, vel audito verbo Dei excitare. *Sicut enim*, inquit S. Aug. *corpori noxium eſt corpoream eſcam non poſſe percipere, ita animæ periculoſum eſt, ſpiritales delitias faſtidire*. Quod periculum animadvertens Propheta, ait; *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis*. Et de aliis: *Omnem eſcam abomi*

[Margin notes: Li. 1. Conf. cap. 12. — Sent. 112. — Pſalm. 99. — Rom. 12. — Roman. 6. — Epiſt. 144. — Sent. 10. apud Proſp. — Pſal. 118. — Pſal. 106. & ibi Aug.]

abominata eſt anima eorum, & appropinquaverunt uſque ad portas mortis. Moxque & illi advertentes periculum; *Clamaverunt*, inquit, *ad Dominum, cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.* Similiter & peccare juſtum aſſerit Aug. *quando ei per infirmitatem animæ ſurrepit tædium in ipſa beneficentia qua conſulit proximo, vel cum minus ſufficitur neceſſitatibus aliorum, vel parum in eis proficitur; quo tædio fuſcatur hilaritas, in qua datorem diligit Deus. Surrepit autem tantò magis, quantò minus quiſque; & tantò minus, quantò magis quis profecerit.* Contra quod tædium ac triſtitiam mandat Apoſtolus; *Gaudete in Domino ſemper.* Et, *Regnum Dei eſt juſtitia, & gaudium, & pax in Spiritu Sancto.* De perfect. juſt. ratioc. 17. Eccl. 35. Philip. 4. Rom. 14.

Deinde Deo ſerviendum prudenter. Atque hæc prudentia duo excludit, primò infidelitatem & ſuperſtitionem. Præſupponit enim vera virtus, ſeu juſtitia, qua Deo ſervitur, veram fidem. *Iuſtus enim ex fide vivit*, inquit Apoſtolus. Et. *Fides prima datur*, ait Auguſtinus, *ut per illam cætera quæ ad iuſtitiam & vitam pertinent, impetrentur.* Dicit idem Auguſtinus de doctrina Chriſtiana; *Titubabit fides, ſi Divinarum Scripturarum vacillat authoritas. Porro fide titubante, charitas etiam* (quæ & juſtitia) *ipſa langueſcit. Nam ſi à fide quiſque ceciderit, à charitate etiam neceſſe eſt cadat.* Non enim poteſt diligere quod eſſe non credit. Aut quomodo diligit eum, aut rectè ſervit ei, cui loquenti, ſive per ſe, ſive per alios, miniſtros videlicet ſuos, non credit? *Charitas omnia credit*, ait Apoſtolus, *ſed Deo*, inquit Auguſtin. etiamſi ea dicat, quæ ſenſum omnem & rationem excedunt. De homine dicitur: *Nolite omni ſpiritui credere.* Et, *Qui facilè credit, levis eſt* Roma. 1. Hebr. 10. De præ-deſt. Sanct. cap. 7. Li. 1. c. 37. 1. Cor. 13. De ſpir. & lit. cap. 31. 1. Ioan. 4. Eccl. 19.

Apoſtolus ad eum: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere, propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Quem idcirco *nimium corporis caſtigatorem* vocat Aug. Qui & ad Bonifacium ſcribens: *Exerce*, inquit, *jejunia, quantum ſine læſione valetudinis fieri poſſunt*. Et ad Probam; *Sumenda iſta, in quantum valetudinem non perturbant.* In veteri teſtamento omnibus ſacrificiis adhiberi debebat ſal, condimentum ciborum, ut ſapiant, placeant: ſic diſcretio virtutibus, condimentum operum, ut Deo ſint accepta. *Prudenter ergo ſervit Deo,* inquit Bern. *qui ab Eccleſiaſtici ſenſus puritate, nulla deviat veriſimilitudine; & qui diſcretionis metam nulla ſuperſtitione, vel levitate, vel ſpiritus ferventioris vehementia deſerit.*

Epiſt. 121. cap. 3. Epiſt. 70. Epiſt. 121. ibid. Levit. 2. Bern. ſer. 20. in Cãt.

Denique Deo ſerviendum fortiter, quod fit, quando nec blanditiis, nec minis adduci homo poteſt, ut virtutem vel juſtitiam deſerat. *Cui,* inquit D. Aug. *donatur à Deo ſuavitas, ſeu boni delectatio, vel charitas, profectò inſtanter orare debet, quò tantum ſibi augeatur hoc donum, ut non ſolum pro illo contemnat delectationes cæteras, ſed etiam pro illo quaſlibet perferat paſſiones; ita ſuavitati ſalubriter additur diſciplina. Non enim quantulacunque ſuavitati ſeu bonitati, hoc eſt, charitati ſanctæ poſcenda eſt, & obtinenda; ſed tam magna, ut ſub ejus preſſura non poſſit extingui; ſed ſicut ingens flamma ſub impetu venti, quantò magis reprimitur, tantò ardentius excitari.* Sic & D. Proſper; *Eſt,* inquit, *amor, qui poteſt alio amore ſuperari; & ſæpè dilectio Dei ex mundi dilectione marceſcit; niſi ad eum fervorem Spiritu Sancto inflammante proficiat, qui nullo extingui frigore, nullo poſſit tempore languere.* De tali dilectione dicitur in

In pſ. 118. conc. 17. Libro 2. de voc. gent. cap. 11.

Digitized by Google

Cant. 8. Cantic. *Fortis ut mors dilectio. Quomodo enim mors,*
In pſal. 47. *quando venit,* ait D. Aug. *reſiſti ei non poteſt, quibuſlibet artibus & medicamentis occurras, quia mortalis es natus; ſic contra violentiam charitatis mundus nihil poteſt. E contrario enim data eſt ſimilitudo; quomodo enim mors violentiſſima eſt ad auferendum, ſic charitas violentiſſima eſt ad ſalvandum.*

Talis fuit charitas Apoſtoli Pauli, qui dixit; *Ego non ſolum alligari, ſed & mori paratus ſum pro*
Actor. 21. *nomine Domini.* Talis & D. Stephani, de quo S. Ful-
In ſerm. de S. Stephan. gentius, quod *Charitatem pro armis habebat, & per eam ubique vincebat; per eam ſævientibus Iudæis non*
In ſerm. de S. Laur. *ceſſit, & cum gaudio lapides accepit.* Talis fuit charitas D. Laurentij, de quo D. Leo ad Tyrannum; *Flãmis tuis ſuperari charitatis Chriſti flãma non potuit. Segnior fuit ignis, qui foris uſſit, quam qui intus accendit.* Talis eſt charitas electorum omnium, in quo-
Rom. 8. rum perſona dicit Paulus; *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an gladius? an fames? an nuditas? an periculum? ſicut*
Pſalm. 43. *ſcriptum eſt, Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.*

In Pſal. 47. *Quam multos parentes filij prohibebãt mori?* inquit S. Aug. *Sicut legimus & novimus in paſſione B. Perpetuæ: facta ſunt iſta, ſed lacrymæ quantælibet, & quantolibet impetu fluerent, quomodo ardorẽ charitatis extinguerent.* Sic & liberi S. Paulæ viduæ prohibebãt eam proficiſci ad loca ſancta. *Parvus Toxotius,* ait
In Epitap. Paulæ. D. Hier. *ſupplices manus tendebat in littore; Ruffina jam nubilis, ut ſuas expectaret nuptias, tacens fletibus obſecrabat. Tamen illa ſiccos in cœlum tendebat oculos, pietatem in filios pietate in Deum ſuperans, & amorem filiorum majore in Deum amore contemnens.* Inſigni

Digitized by Google

gni ſanè fortitudinis exemplo omnes pios inſtruentes quanti facienda ſit juſtitia, quæ Divinarum legum obſervatione continetur, uſi ſunt Machabæi ſeptem fratres; è quibus qui tertio loco paſſus eſt, cum linguam juſſus amputandam protuliſſet, dixit; *E cœlo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo ea me recepturum ſpero. Sic enim amanda eſt juſtitia,* inquit Aug. *ut ab ejus operibus etiam pœna corporis nos cohibere non debeant, atque inter manus crudelium inimicorum luceant opera noſtra coram hominibus, ut quibus placere poſſint, glorificēt patrem noſtrū qui in cœlis eſt.* Epiſt. 144. Matth. 5.

MONITUM XXVI.

Erat Suſanna pulchra nimis, & timens Deum: parentes enim illius erudierant eam ſecundum legem Moyſi.

Dan. 13.

LAudatur hic Suſanna, laudantur & ejus parentes. Ipſa primò laudatur à pulchritudine corporis, quæ etiam Dei donum eſt; ex quo prædicandus. Unde D. Aug. *Si placent corpora, Deum ex illis lauda, & in artificem eorum retorque amorem, ne in his quæ tibi placent, tu ei diſpliceas.* Li. 4. Conf. cap. 11. Eſt ergo donum, ſed fluxum ac fragile. Apulejus de forma, Apuleius. *Exſpecta pauliſper; & non erit*; imò modica infirmitate corrumpitur, ac defœdatur.

Res eſt forma fugax, ait Seneca, *quis ſapiens bonò Confidat fragili?* Seneca in Hippol.

Digitized by Google

Ovidius. Et alius Poëta;

Forma bonũ fragile eſt, quantũque accedit ad annos,
Fit minor, & ſpatio carpitur illa ſuo.

Iſa. 40. Hieron. in illum loc. *Omnis caro fœnum*, ait Propheta, *& omnis gloria ejus ut flos fœni*. Ubi D. Hier. *Pulchra mulier, quæ adoleſcentulorum poſt ſe greges trahebat, arata rugis fronte contrahitur, & quæ prius amori, poſtea faſtidio eſt. Quod & egregius apud Græcos Orator ſcribit, ſpeciem corporis aut tempore deficere, aut languore conſumi.*

Libro 13. Metam. Hinc & de Helena apud Ovidium dicitur;

Flet quoque ut in ſpeculo rugas conſpexit aniles
Tyndaris, & ſecum cur ſit bis rapta requirit:
Tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas
Omnia deſtruitis, &c.
Ecquid amas, qui corpus amas, niſi putre cadaver?
Quod tegit in paucos blanda figura dies.

Bonum eſt ergo forma, ſed fragile.

Deinde etiam periculoſum, quòd formam ſequatur ſuperbia, ut ait Poëta, & quòd formoſa plures habeat ſuæ pudicitiæ inſidiatores: ex forma enim Eccl. 9. *Concupiſcẽtia quaſi ignis exardeſcit*, inquit Sapiens. De vera Virginit. Unde D. Baſil. *Deformitatem*, ait, *optimum eſſe caſtitatis præſidium*. Et de S. Sotere virgine, inquit S. In exhort. ad virg. & lib. 1. de virginib. Ambr. *Cum ejus decora facies verberibus fœdaretur, gaudebat, diſpendio pulchritudinis auferri periculum integritatis*. S. Agnes ita ad carnificem: *Qui me ſibi prior elegit, accipiet. Quid percuſſor moraris? Pereat corpus quod amari poteſt oculis, quibus nolo*. Et legimus fœminas Gentiles & Chriſtianas, ſeipſas defœdaſſe ac detruncaſſe, ſervandæ caſtitatis cauſa. Lib. 1. in Iovinian. *Pulchra mulier*, ait D. Hieron. ex Theophraſto, *citò adamatur; difficile autẽ cuſtoditur, quod plures amant. Nihil tutum, in quod totius populi vota conſpirant.*

Alius

Digitized by Google

Alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate ſollicitat. Aliquo modo, vel aliquando expugnatur, quod undique laceſſitur. Dicit Poëta:

Non honor eſt, ſed onus, ſpecies læſura ferentes, Ovid.
Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

Et alius:

Sed vetat optari faciem Lucretia qualem Juven. ſat. 10.
Ipſa habuit; cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque ſuam Rutilæ dare. Filius autem
Corporis egregij miſeros, trepiſdoque parentes
Semper habet: Rara eſt adeò concordia formæ
Atque pudicitiæ, ſanctos licèt horrida mores
Tradiderit domus.

Illam commendat Hier. ad Demetriad. *Quæ ſe neſcit eſſe pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum non pectus, non collum denudat, nec pallio revoluto cervicem aperit; ſed quæ celat faciem, & vix uno oculo, qui via neceſſarius eſt, patente ingreditur. Virgo hoc agit ut turpior appareat, & naturæ bonum infuſcet injuria: Uxor verò ad ſpeculum pingitur, & in contumeliam artificis conatur pulchrior eſſe quàm nata ſit.* Matrona, cùm in manibus ſpeculum habet, inquit Plut. ſecum ipſa dicere debet, ſi deformis eſt, *Quidni temperans & pudica ſim?* Pulchra verò, *Quid ſi præterea ſim honeſta?* Sicut Socrates, ut ſe in ſpeculo adoleſcentes intuerentur, ſuadere conſueverat, *ut deformes virtute corrigerentur, pulchri ne deturparentur vitio.* In præc. connub.

Sæpè ergo contingit, ut deformis ſit hoſpes in pulchro domicilio, fœda anima in formoſo corpore, ut locum habeat illud Poëtæ, Horat in ep. apud Gell. Alii Anthiſteni tribuunt.

Introrſus turpis, ſpecioſus pelle decora.

Sicut de Anglis adhuc infidelibus dicebat S. Greg. Apud Bed.

 Eheu

lib. 2. c. 2. hiſt. Angl. *Eheu quod tam lucidi vultus homines tenebrarum author poſſidet*. Unde & Bias Philoſophus, adoleſcēti petenti cujuſmodi uxor ducenda eſſet? Reſpondit, *Si formoſam duxeris, communem habebis; ſi deformem, habebis pœnam*. Suadebat ergo media ſtataque forma ducendam, quæ nec faſtidium viro moveret ob deformitatem, nec ob inſignem formam peteretur ab aliis. Non tamen volumus dicere, omnes formoſas eſſe inhoneſtas, ſed periculum quod in forma eſt, oſtendimus; ideoque in majorem laudem cedit Suſannæ, quod cum eſſet formoſiſſima, eſſet etiam pudiciſſima, *ſic ut corporis decore ac dignitate, veluti pulchro indumento, animi pulchritudo veſtiretur*; quod de Nepotiano ſuo dixit Hieron. In Epitap. Nepot.

Secundò, laudatur Suſanna à timore Dei, quæ eſt animi pulchritudo. Eſt autem hic timor filialis, ſollicitudo non peccandi, non offendendi Deū. Offenditur autem duobus modis, vel faciendo malum quod prohibet, vel omittendo bonum quod præcipit. Unde duo officia Timoris Domini, declinare à malo, & facere bonum, ut eſt apud Pſalmiſtam. Unde & Tobias ad filium; *Multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum*; & hoc quaſi explicans, addit; *Et receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè. Eſt timor in bonis, eſt & in malis*, ait S. Proſp. *Hi timent, quia peccaverunt; illi timent, ne peccent; ibi formido eſt de ſupplicio, hic ſollicitudo de præmio*. Et D. Aug. *Qui non amat, timet ne pereat; qui amat, timet ne diſpliceat: illum timorem charitas foras pellit, cum illo introcurrit*. De hac ſollicitudine Apoſtolus ad Rom. *Sollicitudine non pigri*.

Pſalm. 33. Tob. 4. In Epiſt. ad Demetr. De s. Virg. cap. 7. Rom. 12. Mich. 6.

Ait Propheta, *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonū, & quid Dominus requirat à te. Utique facere judiciū,*

&

& diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo. Primum ad ipſum hominem pertinet, ut judicet ſeipſum, & cum invenit perverſum, caſtiget ſe & corrigat, non blandiatur ſibi. *Si enim noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*, ait Apoſt. Et Aug. *Peccata, ſive parva, ſive magna, impunita eſſe non poſſunt, quia aut homine pœnitente, aut Deo judicante plectuntur. Ceſſat autem vindicta Divina, ſi converſio præcedat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos qui ſemetipſos judicant, nõ judicare. Bonum judicium, quod me diſtricto illi, divinoque judicio ſubducit & abſcondit*, ait D. Bernard. Aug. ſerm. 35. 36. in Nov. 1. Cor. 11. Apud Proſ. ſent. 210. Ser. 55. in Cant.

Secundum ad proximum pertinet, ut ejus miſereamur, quomodo poſſumus, in hilaritate non ex neceſſitate, aut in triſtitia. *Qui miſeretur*, inquit Apoſt. *in hilaritate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Nemo autem eſt, quin poſſit ac debeat aliquam miſericordiam præſtare proximo, vel adjuvando, vel conſulendo, monendo, hortando, corripiendo, ſufferendo, docendo, conſolando, dimittẽdo, orando, &c. Tobias ad filium, *Quomodo potueris, eſto miſericors.* Et Petrus Apoſtolus; *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtret.* Rom. 12. 2. Cor. 9. Vide Aug. in pſal. 26. conc. 2. ſer. 45. in Nov. Tob. 4. 1. Pet. 4.

Tertium, Deum concernit, ut ſimus ſolliciti cum eo ambulare. Hoc in laudem dicitur Patriarcharum, Enoch & Noë, quod *ambulaverunt cum Deo.* Homo ex natura corrupta, Deo, ejuſque præcepto contrarius eſt. Unde queritur Iob, *Quare me poſuiſti contrarium tibi?* Et dicit Apoſtolus; *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Unde monet Dominus in Evan. *Eſto conſentiens adverſario tuo. Adverſarius hominis, ſermo legis*, inquit Auguſt. epiſt. 85. rationem reddit Apoſt. Gen. 5. & 6. Iob 7. Rom. 7. Matth. 5.

Lex enim ſpiritualis eſt, id eſt, præcipit ea, quæ Deo, qui ſpiritus eſt, placent: corruptus autem *homo carnalis eſt*, id eſt, vult & facit, quæ placent carni. Debet ergo eſſe ſollicitus, ut opitulante gratia, cum Deo ſuo ambulet, id eſt, ei per omnia conſentiat. Contra Deum ambulant mali, qui ab eo diſſentiunt, affectu, deſiderio, opere: Deus vult caſtitatem, illi eligunt impudicitiam; Deus exigit humilitatem, illi ſuperbi ſunt; Deus jubet propria dare, illi rapiunt aliena, & ſic in aliis. Erat ergo Suſanna timens Deum, eumque timorem oſtendit, quando maluit graviſſimam ſubire infamiam, mortem ipſam oppetere, quam Deum offendere, conſentiendo impuris nebulonibus, ad impudicitiam matronam honeſtiſſimam ſollicitantibus. *Mulierem fortem quis inveniet?* quæ quidvis pati, quam in Deum peccare malit. Spectatur autem fortitudo iſta in ſuſtinendis adverſis, & in comprimendis concupiſcentiis pravis. Diſtinguit D. Aug. duplicia mala; *Alia per patientiam ſuſtinenda*; *alia per continentiam refrænanda*.

Prov. 31. — Cont. Iul. lib. 5. cap 4. — Dan. 13.

Parentes verò Suſannæ in eo prædicantur, quod erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi. Atque in eo maximè laus eſt parentum omnium erudire liberos ſecundum legem Domini. *Bonum enim eſt viro, cum portaverit iugum Domini ab adoleſcentia ſua*, ait Propheta. Rationem reddit Sapiens; *Adoleſcens enim juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Unde è ſchola Sathanæ profectum eſt illud carmen,

Vide infra Mon. 56. — Thren. 3. — Prov. 22.

Angelicus juvenis ſenibus ſathanizat in annis.

Unde tot fornicationes, adulteria, impudicitiæ, & alia innumera ſcelera inter Chriſtianos? Niſi quia pleri

plerique parentes non erudiunt proles ſuas ſecundum legem Domini, ſed ſecundum legem mundi? Mundus docet luxuriari, fornicari, in ſpectaculis nugari, ebrietate ingurgitari, turpitudine fœdari, choreas ducere, compoſito gradu incedere, nutibus oculorum loqui, comptiùs procedere, &c. quæ omnia incitamenta ſunt, & libidinum fomenta.

De Sempronia Saluſtius; *Literis Græcis & Latinis docta, pſallere, ſaltare elegantius quam neceſſe eſt probæ: multa alia quæ inſtrumenta luxuriæ ſunt, ſed ei cariora ſemper omnia, quam decus ac pudicitia fuit: libidine ſic accenſa, ut ſæpius peteret viros, quam peteretur.* Quam multas etiam inter Chriſtianas invenias, non ſolum quæ ſollicitantibus ad impudicitiam, exigui lucri aut voluptatis cauſa facilè conſentiunt, ſed quæ ultrò alios ad eam ſollicitare non verentur. Lex autem Dei docet mundum, ejuſque vanitates contemnere, pietatem ab infantia colere, Divinis officiis libenter adeſſe, Orationi & doctrinæ ſacræ diligenter incumbere, Sacramenta Dei frequentare, vitare peccata, eorumque occaſiones, præſentiam Dei cogitare in ombibus, quæ homini in noviſſimo accidunt, ſemper ob oculos habere, &c. In Catil.

Parentibus à Sapiente mandatur; *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos à pueritia eorum. Filiæ tibi ſunt? Sreva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Bene Chryſ. *Magnum habemus, pretioſumque depoſitum, filios; ingenti illos ſervemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis aſtutus auferat. At verò nunc contrà penitus facimus. Nam ut fundus quidem ſit optimus, cuncta molimur; cæterùm* Eccl. 7. Hom. 9. in 1. ad Tim.

In pſ.129. *quod nobis chariſſimum omnium eſt, omnino negligimus*. Et Aug. *Magis cogita quomodo nutrias qui nati ſunt, quam ut naſcantur: Non enim felicitas eſt jam*
Gen. 18. *habere filios, ſed bonos habere*. Abraham Deum tam amicum ſibi habuit, ut ei Deus ſua ſecreta revelaret; quia *ſcio* (inquit Dominus) *quod præcepturus ſit*
Tob. 4.
Aug. li. 10. *filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Do-*
Conf. c. 34. *mini*. Atque in hoc commendatur Tobias ſenior, quod *filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede charitatis, nuſquam errans*. Quam diligens fuerit Monica Auguſtini mater in educandis filiis in fide recta, & bonis moribus, etſi maritum haberet infidelem. Vide Aug. lib. 1. Confeſſ. c. 11. & aliis locis.

Conſtat Gentiles in recta liberorum educatione admodum fuiſſe diligentes. *Cornelia Gracchorum mater*, ait Valer. Max. *cùm Campana Matrona*
Li. 4. c. 4. *apud illam hoſpita, ornamenta ſua pulcherrima ſeculi illius, ei oſtenderet, traxit eam ſermone, quouſque è ſchola redirent liberi. Et hæc, inquit, ornamenta mea*
In inſtitut. Lacon. *ſunt. Et Ionica quædam mulier*, ut refert Plutarch. *ſua quadam textura gloriabatur, quòd eſſet ſumptuoſa. Lacæna verò, cum ei quatuor filios, omni virtute præditos indicaſſet; Talia*, inquit, *oportet eſſe bonæ probæque mulieris opera, & in his gloriari*.

Pudet, ait quidam Doctor, imò verò horror eſt
Vide Hier. in epiſt. ad Lætam, & ad Gaudét. dicere, noſtri ſeculi morum corruptionem. Ipſimet parentes filiolis etiamdum infantibus vitia imprimunt, & teneram ætatem malis moribus inficiunt, uſque ad ultimum ſpiritum duraturis. Vixdum ſciunt quid ſit aqua, & vinum potitant, idque cum riſu & plauſu parentum. Vix fari norunt, & jam diſcunt convitia dicere. Vixdum prima rudimenta attigerunt ſcholæ Chriſti, & jam in

in ſchola Diaboli ſunt magiſtri. Et hi quidem ſic educati, tales & ipſi poſtea filios educant; quia non poteſt facere filius, niſi quæ viderit patrem facientem.

Scilicet exſpectas, ut tradat mater honeſtos, Sat. 14.
Aut alios mores, quàm quos habet?

inquit Iuven. Atque eo modo infelici quodam orbe & ſucceſſione vitia per manus traduntur, & ex pollutis fontibus polluta flumina egrediuntur.

Dominus in Deuteron. ubi præceptum tradit de diligendo eo ex toto corde, &c. ſtatim ſubjicit; *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis.* Et rurſum; *Docete filios veſtros verba mea, ut illa meditentur, cum ſederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque ſurrexeris.* Plato *nihil ſibi videri ſcribit, in quo ſit magis elaborandum, quàm ut filii à teneris unguiculis rectè inſtituantur.* Sicut enim infantium membra, ſimul ac nati ſunt, formari componique debent, ut recta minimeque obliqua fiant: ita puerorum mores, principio aptè concinnéque fingere convenit. Illa namque novella ætas, ad fingendum facilis ac tenera eſt, & ipſorum animo, dum mollis adhuc extat, diſciplinæ melius inſtillantur, difficilius autem quæ dura ſunt, molliuntur.

Deut. 6. Deut. 11. De legib. Vide Plut. de educat. liber.

Unde & Chryſippus apud Quintilian. *Nutrices ſapientes optabat, & quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in his haud dubiè prior ratio eſt, rectè tamen etiam ut loquantur. Naturâ enim tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percipimus; ut ſapor, quo nova imbuas, durat; nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt. Et hæc ipſa magis pertinaciter hærent, quæ* Li. 1. Orat. Inſt. cap. 1.

deterio

deteriora ſunt. Nam bona facilè mutantur in peius; nunc quando in bonum verteris vitia? D.Hieronym. ad Lætam, de inſtit. filiæ: *Nihil aliud,* inquit, *diſcat audire, nihil loqui, niſi quod ad timorem Dei pertinet, Turpia verba non intelligat; cantica mundi ignoret. Adhuc tenera lingua pſalmis dulcibus imbuatur. Procul ſit ætas laſciva puerorum. Et difficulter eraditur, quod rude animi perbiberunt.*

MONITUM XXVII.

Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini. Dan. 13.

Lib. 1. in Iovinian. DOctiſſimi viri vox eſt, inquit S.Hieron. *Pudicitiam in primis retinendam eſſe, qua amiſſa omnis virtus ruit. Quid enim ſalvi eſt mulieri, amiſſa pudicitia?* dicebat Lucretia apud Livium. Lib. 1. Dec. 1. Hier. ibid. *In hac muliebrium virtutum principatus eſt. Hæc pauperem cõmendat, divitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram; benè meretur de majoribus, quorum ſanguinem furtiva ſobole non vitiat; benè de liberis, quibus nec de matre erubeſcendum, nec de patre dubitandum eſt. Benè in primis de ſe, quam à contumelia externi corporis vindicat. Captivitatis nulla major calamitas eſt, quam ad alienam libidinem trahi. Viros, Conſulatus illuſtrat; eloquentia in nomen æternum effert; militaris gloria, triumphuſque novæ gentis conſecrat. Multa ſunt quæ præclara ingenia nobilitent. Mulieris virtus propriè, pudicitia eſt.* Hactenus Hieronymus. Magnum ergo bonum pudicitia, ſed multis periculis obnoxium; tum propter vas fragile, in quo porta

portatur: Quid enim carne infirmius? tum quia multi ſunt hoſtes, qui hunc theſaurum deprædari conantur. Intus cupiditates, quæ excitant prava deſideria in corde, pravos motus ac titillationes in corpore; foris, Dæmones, per pravas ſuggeſtiones; homines mali, per verba & exempla noxia.

Fortis ac conſtans in hoc pudicitiæ tuendo bono Suſanna extitit, quæ vitam, qua nihil hominibus ſolet eſſe charius, & famam, quam multi etiam vitæ ipſi præferendam cenſuerunt: unde illud,

Omnia ſi perdas, famam ſervare memento, Cato in diſtich.

amittere maluit quam pudicitiæ ac honeſtatis pati diſpendium. Duo bona, fama & conſcientia. Utrumque curare debet Chriſtianus, *Conſcientiam propter ſe, Famam propter alios*, ut ait D. Auguſt. Unde & Apoſtolus, *Quæcumque juſta, quæcunque bonæ famæ; ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate.* Verum ſi alterum lædi aut amitti neceſſe eſt, præſtat famam quam conſcientiam; Melius eſt enim hominibus diſplicere, quam Deo; & multò ſuavius ac jucundius eſt teſtimonium bonæ conſcientiæ, ſine bona fama, quam ſolatium bonæ famæ, ſine bona conſcientia. *Sed quotocuique*, ait Plinius, *eadem honeſtatis cura ſecretò, quæ palam? Multi famam, conſcientiam pauci verentur. Tanto major famæ ſitis eſt, quam virtutis*, inquit Iuven. Et D. Proſper loquens de corrupta hominis voluntate; *Eſt*, inquit, *gloriæ quam virtutum avidior, famæ quam conſcientiæ diligentior.* Sed Suſanna magis timens Deum quam homines, & conſcientiæ ſtudioſior quam famæ, magis elegit famam perdere, vitam profundere, quàm

Serm. 1. de vit. cleric. & tract. de Ovib. c. 9.
Philip. 4.
Lib. 3. ep. 20.
Juven. Sat. 10.
De voc. gent. lib. 1. cap. 6.

quàm conſcientiam lædere, & Deum offendere.

Vide Liviũ in hiſt. li. 1. dec. 1.

Fortior ergo in tuenda pudicitia Suſanna fidelis, quam Lucretia infidelis, tanta apud Romanos prædicatione commendata. Hæc enim metu, non quidem amittendæ vitæ, ſed famæ, adulterum admiſit. Unde de ea Ovidius in Faſtis:

Succubuit famæ victa puella metu.

Nam primò cum Sextus Tarquinius ferrum quod in manibus erat oſtenderet, eique vitam adimere minaretur, ni conſentiret in ſtuprum, manſit immobilis; ſed deinde addidit ad metum dedecus: cum mortua jugulatum ſervum nudum poſiturum ſe aiebat, ut in ſordido adulterio necata dicatur: quo terrore vicit obſtinatam pudicitiam victrix libido. Tametſi ipſa poſtmodum in ſignum innocentiæ ſeipſam in conſpectu amicorum occiderit. Unde ita ad Brutum patrem; *Corpus*, inquit, *eſt tantum violatum, animus inſons, mors teſtis erit; etſi me peccato abſolvo, ſupplicio non libero. Nam mulier laudis avida*, ait Auguſt. *ad oculos hominum, mentis ſuæ teſtem pœnam adhibendam cenſuit, quibus conſcientiam ſuam demonſtrare non potuit. Egregiè quidam ex hoc veraciterque declamans, ait: Mirabile dictu! duo fuerunt, & unus adulterium commiſit. Innuens in duorum corporum commixtionem unius inquinatiſſimam cupiditatem, alterius caſtiſſimam voluntatem; & non quid conjunctione membrorum, ſed quid animorum diverſitate ageretur attendens.*

De Civit. li. 1. ca. 19.

Suſanna verò nec famæ amittendæ metu, nec certæ mortis ſubeundæ timore adduci potuit, ut quicquam in ſe turpe aut inhoneſtum permitteret, ſed conſtantiſſima in tuenda caſtitate perſeveravit.

Quod

Quod autem ſeipſam Lucretia occiderit, *non eſt pudicitiæ charitas,* inquit Aug. *ſed pudoris infirmitas. Sunt aliæ fœminæ idem paſſæ à Barbaris; tamen vivunt: habent quippe intus gloriam caſtitatis, teſtimonium conſcientiæ; habent autem coram oculis Domini, nec requirũt amplius. Corporis quidem ſanctitas amittitur, violata animi puritate, etiam corpore intacto; ſed non amittitur corporis ſanctitas, manente animi ſanctitate, etiam corpore oppreſſo.* Unde & S. Lucia ad judicem Lupanar minantem; *Si me invitam juſſeris violari, non inquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis; imò caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Atque ut ait S. Aug. *omnis illa violentia, non pro corruptionis turpitudine, ſed pro paſſionis vulnere deputabitur.* Sed cur permittit Deus violari quarundam virginitatem? Reſpondet Aug. *Alta quidem eſt providentia Dei, &c. Verum ſic fortè quarundam tumori occurritur immanenti, aliarum imminenti; nec ablata caſtitas, ſed perſuaſa humilitas; oſtenditurque bonum continentiæ in bonis animi, non corporis deputandum, &c.* De Civ. ibi. In Vita. Epiſt. 122. De Civit. li. 1. ca. 28.

Sed licétne ſe occidere, ad devitandos pudicitiæ inſectatores? Reſpondet Aug. *Si grave ſcelus eſt ſe ipſum hominem occidere, quis ita deſipiat, ut dicat; Iam nunc peccemus, ne fortè poſtea peccemus; nunc jam perpetremus homicidium, ne fortè poſtea incidamus in adulterium? Nonne ſatius eſt incertum de futuro adulterium, quam certum de præſenti homicidium? Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; non ſunt facienda peccata certa, ut evadamus certa.* Sed aliquas earum quæ id fecerunt celebrat Eccleſia, ut teſtantur Ambroſius, Chryſoſtomus, & alii. Non dubium de iis Eccleſiæ revelatum, quod fecerint, *non humanitus deceptæ, ſed divinitus juſſæ;* De Civ. li. 1. cap. 26. Roman. 3.

non

non errantes, ſed obedientes. Sicut de Samſone aliud nobis fas non eſt credere. Cum autem Deus jubet, ſeque jubere ſine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obſequium pietatis accuſet? Sicut Abrahā laudabiliter obedivit, volendo immolare filiū.

Auguſt. de civit. ibid.

Lib. 8. cap. 26. hiſtor.

Sophronia nobiliſſima matrona, ſimul atque audierat, ait Euſebius, Maxentii Cæſaris libidinoſiſſimi, miniſtros pro foribus ædium aſtare, (Chriſtiana enim erat) & virum ſuum, qui fuit præfectus Romanorum, metus cauſa, eos ipſam arreptam permiſiſſe abducere; paululum temporis popoſcit, ut corpus ſuum decenter exornaret. Itaque cubiculum ingreditur, & cum ſola eſſet, enſe ſeipſam transfigit, & mortua ſtatim concidit, cadavere perductoribus Imperatoris relicto. Quæ ſuis rebus geſtis omni voce ac ſono clarius multò perſonantibus, omnibus hominibus, cùm qui jam ſunt, tùm qui poſt futuri ſunt, palam fecit, ſolam Chriſtianorum continentiam, nec pecunia expugnari, nec morte extingui poſſe. Lucretiæ ſanè præferenda, quòd poſt pollutum ſordibus corpus, etſi non animum, mortem ſibi conſcivit; hæc autem antequam corpus, vel veſtis ipſa à Tyranno contingeretur, gladio ſeipſam, eluſo Imperatore, invicto animo transfodit.

Lib. 3. de Virginib.

Matildam nobilem virginem Anglam Angliæ rex Joannes ardentiſſimè amans, cum nullo alio modo pudicitiam expugnare poſſet: miſſo ad eam veneno, amoris, ſed illiciti, aut mortis optionem dabat. Nihil minus, quam quod accidit, eventurum credens. De qua Poeta;

Lethalem immergis membris Matilda liquorem,
Quo tibi virginitas intemerata foret.

Sic

Sic de puero Athenienſi inſigni forma prædito, cujus meminit Plutarch.in vita Demetrii:

Lethali immergis puer Attice membra liquori,
Ne formæ ſpolium tetra libido ferat.

De Michaële Verino, pio & docto adoleſcente, poëta inſigni, ait Angelus Politian.

Sola Venus potuit lento ſuccurrere morbo:
Ne ſe pollueret, maluit ipſe mori.

S.Pelagia, inquit Ambr. apud Antiochiam quondam fuit, annorum ferè quindecim, ſoror virginum, & ipſa virgo. Hæc primò domi claſſico perſecutionis incluſa, cum ſe à prædonibus fidei vel pudoris circumſederi videret, abſente matre & Sororibus, vacua præſidio, ſed Deo plenior: *Quid agimus, inquit, niſi proſpicias captiva virginitas? & votum eſt, & metus eſt mori, quia mors non excipitur, ſed aſciſcitur. Moriamur, ſcilicet, vel ſi nolunt licere, moriamur. Deus remedio non offenditur, & facinus fides allevat.* Matris in gremio fertur ornaſſe caput, nuptialem induiſſe veſtem; ut non ad mortem ire crederes, ſed ad ſponſum. Ita Ambroſ. de S.Pelagia Virgine, quæ è ſublimi domus tecto ſpontaneo præcipitio manus carnificis; & ſententiam Principis; qui lenonibus Chriſtianas fœminas condemnabat, eluſit. Quam etiam D.Chryſ.2.orationibus laudavit.

Mater autem ejus & Sorores, cum perſecutores fugerent, ac imminentibus perſecutoribus, fluvio à fuga excluderentur; uno animo in ejus medium ſe projecerunt, ut idem Ambr. Multæque aliæ ſervandæ caſtitatis cauſa, idem factitarunt, uti hiſtoriæ teſtantur. *Qui ergo audit, non licere ſe occidere, faciat ſi juſſit, cujus non licet juſſa contemnere;* Eodem lib. Euſeb.li.8, cap.25.

Nicephor. lib.7.c.13. Exempla gentilium varia habet Hiero.lib. 1.in Iovinian.

nere. Unde punitur, ſi fecerit injuſſus, inde punietur, ſi non fecerit juſſus; tantum videat, an Divina juſſio nullo nutet incerto, inquit S. Auguſt. de Civit. Dei.

Lib.1.c.26. Daniel.13.

Sed quo remedio uſa noſtra Suſanna ad ſuperandam tentationem tam gravem? Habuit ante oculos Divinæ Majeſtatis præſentiam, cujus oculos verebatur offendere. *Melius eſt mihi,* inquit, *incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini.* Dixerant impudici ſenes, ut facilius eam permoverent, ſoli ſumus, nemo nos videt. Illa vero Deum cogitans, cujus præſentiam nemo effugit, ſententiam nemo ſubterfugit, vinci non potuit. Monet Seneca: *Sic vive cum hominibus, quaſi Deus te videat.* Et: *Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat,* &c. Vide epiſt.10. & ſeq. *Cave,* inquit Hier. ad Sabinianum Diaconum Virginem ad ſtuprum ſollicitantem, *ne te Phinees cum Madianitide fornicantem ſua haſta trãſfigat.* Magnum profectò in omni tentatione remedium, cogitare ſemper Deum obſervare greſſus noſtros, videre etiam abditiſſimas cogitationes, & animorum motus: omninò ille peccato potentiſſimè repugnabit. Dicebat Helias Propheta: *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto. Cujus ſententiæ memor S. Antonius,* (uti refert D. Athanaſius) *talem ſe præbere cupiebat, qualem ſciebat dignum eſſe Dei conſpectibus, purum corde, & paratum obedire voluntati ejus.*

3.Reg.17.

In vita.

Eccl.23.

Omnis homo, ait Sapiens, *qui tranſgreditur lectum ſuum, contemnens animam ſuam, & dicens; Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me, quem verear? Et non intelligit quoniam omnia videt oculus Dei, nec cognovit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores ſunt*

ſuper

ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Rectè igitur monet Philoſophia apud Boëthium; *Averſamini vitia, colite virtutes, ad rectas ſpes animum ſublevate, humiles preces in excelſa porrigite. Magna vobis eſt, ſi diſſimulare non vultis, neceſſitas indicta probitatis, cùm ante oculos agitis Iudicis cuncta cernentis.* Et D. Bern. *Bonus pudor, quo peccaſſe, aut peccare confunderis. Et licet omnis humanus fortè abſit arbiter, Divinum tamen quam humanum, tantò verecundius revereris aſpectum, quantò & verius Deum, quàm hominem cogitas puriorem; tantoque eum gravius à peccante offendi, quantò conſtat longius ab illo omne eſſe peccatum. Vivendum eſt ſub Iudice* cælo, *ait Poëta.* Et,

Li. 5. de cōſolat. proſa 6. in fin.

Ser. ad Milit. Templi, cap. 12.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma;
At ſperate deos memores fandi atque nefandi.

MONITUM XXVIII.

Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.

Ioan. 8.

QUam grave peccatum ſit adulterium, quo fides inter Conjuges mutuò data violatur, non ſolum ex pœna futuri ſeculi, quæ eſt æterna damnatio, cognoſcitur: unde Apoſtolus, *Adulteri regnum Dei non poſſidebunt.* Et, *adulteros judicabit*; id eſt, condemnabit, *Deus.* Verum etiam ex pœnis legibus hic contra adulteros conſtitutis. Lege enim Moyſi adulteri & adulteræ jubebantur occidi.

1. Corin. 6. Vide Alexand. ab Alex. lib. 4. Geni. dier. Heb. 13. Deut. 22.

Imò ante legem. Unde mortem minatus eſt Deus Abimelech, ſi uxorem Abrahæ adulterio violaſſet. Et Abimelech omni populo præcepit, *Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Et tanta atrocitas erat adulterii in opinione Gentilium, ut levius crimen æſtimarent, prius virum perimere, ut muliere per ejus cædem jam libera facta, potirentur, quam ut alterius uxorem eo vivente polluerent. Et apud Romanos lex Iulia capite plectebat adulteros. De qua, cum negligeretur, queritur Poëta;

Gen. 20. 26.

Iuvenal.

Ubi nunc lex Iulia, dormis?

Lib. 2. ca. 8. de adult. conjug.

Quam reſtituit Antoninus Imperat. quem in eo commendat D. Aug.

In epiſt. ad Innoc.

Epigr. li. 6. & 9.

Eandem ante reſtituerat Domitia. initio Imperii, ſimul vetans quemquam caſtrari. Unde Martial.

Luſus erat ſacræ connubia fallere tædæ,
Luſus & immeritos exſecuiſſe mares.
Utraque tu prohibes, Cæſar, populiſque futuris
Succurris, naſci quos ſine fraude, jubes.
Nec ſpado jã, nec mœchus erit, te præſide, quiſquam;
At prius, ô mores, & ſpado mœchus erat.

Li. 1. cont. Iovinia.

Tempore D. Hieronymi illa lex adhuc ſervabatur, uti manifeſtum eſt ex ejus epiſtola ad Innocentium, de muliere ſepties icta. Et contra Ioviniа. *Quotidie mœchorum ſanguis effunditur, adulteria damnantur, & inter ipſas leges & ſecures ac tribunalia, fragrans libido dominatur.* Sic in deteſtationem adulterii ab hæreditate repelluntur ex adulterio nati, nec ſequenti Matrimonio fiunt legitimi, uti qui ex ſimplici fornicatione naſcuntur. Et à ſacris ordinibus repelluntur ex adulterio nati. Et

Cap. Tanta in Decret. Qui filii ſunt legitimi.
Et c. conſuluit, de ſer. non ord.

Cano

Canones olim in Clericos adulteros graviter animadverti voluerunt. Siquidem Conc. Aurelia. 3. jubet eos toto vitæ ſuæ tempore in arctum Monaſterium detrudi. Generatim autem adulteris 7. annornm pœnitentiam præſcribit Conc. VVormatienſe. Can. 4. Can. 9.

Sed ſi tam grave peccatum eſt adulterium, & leges jubent adulteros occidi, cur Dominus mulierem hanc in adulterio deprehenſam abſolvit? In primis non expreſsè vetat illam lapidare, ſed eum qui ſine peccato eſt, vult incipere. q.d. inquit Aug. *Puniatur peccatrix, ſed non à peccatoribus; impleatur lex, ſed non à prævaricatoribus ejus.* Et alibi; *Non ait, occidite, ne amitteret manſuetudinis famam; nō ait, dimittite, ne incurreret blaſphemiam, tanquam legis reprehenſor.* Alterum ex his duobus obtinere intendebant, ſed *non eſt conſilium contra Dominum.* Verum ait, *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat. Juſta lex, quæ jubet adulteram occidi, ſed hæc lex juſta miniſtros habeat innocentes. Attenditis quam adducitis, attendite qui eſtis. Illi hoc audito, unus poſt alium diſceſſerunt.* Tract 33. in Ioan. In pſal. 50. Aug. ibid.

Non quod ſecundum legem nollet animadverti in adulteros, ſed quia vellet ipſos accuſatores & judices ſui ipſorum meminiſſe, ſeque ipſos cogitare eſſe peccatores, ut juſtitiam in alios neceſſariam, non ſæviendo exerceant, ſed humana cōmiſeratione adhibeant. *Nam ſic cogitata infirmitate communi* (inquit Aug.) *& accuſatorius dolor, & judicatorius rigor frangitur; ſic cadit ſævitia, tremente conſcientia.* Voluit Dominus eos confundere, qui cùm ſceleribus pleni eſſent, & fortè iiſdem, aut etiam gravioribus obnoxii, zelum legis con- Epiſt. 54.

tra hanc fœminam præferebant. Indecens enim eſt,ut legis tranſgreſſor judicet alium tranſgreſſorem,adulter adulterum reprehendat,fur furem ſuſpendat, major,ut ſæpe fit, minorem.

Decet Judicem & correptorem immunem eſſe à peccato,eo ſaltem quod in alio corripit, & vindicat. Et quia etiam ipſe peccatis ſubjacet, hac conſideratione, pœnam potius mitigare debet, quam extremo jure agere. *Ille* (ait Auguſt.) *juſtus punitor eſt, qui non habet quod in illo puniatur; ille juſtus reprehenſor, qui non habet quod in illo non reprehendatur*. Hinc David Deo; *Tibi ſoli peccavi*. Quid? nonne peccaverat etiam in Uriam,illum occidendo,uxorem ejus ſtuprando? nonne in uxorem ejus,maritum auferendo,ipſam in adulterium pelliciendo? nonne in omnes,dando tam grave ſcandalum? *Ergo tibi ſoli,tanquam juſto punitori,quia ſolus ſine peccato es*,inquit Auguſt. Cæteri ex conſideratione propriæ infirmitatis, & ingenitæ pravitatis, cujus debent meminiſſe, pœnam remittere,aut mitigare debent.

In pſal. 50.

Pſalm. 50.

In pſal. 50.

Ideóque Petrus permiſſus eſt cadere,non ſolum ut *in Eccleſia Principe remedium pœnitentiæ conderetur*, inquit Leo, *ſed etiam ne difficilior eſſet lapſis, ipſe miſericordiam conſecutus*, ait Greg.

Ser 9. de paſſ.

Homil. 21.

Non ignara mali,miſeris ſucurrere diſco, dicebat illa. Et ſi ad pœnam procedendum ſit, id non ulciſcendi aut nocendi cupiditate, ſed cum dolore fiat, & quaſi ex neceſſitate; quia aliter Reſpubl. non poteſt ſalva conſiſtere. Unde & Poëta boni Principis officium indicans, ait:

Æneid. 4.

Eſt piger ad pœnas princeps, ad præmia velox,
Quique dolet quoties cogitur eſſe ferox.

Vocem

Digitized by Google

Vocem Neronis, cum cogeretur ſcribere ſententias in reos, *Mallē neſciſſe literas*, valde extollit Seneca; primo enim biennio admodum erat mitis. Et Titus Imp. ideo profeſſus ſe Pontificatum Maximum accipere, *ut puras ſervaret manus, periturum ſe potius, quàm perditurum jurans. Nullus ſub ejus imperio morte affectus eſt. Duos patritii generis convictos in affectatione imperii, nihil amplius quam ut deſiſterent, monuit.* Sueton. in Nero. c. 10. Alii quinquennio. Lib. 2. de Clem. Dio. in Tit.

Procedit ergo ad pœnam Judex, ſed dolens; quia hoc Dei lex exigit, cujus ipſe eſt vicarius, ejuſque juſtitiæ executor; aut ſalus eorum qui plectuntur, vel aliorum qui tali exemplo præſervandi vel corrigendi ſunt; & quia aliter pax & tranquillitas Reip. conſtare non poteſt, niſi malefactores puniantur. Diſciplina enim ſive juſtitia clavo navis ſimilis eſt, quo ſublato, navis huc illucque impellitur & periclitatur. Ipſi Gentiles hoc ex lege naturæ, adhuc reliqua intellexerunt, *mores videlicet civitatum, concordiamque populorum non poſſe aliter contineri*, inquit D. Proſp. *niſi & rectè factis præmia, & peccatis pœnæ decernerentur, ideoque ad ſimilitudinem legalium mandatorum, multa proprio judicio ſanxerunt.* Epiſt. 31. apud D. Cypr. Cont. Collat. cap. 22.

Abſolvit tamen poſtea omninò adulteram, cum dicit, *Nec ego te condemnabo, vade & noli amplius peccare.* Primò quidem, ut poteſtatem ſuam oſtenderet, ſéque ſupra legem eſſe, eam ſolvendo, ut ſic majus quiddam de eo, quam de alio homine cogitarent. Sic ſolvit Sabbathum, tetigit immundos contra legem, ut ſe Dominum legis oſtenderet, nec ejus præceptis, aut pœnis Moyſis teneri. *Moyſes*, ait Aug. *miniſter legis, Chriſtus legis promulgator;* Ioan. 8. Ioan. 7. Matth. 8.

In pſal.50. *tor; Moyſes lapidat ut Iudex, Chriſtus indulget ut Rex.* Deinde, voluit Eccleſiæ, ejuſque miniſtris formam & manſuetudinis præbere exemplum. Hanc nobis admodum commendavit; per ſe, di- Matth.11. cens, *Diſcite à me quia mitis ſum.* Et, *beati mites.* Per Matth.5. Apoſtolum, cum ait, *Dignè ambulate vocatione ve-* Epheſ.4. *ſtra, cum omni humilitate & manſuetudine.* Et, *Ser-* 2.Tim.2. *vum Dei oportet manſuetum eſſe ad omnes.* Denique, Serm.11. de paſſ. ut D.Leo ait, voluit per omnia demonſtrare, *non* Ioan.3. *veniſſe ſe ut judicet mundum, ſed ut ſalvet:* oſtendens miniſtris novi teſtamenti, quale eorum debeat eſſe propoſitum & intentio, non perdere malos, ſed ſalvare.

Non igitur erit homini in hominem ſæviendum, ſed neceſſariæ pœnæ, vel ſanandi, vel præſervandi miſericordi animo, non intentione perdendi, irrogandæ erunt. Unde D.Aug. *Quanquam Do-* Cont.epiſt. Fundam. cap.1. *minus,* inquit, *per ſervos ſuos regna ſubvertit erroris, ipſos tamen homines, in quantum homines ſunt, emendandos eſſe potius quam perdendos jubet. Et quicquid divinitus ante ultimum judicium vindicatur, ſive per improbos, ſive per iuſtos, ſive per ſcientes, ſive per neſcientes, ſive occultè, ſive palam, non ad interitum hominum, ſed ad medicinam valere credendum eſt, quam qui reſpuunt, æterno iudicio præparantur.* Et Ibid.cap.2. Manichæos alloquens; *Illi,* inquit, *in vos ſæviant, qui neſciunt cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores,* &c.

Exod.32. 1.Reg.15. Num.28. Ioan.2. Errat autem vehementer quiſquis putat cum ſeveritate diſciplinæ, manſuetudinem, clementiamque conſtare non poſſe. Patet in Moyſe, Samuele, Phinees, ipſo Chriſto, qui clementiæ totius vivum & perfectum exemplar, facto flagello,

Digitized by Google

lo, ementes, vendenteſque è templo ejecit, menſas nummulariorum evertit, &c. Si Gentilium non pauci, teſte S. Ambroſio, gloriari ſoliti erant, *quod incruentam de adminiſtratione Provinciali ſecurim revexiſſent*; quid Chriſtiani facere debent, qui in Chriſti manſuetudine dicentis, *Nec ego te condemnabo*, propoſitum habent, quod imitentur? Foris interim quod pro locis, pro tempore, pro ingeniis, ac Reip. neceſſitate faciendum eſſe prudentia dictaverit, editis etiam ſeveritatis exemplis, exequantur. Talis Imper. Theodoſius extitit; *Vir*, Ambroſio teſte, *miſericors; humilis imperio, corde puro, pectore manſueto*; & is tamen non ſine ſeveritate, ſacrilegos removit errores, geſſit bella, &c.

Epiſtol. 57.

In Orat. funebri.

Pro concluſione illud addam, ex D. Aug. de hac adultera: *Quid eſt, Domine, quod loqueris mulieri peccatrici, Ego te non condemnabo? Faves ergo peccatis, & peccatricibus? Certè non favet Dominus malis. Sed attende quod ſequitur; Vade, & amplius noli peccare. Si enim peccatorum fautor eſſet Dominus, utique diceret, Ego te non condemnabo, vive ut prius, & de mea miſericordia eſto ſecura. Non ergo hoc dixit. Attendant ergo qui amāt in Domino manſuetudinem, & timeant veritatem ſeu juſtitiam ejus. Etenim juxta dictum pſalmi. Dulcis & rectus Dominus. Ama ergo, quod dulcis eſt; ſed time, quod rectus eſt. Tanquam enim manſuetus dicit. Tacui: ſed tanquam juſtus addit, Nunquid ſemper tacebo? Qui enim modò ſuſtinet peccantes, judicaturus eſt contemnentes.*

Ser. 47. de verb. Dom.

Pſal. 24.

Pſal. 49.

Iſai. 42.

Digitized by Google

In pſal.50. tor; *Moyſes lapidat ut Iudex, Chriſtus indulget ut Rex*. Deinde, voluit Eccleſiæ, ejuſque miniſtris formam & manſuetudinis præbere exemplum. Hanc nobis admodum commendavit; per ſe, di-
Matth.11. Matth.5. cens, *Diſcite à me quia mitis ſum*. Et, *beati mites*. Per
Epheſ.4. Apoſtolum, cum ait, *Dignè ambulate vocatione ve-*
2.Tim.2. *ſtra, cum omni humilitate & manſuetudine*. Et, *Ser-*
Serm.11. *vum Dei oportet manſuetum eſſe ad omnes*. Denique,
de paſſ. ut D. Leo ait, voluit per omnia demonſtrare, *non*
Ioan.3. *veniſſe ſe ut judicet mundum, ſed ut ſalvet*: oſtendens miniſtris novi teſtamenti, quale eorum debeat eſſe propoſitum & intentio, non perdere malos, ſed ſalvare.

Non igitur erit homini in hominem ſæviendum, ſed neceſſariæ pœnæ, vel ſanandi, vel præſervandi miſericordi animo, non intentione perden-
Cont. epiſt. di, irrogandæ erunt. Unde D. Aug. *Quanquam Do-*
Fundam. *minus*, inquit, *per ſervos ſuos regna ſubvertit erroris,*
cap. 1. *ipſos tamen homines, in quantum homines ſunt, emendandos eſſe potius quam perdendos jubet. Et quicquid divinitus ante ultimum judicium vindicatur, ſive per improbos, ſive per iuſtos, ſive per ſcientes, ſive per neſcientes, ſive occultè, ſive palam, non ad interitum hominum, ſed ad medicinam valere credendum eſt, quam qui reſpuunt, æterno iudicio præparantur.* Et
Ibid. cap. 2. Manichæos alloquens; *Illi*, inquit, *in vos ſæviant, qui neſciunt cum quo labore verum inveniatur, & quam*
Exod.32. *difficile caveantur errores*, &c.
1.Reg.15. Num.28. Errat autem vehementer quiſquis putat cum
Ioan.2. ſeveritate diſciplinæ, manſuetudinem, clementiamque conſtare non poſſe. Patet in Moyſe, Samuele, Phinees, ipſo Chriſto, qui clementiæ totius vivum & perfectum exemplar, facto flagel-

lo,

lo, ementes, vendenteſque è templo ejecit, menſas nummulariorum evertit, &c. Si Gentilium non pauci, teſte S. Ambroſio, gloriari ſoliti erant, *quod incruentam de adminiſtratione Provinciali ſecurim revexiſſent*; quid Chriſtiani facere debent, qui in Chriſti manſuetudine dicentis, *Nec ego te condemnabo*, propoſitum habent, quod imitentur? Foris interim quod pro locis, pro tempore, pro ingeniis, ac Reip. neceſſitate faciendum eſſe prudentia dictaverit, editis etiam ſeveritatis exemplis, exequantur. Talis Imper. Theodoſius extitit; *Vir*, Ambroſio teſte, *miſericors; humilis imperio, corde puro, pectore manſueto*; & is tamen non ſine ſeveritate, ſacrilegos removit errores, geſſit bella, &c.

Epiſtol. 57.

In Orat. funebri.

Pro concluſione illud addam, ex D. Aug. de hac adultera: *Quid eſt, Domine, quod loqueris mulieri peccatrici, Ego te non condemnabo? Faves ergo peccatis, & peccatricibus? Certè non favet Dominus malis. Sed attende quod ſequitur; Vade, & amplius noli peccare. Si enim peccatorum fautor eſſet Dominus, utique diceret, Ego te non condemnabo, vive ut prius, & de mea miſericordia eſto ſecura. Non ergo hoc dixit. Attendant ergo qui amāt in Domino manſuetudinem, & timeant veritatem ſeu juſtitiam ejus. Etenim juxta dictum pſalmi. Dulcis & rectus Dominus. Ama ergo, quod dulcis eſt; ſed time, quod rectus eſt. Tanquam enim manſuetus dicit. Tacui: ſed tanquam juſtus addit, Nunquid ſemper tacebo? Qui enim modò ſuſtinet peccantes, judicaturus eſt contemnentes.*

Ser. 47. de verb. Dom.

Pſal. 24.
Pſal. 49.
Iſai. 42.

Digitized by Google

MONITUM XXIX.

Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite ſpernere.

1. Theſ. 5.

PRior ſententia poteſt primò referri ad omnes, etiam peccatores, quibus Spiritus Sanctus ſæpe, etiam inter media ſcelera, bonum propoſitum ac deſiderium ſuggerit vitæ melioris, ex incuſſo aliquo timore, vel mortis imminentis, vel æternæ damnationis, vel alterius mali. Ad illos ergo dicit Apoſt. *Spiritum*, id eſt, donum à Spiritu vobis immiſſum, illud videlicet boni propoſitum ac deſiderium, *Nolite extinguere*, nolite in vacuum recipere.
Cont. 2. ep. Pelag. lib. 2. ca. 8. Diſputat S. Aug. contra Pelag. Unde ſit boni cupiditas & deſiderium? Illi ex homine eſſe dicebant, ſe in donis Dei priores facientes, poſteriorem ipſum Deum.
Ibid. ca. 9. *Quam amentiam avertat à nobis Deus*, inquit Aug. *cui fideliter veraciterque cantatur*,
Pſal. 20. *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Et,
Pſalm. 58. *Miſericordia ejus præveniet me.*

De voc. gent. lib. 1. cap. 6. *Bona voluntas*, ait Proſp. *ſuperni agricolæ prima plantatio eſt, & virtutum omnium germen primum.* Et ipſe Dominus ait, *Sine me nihil poteſtis facere*; quo uno verbo initium finemque comprehendit.
2. Corin. 3. Et ejus Apoſtolus: *Non ſumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis. Cogitare ait aliquid, utique bonum*, inquit Aug. *Minus eſt autem cogitare quam cupere. Cogitamus quippe omne quod cupimus,*
Cont. 2. ep. *nec tamen cupimus omne quod cogitamus; quoniam non*

nonnunquam & quod non cupimus, cogitamus. Cum igitur minus ſit cogitare, quam cupere, poteſt enim homo cogitare bonum quod nondum cupit, & proficiendo poſtea cupere, quod antea non cupiendo cogitavit; quomodo ad id quod minus eſt, id eſt, ad cogitandum aliquid boni non ſumus idonei, tanquam ex nobiſipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt; & ad id quod eſt amplius, id eſt, ad cupiendum aliquid boni, ſine divino adjutorio idonei ſumus ex libero arbitrio? Pelag. libr. 2. cap. 8.

Sed huic bono quod ſeminatur à Spiritu Sancto in corde hominis, cultura adhibenda eſt orando, meditando, legendo, &c. ut germen tenerum fortitudinis robur accipiat, & dignos æternis horreis fructus producat. *Semen enim quod jacitur in terram non ob hoc ſeritur, ut ipſum ſolum maneat, ſed ut fructum afferendo, multiplex ac numeroſum ſit.* Deinde, ait Aug. *Quando cœpit in nobis amor Dei, ſeu boni cupiditas, diligenter extirpandæ ſunt juxtà germinantes ſpinæ*, i. cupiditates malæ, *ne creſcendo bonum ſemen ſuffocent.* Denique cavendus etiam Diabolus, qui initiis bonarum ſuggeſtionum inſidiatur, & veluti Herodes Chriſtum recenter in cordibus natum conatur occidere, ſicut & Pharao Iſraëlitas meditantes exitum de Ægypto, magis oneravit & afflixit, & interfici juſſit maſculos recenter natos, id eſt, cogitationes bonas & virtuoſas primum orientes. *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis,* ait S. Jac. Quod illi faciunt, qui in ipſo ingreſſu tentationis ſe ſtatim opponunt, nec ſuggeſtionem malignam in animum admittunt: Parvulos Babylonis allidentes ad petram, id eſt, ſordidos cogitatus ſtatim interficiendo Chriſti gratia.

Proſp. li. 2. de voc. gent. cap. 1. In pſal. 64. Matth. 2. Cypr. de ſtella & Magis. Exod. 1. Aug. in pſ. 130. Iac. 4.

Secundò ſententia illa poteſt referri ad ſolos bonos,

nos, in quibus velut in templo ſuo habitat Spiritus Sanctus, ne illum in ſe habitantem extinguant, ut ſit exhortatio ad perſeverantiam. Sic dicit A-

Epheſ. 4. poſtolus; *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum*, id eſt,

De Gen. ad lit. li. 4. c. 5. homines bonos, in quibus ille habitat, ut Aug. Contriſtantur autem pravis moribus & erroribus hominum, & illa triſtitia à Spiritu Sancto eſt, qua dolent offendi Deum, animas perdi, proximos ſcandalizari. Sed poteſtne Spiritus S. qui Deus

Cont. parmen. libr. 2. cap. 13. eſt, extingui? *Quantum in vobis eſt*, ait Aug. *nolite ſic agere, tanquam conemini Spiritum extinguere, aut tanquam Spiritum extinctum deputetis.*

Deinde extinguitur Spiritus in donis ſuis, quando boni iis ſe privant, relabentes in priſtina vitia, animas & corpora pravis deſideriis & operibus contaminando. Sic extinguunt Spiritum in ſe, ne

Sap. 1. ibi amplius ſit, quia illum à ſe fugant. *Spiritus enim diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogita-*

Hebr. 10. *tionibus quæ ſunt ſine intellectu.* Et ad Hebr. dicit Apoſtol. eos qui relabuntur, *filium Dei conculcare, & ſpiritui gratiæ contumeliam facere*, tam bonum ac

Vide S. Hier. lib. 2. in Jovinia. ſuavem hoſpitem turpiter ejiciendo. *Quomodo enim dies & nox miſceri nequeunt, ſic nec juſtitia & iniquitas, peccatum & bona opera, Spiritus S. & Diabolus. Si Spiritum S. ſuſceperimus in hoſpitio noſtri pectoris, ilico fugamus Diabolum. Si peccaverimus, & per peccati januam ingreſſus fuerit Diabolus, protinus Spiritus S. recedit.*

Poſterior ſententia Pauli eſt; *Prophetias nolite ſpernere.* Prophetæ non ſolum futura prædicebant, ſed & populum docebant. Prophetæ ergo Doctores ſunt; prophetia, doctrina. Nolite contemnere doctrinam Dei, quæ ex Scripturis & Tradi-

tione

Digitized by Google

tione veterum vobis profertur & proponitur. *Dogmata enim quæ in Eccleſia ſervantur ac prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita,* ait D. Baſil. *quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in occulto tradita recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec quiſquam his contradicit.* De Spir. S. cap. 27.

Hinc ipſe Apoſt. *Tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram. Unde perſpicuum eſt*, inquit S. Chryſoſt. *quod non omnia tradiderunt per epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea quoque ſunt fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. Eſt Traditio? nihil quæras amplius.* In 2. Theſ. 2. homil. 4.

Et idem Baſil. ſic explicans eundem locum, ait; *Apoſtolicum autem arbitror eſſe, etiam in non ſcriptis traditionibus perſeverare. Laudo enim vos, inquit ad Theſſalon. quod omnia mea meminiſtis, & quemadmodum tradidi vobis traditiones, continetis.* Et, *Apoſtoli & patres in occulto ſilentióque myſteriis ſuam ſervavere dignitatem. Nam quæ nec intueri fas eſt niſi initiatis, qui conveniebat horum doctrinam circumferri ſcripto?* Et Epiphan. *Oportet & traditione uti, non enim omnia à Divina Scriptura accipi poſſunt; quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dixit S. Apoſtol. Sicut tradidi vobis. Et alibi, Sic doceo, ſic tradidi Eccleſiis, ſi continetis, niſi fruſtra crediditis.* Et iterum; *Laudo vos, quod ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis,* &c. Sed quando vel quomodo hæc illis tradidit? certè iis ipſis temporibus cum apud illos eſſet, nec per Scripturam, ſed per ſermonem monens illos, & ad fidem inſtituens. Quæ igitur non Scriptura, ſed ſermone tantum ſervanda eſſe

De Spir. S. c. 29. Vide Dionyſ. in fine Eccl. Hierar. Aug. li. 4. cont. Donatiſt. cap. 24. Hæreſ. 61. 1. Corin. 11. 1. Cor. 16.

com

commonuiſſet, Traditiones nominavit; quæ etiam quod fideliter ſincereque cuſtodienda eſſent, Depoſitum appellavit, dicens; ô Timothee, *Depoſitum cuſtodi*. Ac iterũ; *Bonum depoſitum cuſtodi*. Apoſtolicum depoſitum eſſe Traditiones, Irenæus tradit.

1.Tim.6. 2.Tim.1. Lib.3.c.3.

Cæterum non tantum aliqua ſic ſuis ſermone tradidiſſe, ſed & alia ſe ſermone traditurum, ſic ait; *Cætera cùm venero, diſponam. Unde intelligi datur*, inquit D. Aug. *quia multum erat, ut in epiſtola totum illum agendi modum inſinuaret, quem univerſa per orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur*. Ut in hoc ſacrificio vinum aqua mixtum offeratur; ut item à jejenis offeratur, & ſumatur; offerendum eſſe pro vivis ac defunctis; in azymis potius quam in fermento eſſe conficiendam Euchariſtiam. Item, quæ probatio præmittenda ante ſumptionem, videlicet, accurata peccatorum confeſſio.

Epiſt.118. cap.6. Cypr.lib.2. epiſt. 3. Aug. epiſt. 118.cap.6. Vide p.1. Mon.57.

Sic Tertul. referens Traditiones, quibus in illud uſque tempus uſa fuerat Eccleſia; *Quomodo*, inquit, *uſurpari quid poteſt, ſi traditum non eſt? Etiã in Traditionis obtẽtu, inquis, exigenda eſt authoritas ſcripta. Ergo quæramus an & Traditio non ſcripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum, quas ſine ullius Scripturæ inſtrumentis, ſolius traditionis titulo exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Ut à baptiſmate exordiar. Aquam adituri ibidem, ſed & aliquantò prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde ſuſcepti mellis ac lactis concordiam prægustamus.*

De Coro. militis c.3.

Exque

Exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus.

Euchariſtiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præſidentis ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus. Calicis aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur. (Quod ex iis Euchariſtia conficeretur.) *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad luminaria, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus. Harum & aliarum ejuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies; Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Ita Tertullian. Tert. ibid. Hiero. in epiſt. ad Euſtoch.

Ex his accidit, ut Chriſtiana religio ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ jure duplici regeretur; nimirum, ſcripto, & ſine ſcripto; legibus videlicet, & conſuetudine. Quod cuique bene inſtitutæ Reipubl. commune fuit. Lacedæmones enim, Athenienſes, Romanos, & alios ad bene adminiſtrandam Rempubl. tum ſcriptis, tum non ſcriptis legibus, & iis quæ majorum conſenſione probatæ, ac communi uſu receptæ eſſent, uſos eſſe, perſpicuum eſt omnibus. De Iure enim Romanorum cum agit Ulpianus I. C. *Hoc*, inquit, *Ius noſtrum conſtat aut ex ſcripto, aut ſine ſcripto.* Sed & Hebræos non tantum legibus divinitus inſtitutis, ſed & traditionibus vixiſſe, perſpicuum eſt. Leg. 6. ff. de Iuſt. lib. 6.

Sed

Sed non omnium Traditionum & conſuetudinum eadem eſt ratio. Illæ enim ſententia Domini improbatæ ſunt Traditiones, quæ adverſus Divinæ legis militabant inſtituta, de quibus Eſai. & Evangeliſtæ. Item Paulus, & Petrus. Quando verò Iudæi hujuſmodi vanas Traditiones ſubinduxerint, habet Epiphan. Quæ autem piæ erant & ſanctæ, Domini ſunt ore laudatæ, & in exemplum adductæ, ut conſtat de Rechabitis, qui quantam ea de re, quod parentum traditioni obedierint, apud Dominum gratiam promeruiſſent, declarat Ieremias. Conſtat ergo multa eſſe ab Apoſtolis tradita; non ſcripta, quæ quidē haud putanda ſunt penitus excidiſſe, ſed miniſtrata ab illis (quod ait Paul.) *Non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus ſcripta eſſe.*

Eſai. 29. Matth. 15. Marc. 7. Coloſ. 2. 1. Pet. 1. Hæreſ. 42. Vide Hier. in Eſai. c. 8. & ep. 51. q. 10. Ierem. 35. 2. Cor. 3.

Imò ſi ipſam petamus rerum originem, planè inveniemus Chriſtianam religionem primum omnium traditionibus inſtitutam, inde verò ſcriptis eſſe formatam. Nam & Tertullian. *Certè,* inquit, *prior anima, quam litera; & prior ſermo, quàm liber; & prior ſenſus, quam ſtylus.* Antequam enim Matthæus primus omnium ſcriberet Evangelium, quod non contigit ante annum Domini. 41. non alio modo quam traditionibus Evangelica prædicatio infundebatur in corda credentium. At primum quoque fidei Symbolum Apoſtolorum, nequaquam ab Apoſtolis reperitur ſcriptis eſſe mandatum; ſed his qui crederent, ore traditum. Rejicere ergo illud debent, qui negant in Eccleſia quicquam recipiendum, non ab Apoſtolis ſcriptum. *Et quid ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis,* inquit Iren. *nonnè oportebat ordinem ſequi*

Lib. de teſt. animæ, c. 5. Hier. ad Pammach. Ambroſ. epiſt. 81. Leo epiſt. 13. ad Pulcher. Lib. 3. c. 4.

Digitized by Google

ſequi Traditionis, quem tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias?

Fuit ſententia iſta Arrianorum peculiaris, ex quibus Maximus ita apud Aug. *Si quid de divinis Scripturis protuleris quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt, ut audiamus: hæ verò voces quæ extra Scripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur.* Qui non ſolum Symbolum Apoſtolicum, ſed & ipſa Apoſtolica ſcripta rejicere cogentur, niſi prius Traditionibus inhæreant. Nam unde acceperunt hæc illa ipſa eſſe, quæ ab Apoſtolis & Evangeliſtis ſunt ſcripta, & non potius illorum nomina doloſè ſuppoſita, niſi auctoritate Eccleſiæ, quæ ſancito tandem Canone, quænam illa eſſent, & à quibus ſcripta, in Nicæno Conc. promulgavit. Cur enim non & Evangelium Nicodemi, & Petro inſcriptum recipitur, ſicut Evangelium Lucæ & Marci: niſi quia ipſa Eccleſia, ante omnem novi Teſtamenti ſcripturam, Spiritu intus docente, diſcernere novit ſpiritus an ex Deo ſint?

Cont. Max. in principio.

Canonem citat Hier. in præfat. in Iudith.

Unde hac ratione Aug. *Ego Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ cõmoveret authoritas.* Et iterum; *Infirmata Catholicorum authoritate, jam nec Evangelio credere potero, quia per eos illi credideram.* Non quod majoris ſit authoritatis verbum Dei loquentis per Eccleſiam, quàm verbum Dei poſitum in Scriptura; ſed quod per Eccleſiam cognoſcatur, quæ Scriptura verbum Dei contineat. Qui & alibi; *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Et alibi; *Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodiuntur, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur,*

Cont. epiſt. Fundam. cap. 5.

De bapt. contr. Donat. lib. 4. c. ult. & lib. 2. c. 7.

Epiſt. 118.

Vide Mon. ſeq. ex Aug cont. Creſcon. *datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri.*

MONITUM XXX.

Omnia probate, quod bonum eſt tenete.

1. Theſſal. 5.

NOn ſtatim pro Dei doctrina recipiendum, quod pro ea nobis obtruditur. Miniſtri enim Sathanæ transfigurant ſe in Angelos lucis. *Nolite itaque omni ſpiritui credere*, inquit S. Joannes, *ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*, id eſt, nolite credere omni doctrinæ, quæ ſe jactat traditam à Spiritu S. ſive, nolite cuivis credere, qui doctrinam ſuam jactitat eſſe à Spiritu S. eſſe verbum Dei, Evangelium; ſed diſcernite doctrinas, tentate doctores, an verè ſit ex Deo eorum doctrina. Hoc & in præceptis morum locum habet, & in doctrina fidei. Quoad hanc, ut illa rectè agnoſcatur, hæc ſit communis omnium regula. In Eccleſia Catholica, quæ omnium locorum & temporum eſt, *adverſus quam inferorum portæ non prævalebunt, apud quam manet Chriſtus uſque ad conſummationem ſeculi*, cognoſcitur & traditur vera doctrina: unde ab Apoſtolo vocatur, *columna & firmamentum veritatis*; ſedes unde veritas petenda eſt, ad quam pro diſcenda Dei doctrina confluxuras omnes gentes prædixit Iſaias.

2. Cor. 11. 1. Joan. 4. Matth. 16. Matth. 28. Iſai. 2.

Cognita ergo Dei doctrina in ejus Eccleſia, ex diverſitate doctrinæ poteſt noſci falſus doctor, quem

quemadmodum Paulus ait; *Si quis vobis Evangelizaverit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Et Joannes; *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, eſt Antichriſtus.* Et Dominus in Evangelio; *A fructibus eorum, id eſt, doctrina, cognoſcetis eos.* Sic Propheta David dicit, quod *protegat ſuos Deus in tabernaculo ſuo,* id eſt, Eccleſia militante, *à contradictione linguarum.* In quem locum D. Aug. *Contradicunt linguæ multæ, diverſæ hæreſes, diverſa ſchiſmata perſonant, linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum Dei, Eccleſiam Catholicam tene, à regula veritatis noli diſcedere, & protegeris in tabernaculo Domini à contradictione linguarum. Quia nec vos Donatiſtæ,* (inquit idem Auguſtin.) *poteſtis proferre de Scripturis, ab hæreticis venientem denuo baptizatum; nec nos ita ſuſceptum; quantum ad hanc rem attinet, par nobis cauſa eſt. Sequimur ſanè nos in hac re etiam Canonicarum authoritatem Scripturarum, cum hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat authoritas; ut quoniam Sancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonſtrat.*

Galat. 1. Ioan. ep. 2. Matth. 7. Pſal. 30. In pſal. 30. conc. 3. Lib. 1. cont. Creſcon. c. 31. 32. 33.

Sic etiam in præceptis morum obedientia ſine mora admodum commendatur; non tamen debet eſſe talis ac tam cæca, ut non liceat dijudicare, quale ſit quod jubetur; ſed quia promptè faciendum eſt, quod jubetur, ubi nihil apparet Divinis contrarium inſtitutis. Unde illud reprehendit D. Bern. ad Adamum Monachum; *Non attendere quale ſit quod præcipitur; hoc ſatis eſſe, quod præ-*

Epiſt. 7. ad Adamum.

cipiatur. Cùm enim ille hanc interpretaretur eſſe
1. Theſſ. 5. obedientiam ſine mora, reſpondit ei Bern. *Si ſic eſſe oporteat, ſine cauſa legi in Eccleſia, Omnia probate, & quod bonum eſt, tenete: deleri quoque de libro Evangelij illud oportere; Eſtote prudentes ſicut ſerpen-*
Matth. 10. *tes, cum alterum ſufficiat quod additur, Et ſimplices ſicut columbæ. Nec dico, inquit, à ſubditis mandata Præpoſitorum eſſe dijudicanda, ubi nihil juberi deprehenditur divinis contrarium inſtitutis; ſed neceſſariam aſſero & prudentiam, qua advertatur, ſi quid adverſetur; & libertatem, qua & ingenuè contemnatur. Cæterum iſte nihil, inquit, habeo interrogare: viderit ille quid juſſerit. Dic, quæſo, ſi dato in manus gladio, ſuum te armari juſſiſſet in jugulum, acquieviſſes? aut ſi te tuo voluiſſet impulſu in ignem, vel in aquam præcipitem dari, obtemperaſſes? Nonne etiam ab his non prohibere, cum poſſis, in crimen tibi reputatur homicidij*, &c.

1. Theſſ. 5. Sed quomodo jubent Paulus & Joannes Chri-
1. Ioann. 4. ſtianis omnibus omnia probare, cum ipſe Apo-
1. Cor. 12. ſtolus dicat diſcretionem Spirituũ peculiare quorundam eſſe donum, & à Deo non omnibus donatum? Reſpond. quod omnes Chriſtiani probent ſpiritus, an ex Deo ſint, dum illis credunt, qui ſpirituum diſcretionem habent. Unicuique enim dantur dona Spiritus S. ad utilitatem totius Eccleſiæ: ſic oculus corporalis, ſolus quidem, ſed non ſoli ſibi videt. Quemadmodum igitur dum alia membra ductum oculorum ſequuntur, quodammodo etiam ipſa per oculum vident; ita dum Eccleſia Chriſtiana eos audit, qui veram doctrinam noverunt, & diſcretionem ſpirituum habent, etiam ipſa Spiritus diſcernere dicitur.
Eccleſ. 6. Quod jubemur apud Sapientem; *Fili ſi attenderis*

ris mihi, diſces; & ſi accommodaveris animum, ſapiens eris. In multitudine presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere, ut omnem narrationem Dei poſſis audire, & proverbia laudis non effugiant à te. Et ſi videris ſenſatum, evigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.

Ut autem credat quiſpiam his qui Spirituum diſcretionem habent, id fiet, ſi in præceptis Dei, & in his quæ ſuæ ſunt vocationis, diligenter ſe exerceat, ſi gradum ſuum in Eccleſia agnoſcat, & quæ ad nobiliora membra pertinent, ſibi non arroget. Protector eſt enim Deus omnium humilium, ne à ſeductoribus decipiantur. Unde poſt illa verba ſubdit Sapiens; *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis eius maximè aſſiduus eſto, & ipſe dabit tibi cor, & concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi.*

Pſalm. 17. Eccleſia. 2.

Eccleſ. 6.

Sed nónne Joannes Chriſtianis dicit, *Non neceſſe habetis ut aliquis vos doceat: Unctio enim eius docet vos de omnibus?* Notandum eſt, quod aliter doctrina indiget, vel imperitus cui deeſt doctor, vel ad falſam doctrinam ſeductus; aliter qui veritatem jam novit, & doctorem ad manum habet: illi enim ad hoc doctore opus habent, ut illuſtrentur; hic in hoc tantùm, ut vera in eo doctrina conſervetur. De priori neceſſitate agit Joannes; noverat enim datos illis à Spiritu Sancto doctores, à quibus ſinceram & orthodoxam Religionis doctrinam edocebantur: non de ſecunda; adhuc enim indigebant ejus diſcipuli exhortationibus, ut in Sancta doctrina permanerent. Omnia ergo iſti per Spiritum S. norant, quia ex gratia fit Spiritus San. ut inter Chriſtianos quidam ſint

1. Ioan. 2.

Vide Heſſ. in Canon. Ioan.

qui alios doceant, rurſus ut alij per hos doctores diſcant atque proficiant.

Matth. 5. Unde ait Dominus in Evang. ex lucerna videri non ſolum eum qui lucernam accendit, & ponit ſuper candelabrum, ſed & omnes qui in domo ſunt, ut rectè eis dicere liceat; Vos lucernam habetis, & per eam quæ videnda ſunt conſpicitis.

Epheſ. 4. Et Apoſtolus; *Ipſe*, ait, *dedit quoſdam Paſtores & doctores, ut jam non ſimus parvuli, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Et iterum: *Alij datur per Spiritum S. ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum. Si amas unitatem,* inquit Aug. *etiam tibi habet, quiſquis in illa aliquid habet. Tolle invidiam, & tuum eſt, quod habeo; tollam invidiam, & meum eſt, quod habes. Livor ſeparat, charitas jungit.* Oculus ſolus videt in corpore, ſed nunquid ſibi ſoli videt? & manui videt, & pedi videt, & cæteris membris videt. Non enim ſi aliquis ictus in pedem veniat, avertit ſe oculus inde, ut non præcaveat.

1. Cor. 12.

Tract. 32. in Ioan.

Vide Petrũ à Soto cõt. Brent. Stultus fuit error Brentij, qui ex hoc loco, ſimilibúſque ſtatuit, omnes omninò Chriſtianos debere ſibi de qualibet doctrina judicium arrogare, & ſalvari non poſſe eos, qui in rebus fidei ſuperiorum ac doctorum ſequuntur judicium. Similis error eſt Vvittakeri Angli: qui, Unuſquiſque, inquit, ſibi judex eſſe debet, & ſuo judicio, non planè privato quidem, ſed divinitus inſpirato ſtare. Et rationem reddens, ait, Concilia, Patres, Papæ homines ſunt, & Scriptura teſtatur omnem hominem eſſe mendacem; quomodo ergo illorum ſententiæ acquieſcam? Quod dogma omnibus hæreſibus aditum aperit, neque tam eſt hæreſis, quam hæreſum omnium janua. Veriſſimè

Vide apol. Bellar. cõt. Reg. Angl.

ſimè enim S. Cyprianus ſcripſit, hinc *hæreſes ortas eſſe, quod unus in Eccleſia Dei ad tempus ſacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti non cogitatur.* Quomodo enim hæreſes impediri poſſunt, ne naſcantur; vel jam natæ, reſecari, ne propagentur; ubi tot ſunt magiſtri, quot ſunt diſcipuli; tot Judices, quot litigatores? Neque ſolùm ex hoc dogmate naſcuntur hæreſes multæ, ſed perit omninò ipſa fidei certitudo, cùm nemo ſibi polliceri poſſit, ſe verum ſpiritum Dei habere. Cyp. lib. 1. cap. 3.

Scriptura de Eccleſia ipſa teſtatur, quod ſit *columna & firmamentum veritatis.* Patres in Concilio legitimo congregati, verè & tutò dicunt, *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Apoſtolorum principi dictum eſt; *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Et quoniam privilegium hoc datum eſt Petro primo ſummo Paſtori propter Eccleſiam, non temerè à fidelibus creditur, ad ſucceſſores Petri quoque pertinere. De privatis hominibus nihil hujuſmodi legitur: ſed utriuſque teſtamenti tabulæ in rebus dubiis ad Sacerdotis ſummi judicium nos remittunt, neminem ad proprium. Et cur Dominus Petro paſcendas oves commiſit, niſi ut oves rationales paſcua doctrinæ, non à ſe ipſæ, ſed ab ipſo acciperent? Et cur Deus poſuit in Eccleſia ſua Paſtores & doctores, ſi unuſquiſque ſibi paſtor & doctor eſſe debeat? 1. Tim. 3. Actor. 15. Luc. 22. Deut. 17. Malach. 2. Matth. 23. Matth. 18. Ioan. ult. Epheſ. 4.

Apoſtoli & Prophetæ etiam homines fuerunt; & tamen eis tutò creditur, quoniam non erat mendax Spiritus, qui loquebatur in eis. Sic Concilia legitimè congregata, Patres unanimi conſenſu prædicantes, Papa in cathedra Petri ſedens

& docens, homines ſunt, & ex naturæ humanæ fragilitate mendaces; ſed non eſt mendax Spiritus Sanctus, qui per eiuſmodi homines Eccleſiam docet: Particulares homines non tantum ex ſe mendaces ſunt, ſed neque illam promiſſionem habent, quod Spiritus Sanctus eis aſſiſtat. Ergo ſequenda eſt admonitio Sancti Irenæi, qui contra hæreſes ſcribens; *Eis*, inquit, *qui in Eccleſia ſunt presbyteris obaudire oportet, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopali ſucceſſione, chariſma veritatis certum, ſecundum placitum patris acceperunt. Reliquos verò qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes & elatos, & ſibi placentes, aut rurſus, ut hypocritas, quæſtus gratiâ & vanæ gloriæ hoc operantes; qui omnes decidunt à veritate.* Sic Sanctus Irenæus.

Lib. 4. cap. 42.

MONITUM XXXI.

In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros.

2. Cor. 6.

VAria enumerat Apoſtolus, in quibus noſipſos ſicut Dei miniſtros exhibere debemus. Primò, inquit, *In multa patientia.* Is enim qui ad ſervitutem Dei accedit, præmonetur à Sapiente, ut *animam ſuam præparet ad tentationem.* Et

Eccl. 2.

2. Tim. 2.

Et Apoſtolus ait, *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutiones patientur.* Patientia ergo eis neceſſaria eſt,ut voluntatem Dei facientes,reportent promiſſionem.Et dicit in multa patientia, quia multa ac varia in hac vita accidunt adverſa. *Quis ſanctorum ſine certamine coronatus eſt? quare,& invenies ſingulos adverſa perpeſſos*,inq. Hier.ad Euſtoch.*Solus in delitiis Salomon fuit, & forſitan ideo corruit.Quem enim diligit Dominus,corrigit:Caſtigat autem omnem filium quẽ recipit.*Et Chryſ.*Nihil habet hæc vita,niſi lachrymas,& opprobria, & convitia, & triſtitias,& negligentias, & labores, & morbos,& ſenectutem, & peccata, & mortem.* Una recedente tribulatione,ſuccedit alia : imò priore adhuc durante,ſuperveniunt plures ; & qui unam conantur effugere,frequenter incidunt in graviorem. Hebr.10. Ita ille homil.22.ad pop.

Crux ergo ſemper parata eſt,ait Kemp. *& ubique te expectat : aut enim in corpore dolorem ſenties,aut in anima ſpiritus tribulationem : Interdum à Deo relinquêris,interdum à proximo exercitaberis,ſæpè tibimet ipſi gravis eris;nec tamen aliquo remedio vel ſolatio liberari ſeu allevari poteris,ſed donec Deus voluerit,oportet quod ſuſtineas.*Unde Dominus; *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Et Paulus; *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et rurſum Dominus ; *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum,& tollat crucem ſuam quotidie , & ſequatur me. Non ſolum nocentibus delectationibus, quales ſunt in luxuriis, vinolentiis,&c. Sed & velut innocentibus, ut ſunt in domo ſua, familia , filiis, uxore, horto , &c. miſcet amaritudines Deus,volens nos amorem non habere,niſi vitæ æternæ,* inquit Sanct. Auguſt. Dicit etiam D.Chryſ.quod Li.1.c.ult. de Imit. Chriſti. Luc. 21. Actor.14. Luc.9. In pſal.40. Ser.10.in epiſt. ad Rom.

in

Veni, inquit Ioan. *ut nimirum*, ait D. Greg. *cui ſe vox interna inſinuat, illuc etiam clamando, alios, quò ipſe rapitur, trahat.* Apoc. ult. In Paſt. p. 3. adm. 26.

Tertiò, Deo ſerviendum monet Apoſt. *in vigiliis.* Matth. 26. Ad vigilandum hortatur Dominus; *Vigilate & orate.* Et ejus Apoſtolus; *Sobrii eſtote, & vigilate. Uſquequò piger dormies*, clamat Sapiens: *quando conſurges de ſomno tuo?* Monet etiam Hymnus Quadrag. *Vtamur ergo parcius verbis, cibis, & potibus, ſomno, jocis*, &c. *Conſuetudinem meam noſti*, ait Hier. de ſeipſo, *breviſſimo ſomno utor.* Ad eundem hortatur Ruſticum, *Laſſus ad ſtratum venias, ambulanſque dormites, & necdum expleto ſomno, ſurgere compellaris.* In ſcholis ex Catone diſcunt pueri; 1. Pet. 5. Epiſt. 87. Ad Ruſtic.

Plus vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto;
Nam diuturna quies vitiis alimenta miniſtrat.

Unde monet Pythagoras; *Imperare aſſueſce te his, ventri quidem primum, & ſomno, libidinique, & iræ.* Et ſententiam Socratis de ſomno refert Plato, *Somnus multus nec corporibus, nec animis, nec rebus gerendis natura conducit. Nemo quidem cum dormit, alicujus pretii eſt, non magis quam ſi non viveret. Quare, quicunque vivere & ſapere cupit maximè, quam longiſſimo tempore vigilet, ſola ſalutis commoditate ſervata.* Unde & Plautus, *Qui dormiunt libenter, ſine lucro, & cum damno quieſcunt. Ac nihil temporis ita perit de vita noſtra, quam quod ſomno deputatur*, ait Bernard. Li. 7. de leg. In Rudéte.

Quomodo autem ſomno utendum ſit, oſtendit D. Ambr. in hymno cujus etiam S. Aug. meminit in Confeſſ. *Deus creator omnium, rectorque poli, Diē veſtiens decoro lumine, noctem ſoporis gratia; Artus ſolutos ut quies reddat laboris uſui, Menteſque feſ-* Li. 9. Conf. cap. 12.

ſas

ſas allevet, luctuſque ſolvat anxios. Et rectè monet D.Bernard. *Cave, ſerve Dei, quantum potes, ne totus quandoque dormias; ne ſit ſomnus tuus, non quies laſſi, ſed ſepultura corporis ſuffocati; non reparatio, ſed ſpiritus extinctio. Iturus ergo in ſomnum, aliquid tecum defer in memoria, & cogitatione, in quo placidè obdormias, quod etiam ſomniare juvet; ſic tibi nox ut dies illuminabitur.* De D. Virgine dicit Ambroſ. *Dormire non prius cupiditas quam neceſſitas fuit; & tamen cùm quieſceret corpus, vigilabat animus, qui ſæpè inſomnis aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut futura prænuntiat.* Saluſtius inter corruptos urbis mores recenſet: *Dormire prius quàm ſomni cupido eſſet, non famem, non ſitim operiri, ſed ea omnia luxu antecapere.*

Ad fratres de Monte. Pſal.138. Lib.2.de virg. In Catil.

Antiqui Chriſtiani, etiam Gentilibus teſtibus, Chriſto Deo antelucanos hymnos canebant. De antelucanis cœtibus Chriſtianorum etiam Tertull. meminit. Ipſe Chriſtus non ſemel in oratione pernoctavit. *Ubi quid aliud, quam nobis præbebat exemplum?* inquit Auguſt.

Euſeb.li.3. c.32.hiſt. De corona Milit.ca.3. epiſt.121.

Infelix tota quicunque quieſcere nocte
Suſtinet, & ſomnos præmia magna vocat.

Ovid.li.2. Amor.

Dolere ſe aiebat Demoſthenes, ſi quando antelucana opificum victus eſſet induſtria. Unde & ejus Orationes lucernam olere dicebantur. *Et ni*

Apud Ciceronem.

Poſcas ante diem librum cum lumine, ſi non
Intendas animum ſtudiis & rebus honeſtis,
Invidia vel amore vigil torqueberis. Pius 2. Pontifex de die vacans muneribus Pontificiis, nocte ſomno aliquot horas adimebat jam ſenex, quas literis hilarioribus dabat, ut ipſemet teſtatur in præfatione deſcriptionis Aſiæ. *Nocturni*, inquit, *ſunt*

Horat.in epiſt.

ſunt hi labores: Nam quæ ſomno debebantur horarum maximam partem, ſcribendo conſumpſimus. Noſtrum ſenium ſua quiete privavimus. Ipſe Theodoſius Imperator noctu lectioni ſacræ operam dabat, lucerna ſe ſua ſponte accendente, & oleum affundente, miro artificio, ut refert Niceph. Vult etiam Apoſt. nos miniſterium exhibere Deo *in jejuniis.* Eſt ergo jejunium cultus Deo gratus. Unde & Anna vidua dicitur *ſerviiſſe Deo ieiuniis & orationibus.* Et vult Apoſt. ut *exhibeamus corpora noſtra Deo hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem,* &c. *Quod fit,* ait Aug. *cùm illud per temperantiam & abſtinentiam caſtigamus, ut membra noſtra fiant arma Iuſtitiæ Deo, non arma iniquitatis peccato.* Et ipſe Dominus promittit mercedem legitimè jejunanti; *Pater tuus,* inquit, *qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

Li. 14. c.3. Luc.2. Roman.12. De Civit. lib.10. c.5. & 6. Matth. 5.

Laudes jejunii habent D. Baſilius, D. Hieron. & D. Ambroſius, qui ita de jeiunio: *Ieiunium vita eſt angelorum, culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum caſtitatis, hoc ad Deum gradu citiùs pervenitur.* Et dicit Hier. *quod abſtinentia, non ſoli caſtitati, ſed virtutibus omnibus opitulatur; hinc Paulus caſtigat corpus ſuum, ut caſtigatione corporis erudiatur animus, quantóque nil ex voluptatibus concupiſcat, tanto magis poſſit cogitare de virtutibus.* Et D. Leo: *Quid poteſt eſſe efficacius ieiunio? cuius obſervantia appropinquamus Deo, & reſiſtentes diabolo, vitia blanda ſuperamus. Semper virtuti cibus, ieiunium fuit. De abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiſcētiis moritur, virtutibus ſpiritus innovatur.* Sic Leo.

Hom. 1. & 2. de jejunio, libr. 2. in Jovinia. De Helia & jejunio cap. 3. In epiſt. ad Celant. 1. Cor. 9. Leo ſer. 2. de jeju. 10. menſ.

Et ut paucis dicam, valent ieiunia ad edomandum

Vide part. 3. Con. 20

Digitized by Google

dum corpus; valent ad placandum Deum, ejuſque flagella avertenda; valent ad intentè, liberiuſque orandum & laudandum Deum; valent denique ad quamlibet rem à Deo impetrandam, uti ex ſcripturis eſt clariſſimum. *Exercenda autem monet* Aug. *in quantum ſine læſione valetudinis fieri poſſunt*; ne nocumentum adferant, & majora bona impediant. Et S. Hier. *Tantum tibi jejuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, caſta, ſimplicia, moderata, & non ſuperſtitioſa jejunia.*

Epiſt. 70. ad Bonifac.

Ad Nepotian.

Addit Apoſtolus: *In caſtitate*, quæ ubique & in omnibus ſervanda. In animo, ne cogitationibus & deſideriis inhoneſtis conſentiamus, oblectemur, immoremur. In verbis, unde Apoſt. *Deponite turpem ſermonem de ore veſtro*. Imò *omnis immunditia nec nominetur in vobis*. *Paſcitur libido conviviis*, ait Ambroſ. *majora ſunt in his fomenta verborum*. Ingerunt enim animis audientium cogitationes amatorias & impudicas. Cum neceſſe ſit ut cum verbis, ſimul etiam res in animum veniant: neque enim ea dirimere poſſumus. Denique in actibus & moribus, quos in Chriſtianis decet eſſe caſtiſſimos & honeſtiſſimos; tum propter Deum, *quem ſummopere revereri debemus, ubicumque fuerimus, & tanquam Angeli in conſpectu ejus mundi incedere*; tum propter Angelos, qui omnibus quæ ubique fiunt, adſunt; & iis quæ malè, ſeu inhoneſtè geruntur, offenduntur.

Coloſ. 3. Epheſ. 5.

Lib. 1. c. 14. de pœnit.

Tho. Kép. lib. 1. c. 19. de Imit. Baſ. de vera virg.

Omnibus dicit Apoſtol. *Fugite fornicationem*; quod fit, dum ab ea animo abhorremus, ejuſque pericula & occaſiones declinamus. Quanta debet eſſe corporis caſtitas, & animi puritas in Sacerdotibus, qui illud Divinum & cœleſte myſterium cele

1. Cor. 11. 1. Corin. 6. Amb. in orat. ante Miſſ.

Digitized by Google

celebrant, *ubi caro Chriſti in veritate ſumitur, ubi ſanguis ejus in veritate bibitur? Vide quid agas ſacerdos, ne fœtenti manu corpus Chriſti attingas; prius mundare, ut poſſis miniſtrare.* Epictetus Philoſophus adoleſcentes monens; *Circa venerea*, inquit, *pro virili ante conjugium, caſtum purumque eſſe oportet.* Et Plato; *Nemo audeat illam attingere, præter legitimam ſuam uxorem.* Amb. lib. 1. de viduis. Aliàs febrienti. Epict. c. 27 Plato li. 7. de Legibus 1. Theſſ. 4.

Conjugatos verò monet Apoſt. *Sciat unuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes quæ ignorant Deum.* Et rurſum; *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus.* Pauca dicit, multa intelligit. Hos ita quoque Aug. hortatur: *Nihil in lecto turpiter agas, nec excedas ultra conceſſam libidinem in lege Dei: ſit caſtus cum conjuge torus; & ſi eſt cura propagandi liberos, non ſit effrenata luxuries libidinum. Defer in lecto tuo conjugi tuæ honorem, quia membra Chriſti eſtis ambo, ambo ab illo conditi, ambo ſanguine ipſius reparati.* Qualis debeat eſſe virginum caſtitas, declarat D. Hier. dicens: *Illa virginitas hoſtia Chriſti eſt, cujus nec mentem cogitatio, nec carnem libido commaculat.* Hoc à Deo petebat virgo Cæcilia, orans; *Fiat cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Heb. 13. In Pſa. 146. Lib. 1. in Jovinia. Pſal. 118.

Sequitur in Paulo, *In ſcientia.* Ignorantia non eſt innocentia, & multi per ignorantiam peccant, & de rebus malè judicant. Unde in veteri teſtamento ſacrificium offerebatur pro ignorantiis; & orat Dominum Propheta; *Ignorantias meas ne memineris.* Multa autem ſunt, quæ ſcire parum vel nihil animæ proſunt. Et valdè inſipiens eſt, qui aliis intendit, quam iis quæ ſaluti ſuæ deſerviunt. Agitur Levit. 4. Pſalm. 24. Tho. Kép. lib. 1. ca. 2. de Imit. Chriſti.

Digitized by Google

tur autem hic de ſcientia rerum Divinarum, ſive de ſcientia ſalutis, de qua Zacharias in Cantico: *Ad dandam ſcientiam ſalutis.* Duplex ſcientia neceſſaria: Dei, qui eſt ſummum hominis bonum ad quod conditus eſt; & viæ, quæ ad illum ducit, quæ eſt Fides per charitatem operans.

Luc. 1.

Galat. 5.

Qui Chriſtum bene ſcit, ſatis eſt, ſi cætera neſcit. In illo habemus viam, in illo habemus patriam: *Ad illum per illum tendit, qui per ſemitam patientiæ & humilitatis eius incedit*, inquit S. Leo.

Serm. 16. de Paſſ.

Quiſque ergo ſtudeat ſibi comparare hanc ſcientiam, tum propter ſe, tum propter alios, ut & ſeipſum & alios ſalvos faciat. *Maximum ad iuſtitiam auxilium eſt*, ait Hieron. *implere Divinis eloquiis animum, & quod opere exequi cupias, ſemper corde meditari.* Et Paulus hortatur; *Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, ut ſciatis quomodo vos oporteat unicuique reſpondere.* Dicebat Sapiens, *Sapientiam ſine fictione didici, & ſine invidia communico.* Et Diaconus quidam, cùm à lege Dei prædicanda prohiberetur: *Impoſſibile*, inquit, *eſt, ut non communicem aliis lumen, quod ipſe percepi.* Refugiebat enim illud, quod & gentiles impium iudicabant: *Erranti nolle viam commonſtrare. Bibi aquam* (doctrinæ ſalutaris) *de ciſterna tua:* (Scripturarum, Patrum, &c.) ſtatim ſequitur: *Deriventur fontes tui foras. Sapientia enim abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?*

Ad Celant.

Coloſ. 3. 4.

Sap. 7.

Lib. 10. ca. 33. Hiſt. Trip.

Proverb. 5.

Eccleſ. 41.

MONITUM XXXII.

In longanimitate, in ſuavitate, &c.

2. Cor. 6.

SEquuntur adhuc aliæ virtutes, quibus Deo ſerviendum monet Apoſtol. *In longanimitate,* quæ eſt in ſuſtinendis malis præſentibus, & exſpectandis bonis futuris. Hic enim opus eſt patientia, quæ non frangitur, ad quam idem Apoſt. hortatur, *In diſciplina perſeverate.* Et, *Neque fatigeris cum ab eo argueris.* Talis fuit patientia Martyrum, de quibus canitur; Hebr. 13. In hymno Martyr.

Cæduntur gladiis more bidentium,
Non murmur reſonat, non querimonia;
Sed corde tacito mens bene conſcia
Conſervat patientiam.

Talis eſt patientia omnium electorum, in quorum perſona ait Apoſt. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Certus ſum, quod nulla creatura. *Steterũt torti tortoribus fortiores,* inquit Cypr. Et inimici Chriſtianorum pudore quodam fatigabantur, *quòd major ineſſet cruciatis quàm cruciantibus virtus,* ait Euſebius. Hinc etiam varia excogitabant & adhibebant eis tormenta, & tarda ad mortem ſupplicia, ut vel tandem cederent. D. Chryſoſt. rationem dans, cur Diabolus tot tantóſque contra Prophetam Iob cogitaverit labores; *Truculentiſſima beſtia,* inquit, *nunquam ſolet deſperare victoriam.* Rom. 8. Lib. 2. Epiſt. 6. Lib. 5. Hiſt. cap. 3. Hier. in vita Pauli. Homil. 34. in Matth. Hom. 34. in Matth.

Eſt & longanimitas in exſpectãdis bonis futuris. *Abraham longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem,* ait Apoſtol. Et iterum, *Si quod non vide-* Hebr. 6. Rom. 8. Abac. 1.

mus, ſperamus, per patientiam exſpectamus, & monet Propheta; *Si moram fecerit, exſpecta eum, qui veniens*
Pſal. 26. & *veniet, & non tardabit*. Et alius; *Viriliter age, & con-*
ibi Auguſt. *fortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Suſtine & tu Dominum*, ait Aug. *non ſuſtinebis mendacem, non eum qui poterit falli, non eum qui non inventurus eſt quod det; omnipotens promiſit, certus promiſit, verax*
Pſal. 36. & *promiſit*. Et rurſum; *Exſpecta Dominum, & cuſtodi*
ibi Auguſt. *viam ejus, & exaltabit te. Exſpecta*, inquit, *Dominum*. Sed quid interim facturus ſum? *Cuſtodi viam ejus*. Quod ſi hoc fecero, quid habiturus? *exaltabit te*. Quomodo? *ut hæreditate capias terram*, non morientium, in qua jam es; ſed viventium, in qua futurus es.

Subjungit Apoſt. *In ſuavitate*, quæ etiam erga hoſtes ſervari debet. Servanda autem eſt, in animo, verbis, moribus; niſi aliud ſuadeat charitas, *quæ aliquando blanditur, aliquando ſævit, ſemper ta-*
D. Bern. de *men mater eſt*, ait Bern. & ſicut amara potio datur
dilig. Deo. ad hominem ſanandum, ita amara correptio ad corrigendum. Tentat omnia charitas, & quos iſto modo nequit ſanare, tentat alio; *vultum mutat &*
Tract. 7. in *actum, ſed non affectum*. Sic & Aug. *Dilige, & quod*
Can. Ioan. *vis fac; ſive taceas, dilectione taceas; ſive clames, dilectione clames; ſive emendes, dilectione emendes; ſive parcas, dilectione parcas. Radix ſit intus dilectionis,*
2. Tim. 2. *non poteſt de iſta radice niſi bonum exire*. Ergo in ſuavitate, *Servum Dei non oportet litigare*, ait Apoſt.
Epheſ. 4. *ſed manſuetum eſſe ad omnes*. Et iterum, *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor tollatur à vobis cum omni malitia.*

Luc. 23. Quanta fuit Chriſti ſuavitas erga ſe crucifigentes! Stephani erga ſe lapidantes. Quanta ſua-

vitas

Digitized by Google

vitas in Joſeph erga fratres, tot malis ipſum affi- Actor. 7.
cientes? Quanta in Davide erga Saulem, toties vi- Geneſ. 45.
tæ illius inſidiantem? *In manſuetudine opera tua* 1. Reg. 24.
perfice, ait Sap. *& ſuper gloriam hominum diligêris*; 26.
& Apoſt. Iacob. *Quis ſapiens & diſciplinatus inter* 2. Reg. 1.
vos? Oſtêdat ex bona converſatione operationem ſuam Eccleſ. 3.
in manſuetudine ſapientiæ. Quod ſi zelum amarum ha- Iacob. 3.
betis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, non eſt iſta
ſapientia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis,
diabolica. Quæ autem de ſurſum eſt Sapientia, primùm
quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis,
bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bo-
nis, non judicans, ſine ſimulatione. Eſtote invicem be- Epheſ. 4.
nigni, ait Paulus, *miſericordes, donantes invicem,*
ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis.

Addit Apoſtolus, *In charitate non ficta.* Ficta eſt charitas, quando foris oſtenditur, & intus non habetur. *Dilectio ſine ſimulatione*, ait ad Roman. & Ioannes; *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.* Etiam ficta charitas eſt, quando quis alteri providet opes, honores, & alia terrena, quæ ſæpè hominibus multorum peccatorum & æternæ damnationis ſunt cauſa. Ille me verè diligit, qui juſtitiam mihi & ſalutem procurat. Ut in genere aliquid de charitate dicamus; Charitas eſt bona voluntas, qua quis bene afficitur erga Deum & proximum, volens Deo placere, proximo ſubvenire. De qua Apoſtol. *Omnia veſtra in charitate fiant*, id eſt, Studio placendi Deo, proximo ſubveniendi. *Non enim eſt fructus bonus*, inquit Auguſt. *qui de charitatis radice non ſurgit.* Et Greg. *Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis.* Ideóque Apoſt.

Rom. 12. Ioan. 3. 1. Cor. 6. De ſpir. & lit. cap. 14. Hom. 27. in Evang. Coloſ. 3.

Digitized by Google

poſtquam Coloſſenſes eſſet hortatus ad miſericordiam, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, & patientiam; addit, *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Vinculum, quo homines inter ſe & cum Deo
Roma. 13. uniuntur: Perfectionis verò, quia illa eſt quæ implet legem, in qua perfectio Chriſtiani conſiſtit, ſine qua nullum opus bonum, quantumvis præclarum videatur, prodeſt ad ſalutem; cum qua omne opus bonum, etſi exile in ſe, operatur ſalutem.

Galat. 5. Dicit Apoſt. *Fructus ſpiritus ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,*
Serm. 31. in Nv. *mãſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Quem locum citans Aug. quærit, *unde iſte botrus pulcher eſt? quia pendet à charitate, à charitate enim, tanquam*
Serm. 10. de Quadr. *ab apice, & radice cætera contexuntur.* Unde & D. Leo; *Quamvis magnum ſit habere rectam fidem, ſanamque doctrinam, & multa laude digna ſit circunciſio gulæ, lenitas manſuetudinis, puritas caſtitatis; nuda tamen ſunt omnes ſine charitate virtutes; nec poteſt dici in qualibet virtutum excellentia fructuoſum, quod non charitatis partus ediderit.*

Sequitur, *In verbo veritatis*; cujus duplex poteſt eſſe ſenſus; unus, ut omne mendacium prohibeat,
Eccleſ. 17. ſicut & Sapiens; *Noli velle mentiri omne menda-*
Pſal. 14. *cium.* Illum etiam dicit David habitaturum in
Epheſ. 4. tabernaculo Domini, *Qui loquitur veritatem in corde ſuo, & non egit dolũ in lingua ſua.* Et alibi Apoſt. *Deponentes omne mendacium, loquimini unuſquiſque*
Aug. Ench. cap. 18. 22. *veritatem cum proximo ſuo.* Cum autem omne mendacium conſtet eſſe peccatum, nunquam homini juſto committendum eſt mendacium. Quod enim per

Digitized by Google

per ſeipſum vitioſum eſt, ac Divina lege prohibitum, nullo id prætextu, nulla quaſi bona intentione, aut fine faciendum eſt. *Non ſunt facienda mala ut veniant bona*, inquit Apoſt. *Aut ergo cavenda mendacia rectè agendo, aut confitenda ſunt pœnitendo: non autem, cùm abundent, infeliciter vivendo augenda ſunt & docendo*, ait Aug. Rom. 3. Cont. mendac. cap. 7.

Qui Chriſtiani hoc dixerunt, ut Origen. Caſſia. Marulus, non doctrinam Chriſti, ſed Platonis ſecuti ſunt, qui docet mendacio utendum eſſe tanquam medicina quadam, aut condimento; ex utilitate æſtimans honeſtatem. Refert Sanct. Aug. nonnullos, cum ad officium hominis juſti pertinere cenſerent, quandoque mentiri, eouſque progreſſos eſſe, ut & pejerare, & de rebus divinis, Deíque natura ipſa, falſum aliquid dicere, nonnunquam bonum, piúmque opus eſſe contenderent. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*, inquit Sap. Et, *Modicum fermentum corrumpit totam maſſam*, ait Apoſt. q. d. inquit Ambr. parvus error poteſt adducere magnos, & multos errores. Dat tamen D. Aug. *duo genera mendaciorum, in quibus*, inquit, *non magna culpa eſt, ſed tamen non ſunt ſine culpa; cùm aut jocamur, aut ut proximo proſimus, mentimur. Primum in jocando ideo pernitioſum non eſt, quia non fallit; novit enim is cui dicitur, joci cauſa eſſe dictum: ſecundum autem ideo mitius eſt, quia retinet nonnullam benevolentiam, quæ illud excuſat, & aliquando etiam temporaliter remuneratur*, (ut in obſtetricibus Ægyptiorum) *ſed fallacia damnat*. Caſ. col. 17. Mar. lib. 4. de reli. viu. inſt. Plat. lib. de Rep. Ench. 18. Eccleſ. 2. 1. Cor. 5. In pſal. 5. Ench. c. 22. Exodi 1.

Magna autem culpa eſt mendacium, quando animæ, vel corpori, vel famæ, vel bonis temporalibus nocet. Maxima verò, quando eſt contra ve-

ritatem Religionis. Sicut enim veritas præcipuè invenitur in doctrina Religionis Chriſtianæ, & Verbo Dei; ita etiam id per antonomaſiam vocatur mendacium, quo quis mentitur contra veritatem Religionis; de quo dicitur, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Quale fuit primum verbum antiqui ſerpentis, dicentis primis parentibus contra verbum Dei, *nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut Dy.* Quale etiam eſt hæreticorum noſtri temporis, dicentium contra verbum Chriſti, non eſt hoc corpus Chriſti, ſed figura ejus. Unde Apoſtolus Petrus vocat hæreſiarchas *Magiſtros mendaces.*

Pſalm. 5. Pſalm. 5. Geneſ. 3. Matth. 26. 2. Petri. 3.

De Attico (ad quem tot epiſtolas ſcripſit Cicero) teſtatur Cornelius Nepos, nec in aliis tuliſſe mendacium æquo animo, nec ipſe unquam mentitus eſſe perhibetur. De Hor abbate teſtatur Palladius, quod tam amans fuerit veritatis, ut nunquam mentitus ſit, nunquam juraverit, nulli maledixerit, nunquam citra neceſſitatem locutus ſit. Et de Chryſoſt. Sophronius: quod ex quo baptiſmum ſuſcepit, nunquam omnino juraverit, nec quemquam jurare compulerit, nec mentitus ſit, nec alicui maledixerit, nec ſcurrilia dixerit, nec jocos admiſerit. Refert & Oſorius, de filio quodam Regis Luſitaniæ apud Barbaros mortuo, quod tyrannus eum his nominibus commendaverit, quod nulla unquam ſe Venere maculaſſet, quod nunquam mentitus eſſet, quod Deum ſemper piè coluiſſet.

Cornelius Nepos in vita Attici. Ad Lauſū. In Prato Spirit, cap. 191. Lib. 3. de gloria.

Vide duos libros S. Aug. de mendacio & contra mendacium. *Quando*, inq. *nobis de ſcripturis ſanctis mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia*

Ibi, cap. 15.

non

non ſunt, ſed putantur eſſe dum non intelliguntur: aut ſi mendacia ſunt, imitanda non ſunt, quia juſta eſſe non poſſunt. Quod autem ſcriptum eſt, Deum benefeciſſe cum Hebrais obſtetricibus, & cum Rhaab Hiericuntina, non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis.

Alius ſenſus eſt, ut intelligatur de Verbo Dei, quod alios prædicare, alios audire neceſſe eſt; & quod utroque hoc modo etiam colatur Deus, intelligitur ex fructibus qui inde proveniunt. Prædicando enim & audiendo verbum veritatis, ignorantes illuminantur, ut videant quò & quà illis eundum ſit. Ait David, *Declaratio ſermonum tuorum illuminat*. Et, *Lucerna pedibus meis verbũ tuum*. Deinde qui ſciunt & non faciunt, victi tempore, cupiditate, &c. excitantur ut faciant. *Vivæ enim vocis magna eſt vis ac energia*, ait Hier. Et Sap. *Verba ſapientium ſicut ſtimuli*. Et Apoſt. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax*. Boni etiam confortãtur, ut proficiant & perſeverent. Unde Petrus jam baptizatis; *Sine dolo lac* (verbi divini) *concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem*. Et ſicut plantula aquis irrigata ſumit incrementum, ſic anima juſti doctrina ſalutari.

Pſalm. 118. Ibidem. In ep. ad Paulin. Eccleſ. 12. Hebr. 4. 1. Petri 2.

Præterea delectat & recreat ſpiritualiter Verbum Dei. *Amicus ſponſi ſtat & audit eum*, inquit Chriſtus, *& gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? ſuper mel ori meo*, ait Proph. Et in Cantic. ſponſa ad ſponſum; *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis. Vox tua*, ait Aug. ad Dominum, *gaudium meum; vox tua ſuper affluentiam voluptatum*. Denique verbum Dei, ſeu

Ioan. 3. Pſalm. 118. Cantic. 2. Lib. 11. Conf. c. 2.

veritatis, ſalutem æternam operatur. Unde Apoſt.
1. Tim. 4. ad Tim. *Attende tibi,* (ut rectè vivas) *& doctrinæ* (ut rectè doceas.) H*oc enim faciens, & teipſum ſalvum faciet, & eos qui te audiunt.* Et Iacob. monet;
Iac. 1. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt*
1. Petr. 1. *ſalvare animas veſtras.* Et Petr. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos ejus decidit; verbum autem Domini manet in æternum*, id eſt, verbum Domini creditum & obſervatum, habet hanc vim & efficaciam, ut faciat hominem æternum & immortalem.

Denique addit Paulus, *Per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris,* &c. Quibus verbis nos admonet Apoſt. incedere per viam juſtitiæ, in proſperis & in adverſis; ſive laudent nos homines, ſive vituperent; ſive promittant, ſive minentur; ſive bonis, ſive malis afficiant. Monet idem alibi: *Pretio*
1. Cor. 7. *empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum.* Tales ſunt, qui vitam ſuam ordinant, prout vident hominibus
Gal. 1. placere. *Sed ſi adhuc hominibus placerem,* ait idem,
Ioſeph. lib. 16. Antiq. cap. 9. *Chriſti ſervus non eſſem.* Herodes in Iudæa Deum verum colebat, ut Iudæis placeret; alibi verò alienum, ut gentibus. Ecebolus quidam Conſtantino-
Hiſt. Trip. lib. 6. c. 36. politanus Sophiſta, mores Imperatorum ſequens, ſub Conſtantio ferventiſſimum ſe finxit Chriſtianum; ſub Iuliano paganus celeriter effectus eſt, & rurſus poſt Iulianum volebat eſſe Chriſtianus; Proſternens enim ſemetipſum ante januas Eccleſiæ pronum, magna voce clamabat, *Conculcate me ſal infatuatum.*

Matth. 11. Hom. 6. in Evang. Tales arundini à Chriſto in Evangelio comparantur. *Arundinem mox ut aura contigerit, in partem alteram inflectit,* inquit Gregor. *Sic carnalis animus,*

Digitized by Google

animus, mox ut favore vel detractione tangitur, ſtatim alteram in partem inclinatur. Hi ſimiles ſunt illi Ægyptio Sophiſtæ, qui ut ait D. Baſil. & arbor & aqua fiebat & fera, & omninò quicquid liberet. Et Polypodi comparantur, qui *ad ſpeciem ſubjecti ſoli colorem mutat*, ita ipſi ad voluptatem & volũtatem aliorum variant ſententiam, ut idem Baſil. *Per bonam & malam famam, à dextris & à ſiniſtris Chriſti miles graditur*, ait Hier. *nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur, non divitiis tumet, non contrahitur paupertate; & læta contemnit, & triſtia.* Homil. 24. Hom. 7. Hexam. Ad Nepotian.

Narrat de Alipio ſuo Aug. inſigne exemplum; *Tentata eſt ejus indoles nõ ſolum illecebra cupiditatis, ſed etiam ſtimulo timoris. Romæ aſſidebat Comiti largitionum Italicarum. Erat eo tempore quidam potentiſſimus Senator, cujus & beneficiis obſtricti multi, & terrori ſubditi erant. Voluit ſibi licere neſcio quid ex more potentiæ ſuæ, quod eſſet per leges illicitum. Reſtitit Alipius; promiſſum eſt præmium, irriſit animo. Prætentæ minæ, calcavit: mirantibus omnibus inuſitatam animam, quæ hominem tantũ, & innumerabilibus præſtandi nocendique modis ingenti fama celebratum, vel amicum non optaret, vel non formidaret inimicũ.* Lib. 6. Conf. c. 10.

Aliud exemplum inſigne eſt apud Ruffi. de Benevolo Præfecto. *Cum impia edicta Iuſtinæ Imperatricis dictanda mandarentur Benevolo præfecto, ille negat ſe impia verba proferre poſſe, & contra Deum loqui. Celſior ei honor promittitur, ſi impleret injuncta. Ille qui nobilior in fide eſſe, quam in honoribus cuperet; Quid mihi, ait, pro impietatis mercede altiorem promittis gradum? hunc ipſum quem habeo, tollite: Tantum mihi conſcientia fidei duret illæſa. Hæc dicens, ante pedes impia præcipientium, cingulum jecit.* Lib. 2. c. 6. Hiſt.

Multum

Digitized by Google

Epiſt.55. *Multum refert, utrum quis ſtudeat Deum demereri, an homines*, inquit D.Cyprian. Dicit Chriſtus Iu-
Ioan.5. dæis; *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Glorioſum erat apud Deum, in Chriſtum credere, apud homines ſtultum: illi ſectabantur
Ioan.12. quod laudabant homines, non quod Deus. Item de quibuſdam, qui in eum credebant, ſed verebantur apud homines confiteri, dicit Evangeliſta; *Dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei.* Quia enim improbabant homines confiteri Chriſtum eſſe Deum & mundi Salvatorem, ideo confiteri verebantur, ne diſplicerent hominibus.

Cicero ait: *Iacent ea ſemper, quæ apud quoſque im-*
Tuſc.qq. lib.1. *probantur. Non ita apud Apoſtolos*, ait S.Aug. *qui cũ*
De Civit. lib.5.c.14. *in his locis prædicârent Chriſti nomen, ubi non ſolum improbabatur, verum etiam ſummæ deteſtationis habebatur, tenentes quod audierant à bono magiſtro, eo-*
Matth.10. Luc.12. *demque medico mentium, Si quis me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, & coram Angelis Dei: inter maledicta & opprobria, inter graviſſimas perſecutiones crudeleſque pœnas, non ſunt deterriti à prædicatione ſalutis humanæ, tanto fremitu offenſionis humanæ.* Et alibi: *Sic amanda eſt*
Epiſt.144. *juſtitia, ut ab ejus operibus etiam pœnæ corporis cohibere nos non debeant, atque inter manus crudelium inimicorum luceant opera noſtra coram hominibus, ut quibus placere poſſint, glorificent patrem noſtrum qui*
Matth. 6. *in cœlis eſt. Unde ille fortiſſimus juſtitiæ dilector exclamat: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tri-*
Rom. 8. *bulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? ſicut ſcriptum*
Pſalm.43. *eſt, Quoniam propter te mortificamur tota die*, &c.

Adjun

Adjungam hiſtoriam inſignem de D. Baſilio, quam de eo refert D. Gregor. Nazianz. Rogatus Baſilius à Præfecto Modeſto, cur non profiteretur Religionem Imperatoris, (Valentis Ariani) Reſpondit; *non vult hoc Imperator meus*. Ille rurſus; non hanc poteſtatem pertimeſcis? Reſpondit: *Cur pertimeſcam? quid fiet? quid patiar?* Bonorum proſcriptionem, inquit ille. Reſpondit Baſilius: *Bonorum proſcriptioni obnoxius non eſt, qui nihil habet; niſi fortè laceris & detritis hiſce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facultates, & copiæ ſunt*. Præfectus iterum, Exilium. Sed Baſilius; *Exilium*, inquit, *non cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum; ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, & eam omnem in quam projectus fuero, pro mea habeo: Imò ut rectius loquar, univerſam terram Dei eſſe ſcio, cujus aduena ego ſum & peregrinus*. Rurſum Præfectus, Cruciatus, ait. At Baſilius: *Tormenta*, inquit, *quid accipere queant, cum corpus deſit: niſi fortè primam plagam dixeris: hujus enim ſolius penes te arbitrium & poteſtas eſt*. Et Præfectus, Mortem. Et Baſilius, *Mors beneficii loco mihi erit: citius enim ad Deum tranſmittit, cui vivo, & ad quem jampridem propero, & maxima jam ex parte mortem obii.*

Orat. de laudib. Baſ.

Pſalm. 38.

Philip. 1.

Obſtupefactus Præfectus; nemo me hactenus, inquit, ita tamque liberè allocutus eſt. Reſpondit Baſil. *In aliis rebus, & erga omnes etiam viliſſimos placidi & abjecti ſumus: Verum ubi Deus nobis periclitatur & proponitur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes, ipſum ſolum intuemur. Ignis autem, & gladius, & beſtiæ, & ungulæ carnem lacerantes, voluptati nobis ac delitiis potius ſunt quàm terrori.*

rori. Proinde minare, fac quicquid libet, etiam his graviora: nequaquam nos vinces, ut impiæ doctrinæ aſſentiamur. Hactenus Nazianz. de Baſilio.

Horat. li. 3. ode 3.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis Tyranni,
Mente quatit ſolida.
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

MONITUM XXXIII.

Miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos.

Luc. 15.

Aug. li. 3. Conf. ca. 1.

PEr filium prodigum peccator deſignatur, ut ebrioſus, luxurioſus, *&c.* qui omnibus bonis ſuis à Deo acceptis ad nequitias abutitur, & inopia laborans cibi interioris, ſe projicit foras, id eſt interiori conſolatione carens, exteriorem quærit, in vanitatibus & peccatis. De prodigo duo dicuntur. Primum quod ipſe ſiliquis porcorum paſcebatur. Alterum, quod de ſiliquis porcos paſcebat. Quoad primum, ſiliquæ cibus eſt inflans, non ſatians, & ſignificatur iniquitas; inflare poteſt, ſatiare animum non poteſt. Peccator ſiliquis paſcitur, iniquitate delectarur, illa cibus ejus eſt, de quo cibo Propheta, *Superbo oculo, & inſatiabili corde cum hoc non edebam,* id eſt, non delectabar cibo eorum, qui ſuperbum habent oculum. Inter 7. quæ odit & abominatur Dominus, primum

Luc. 15.

Pſalm. 100. Auguſt. & Proſp. in illum Pſalm.

mum ſunt, *Oculi ſublimes*; & arrogantia ſignificatur, quæ oculorum elatione maximè declaratur. Prover. 6.

Deinde nec eorum, qui cor habent inſatiabile; & intelligitur primò avarus, qui ut Sapiens ait, *non implebitur pecunia*; ſed quantum ipſa pecunia creſcit, tantum & amor pecuniæ, ut Iuvenalis ait; Eccl. 15.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Sat. 14.
Creverunt & opes, & opum furioſa cupido.
Creſcentem ſequitur cura pecuniam, inquit Horat. Li. 3. Carm.
Majorumque fames. Scilicet improbæ Ode 16.
Creſcunt divitiæ: tamen curtæ neſcio quid ſemper Idem ibid.
abeſt rei. Naturæ minimum, avaritiæ nihil ſatis eſt, Od. 24.

inquit Boët. Deinde & libidinoſus cor habet inſatiabile: unde vitium illud *inceſſabile delictum* vocat Petrus. *Libido enim ſemper famem ſui habet, & tranſacta non ſatiat*, inquit Hieron. Unde de quadam libidinoſa quæ ſe multorum libidini ſuppoſuerat, ait Poëta: De conſ. l. 3 proſ. 3. 2. Petri 2. In epiſt. de fil. prodig.

Delaſſata quidem, ſed non ſatiata receſſit. Prov. 30.

Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, ait Sap. id eſt, quæ illam imitantur; ſolent autem intelligi libido & avaritia. *Cum his*, inquit Propheta, *qui tali delectantur veneno, non conveſcebar; quia cibum iniquitatis ipſorum, quo inceſſabiliter replebantur, horrebam.*

Sæpè quidem contingit, quod juſtus ſimul cibum corporalem cum impio ſumat, ſed non ſpiritualem; quia hic cibo iniquitatis, ille pane juſtitiæ veſcitur, de quo dicitur; *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam.* Iuſtorum cibus eſt pœnitentia. *Fuerũt mihi lachrymæ meæ panes.* Afflictio, *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt*: hinc enim ſperant ſe à Deo diligi. *Quem diligo caſtigo*; & quod Matth. 5. Pſalm. 41. Pſalm. 22. Hebr. 12.

Domi

Dominus eorum ſit memor. Eorum cibus eſt, jejunium, oratio; unde Hier. de quadam, *Iejunia pro ludo habet, orationem pro delitiis*. Bona opera; *Labores manuum tuarum quia manducabis,* ait David. Non autem manducant cibum iniquitatis, de quo Sap. *Sicut uva acerba dentibus, & fumus oculis, vexatio eſt; ſic iniquitas manducantibus eam.* Ob remorſum conſcientiæ, timorem damnationis, & alia mala quæ illam comitantur. *Culpam pœna premit comes.* Etiam juſtificatis, quibus jam remiſſa eſt, vexatio eſt. Unde Apoſt. *Quem fructum habuiſtis tunc in illis in quibus nunc erubeſcitis:* Sic ſpinæ peccatorum, pungunt animum, lacerant conſcientiam. D. Aug. *Iuſſit,* inquit, *Deus, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.* Et, *Cibus iniquitatis cum ſuavitate comeditur, ſed cum amaritudine digeritur.*

In epiſt. ad Furiam. Pſal. 127. Pro 10. ut Aug. legit in Pſal. 48. Horat. ode 5. lib. 4. Rom. 6. Li. 1. Conf. cap. 12. In pſal. 48.

Hic cibus ſaturare non poteſt animam hominis; ſolus eam ſatiat Deus. Unde idem Aug. de iis loquens, qui relicto Creatore creaturis adhærent: *Volentes,* inquit, *gaudere forinſecus, facilè evaneſcunt, & effunduntur in ea quæ videntur & temporalia ſunt, & imagines eorum famelica cogitatione lambunt.* Et de ſe: *Intendebam in ea quæ locis continentur, & non ibi inveniebam locum ad requieſcendum, nec recipiebant me iſta, ut dicerem, ſat eſt, & bene eſt. Feciſti enim nos ad te,* Domine, ait, *& ideo inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te: atque in eo oſtendit Deus, quàm magnam creaturam rationalem fecerit, cui nullo modo ſufficit ad beatam requiem, quicquid illo minus eſt.*

Lib. 9. Conf. c. 4. Li. 1. Conf. cap. 7. Li. 1. Conf. cap. 11. Lib. 13. Conf. c. 8.

Alterum, quod de filio prodigo dicitur, eſt quod de *ſiliquis* etiam *porcos paſcebat,* quia dæmones ſuis vitiis ac erroribus delectabat. Sic dicitur, *Ephraim*

paſcit

Digitized by Google

paſcit ventos, quia peccator peccando, *ſuperbis & inflatis dæmonibus deriſui eſt ac voluptati*, inquit Aug. Sic immundi ſpiritus terrena vitiorum immunditie paſcuntur, gaudentque mortales in ea volutari. Dicitur ſerpenti: *Terram comedes*, tum quia terreni illi traditi ſunt; tum quia in his pabulum invenit, quo ſe oblectet. Dicuntur autem dæmones Porci, ob immunditias libidinum, non quas ipſi faciunt; *ſunt enim ſpiritus carnis expertes*: ſed quas patrandas hominibus ſuggerunt. *Non enim poteſt dici Diabolus ebrioſus, aut fornicator, aut aliquid mali, quod ad carnis voluptates pertinet; tamen eſt hujuſmodi peccatorum ſuaſor & inſtigator occultus.* Coëunt tamen dæmones, *infundentes ſemen alienum, unde non dæmonis, ſed hominis filius dicitur, quod naſcitur.*

Ozeæ. 12.
Li. 4. Conf. cap. 2.
Gen. 3.
Aug. li. 14. de Civit. cap. 3.
Vide Aug. de civit. li. 15. cap. 23.

Per tentationes autem carnalium peccatorum, ad quæ novit diabolus homines maximè propenſos, maximè prævalet & dejicit homines, etiam robuſtos: ſic prævaluit adverſus Samſonem fortiſſimum, Davidem ſanctiſſimum, Salomonem prudentiſſimum. *Viros Triumphales victores gentium vincit luxuria*, ait Macrob. Et Hier. *Ferreas mentes libido domat. Et Campana luxuria invictum armis Hannibalem, illecebris ſuis complexa, vincendum Romano militi tribuit*, inquit Valer. Atque hoc vitio inquinatos cæteris etiam involvit peccatis; ſic Davidem & Herodem Reges à libidine ad homicidium pertraxit: Salomonē ad Idololatriam. Qui ergo ſe hujuſmodi vitiis dant, dicuntur dæmones paſcere, hoc eſt, oblectare; hoc enim modo homines ſibi ſimiles factos, peccatores & deſertores, ſecum habere ſperant, *non ad concor*

Lib. 3. Satur. in epiſt ad matrem & filiam.
Lib. 9. tit. de luxuria.
2. Reg. 11.
Marc. 6.
Lib. 10. Conf. c. 36.

Digitized by Google

concordiam charitatis, ſed ad conſortium ſupplicii, de quo vehementer gaudent, & quo magnopere laborant.

In epiſt. de filio prod. *Dæmonum cibus*, ait D. Hieron. *eſt ebrietas, luxuria, fornicatio, & univerſa vitia. Hæc blanda ſunt & laſciva, & ſenſus voluptate demulcent, ſtatimque ut apparuerint, ad uſum ſui provocant. Quibus ideo luxurioſus adoleſcens legitur non potuiſſe ſaturari, quia ſemper voluptas famem ſui habet, & tranſacta non ſatiat*, ut ante dictum. Cogitet ergo peccator, quando peccat, quod Diabolum ad convivium vocat, Proſp. ad Demetr. quia peccato ſuo veluti cibo aliquo delectabili, cũ paſcit & oblectat. Leo ſer. 3. de Collect. *Sicut enim uritur de virtute ſtantium, ita lætatur de fragilitate labentium. Et ſicut veræ religionis obſervantia atteruntur dæmones, ita impiorũ errore lætantur & gaudent.* Non ita, ſed Chriſtum potius invita. Cibus ejus pœnitentia hominum, & converſio, bona eorum opera & vita. Sic Cantic. 2. dicitur in Cant. quod ſponſus cœleſtis *paſcitur inter lilia, quia candore & odore virtutum delectatur*, Bern. ſerm. 71. in Cant. ait D. Bern. ut candor pertineat ad conſcientiam, odor ad famam, utriuſque enim habenda eſt ratio; conſcientiæ propter nos, famæ propter alios.

Dicitur in hiſtoria de peccatrice, *quod domus impleta eſt odore unguenti. Odor enim bonus, bona fa-* Ioan. 12. *ma eſt*, inquit D. Aug. *quam quiſquis bonæ vitæ operi-* De doct. Chriſt. li. 3. cap. 12. *bus habuerit, dum veſtigia ſequitur Chriſti, quaſi pedes ejus pretioſiſſimo odore perfundit.* Dicitur in Pſ. quod Pſalm. 44. *filiæ Regum ſponſum delectaverunt odore veſtimentorum. Reges ſunt Apoſtoli, & alii, quibus dictum eſt, ſe-* In illum Pſalm. *debitis ſuper ſedes 12. iudicantes, &c. Regunt carnem*, inquit Aug. *Subiugant ſibi turbas humanarum affectionum, caſtigant corpus & ſervituti ſubjiciunt. Filiæ*

Regum

Regum ſunt omnes animæ fideles, quæ illis prædicantibus natæ ſunt, quæ odore ſancto, qui ex bonis ipſarum operibus latè diffunditur, Chriſtum delectant. Quod etiã ſignificatur in fragrantia veſtimentorũ Iacob, quam ut ſenſit Iſaac Pater, benedixit ei. *Innocens enim manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam,* &c. *Hic accipiet benedictionem à Domino.* Et his qui ſe maximè exercuerint in operibus charitatis & miſericordiæ, quæ maximè placent Deo, dicitur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

Geneſ. 27.
Pſalm. 23.
Matth. 25.

MONITUM XXXIV.

Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, &c.

1. Cor. 7.

TRipartita eſt pudicitia; graduſque eſt unus, Continentiæ Conjugalis, alius Vidualis, tertius Virginalis. Quos Doctores per triplicem bonæ terræ fructum in Evang. ſignificari docent. Ac Virginitas quidem eſt conſtans perpetuáque voluntas temperandi ſibi à voluptatibus venereis: Sive, mentis integritas ab omni ejus generis voluptate inviolata. Ex quo ſequitur, amitti virginitatem, non modò nefariis voluptatibus, verum etiam conceſſis ac licitis, ſive quis illis reipſa perfruatur, ſive eas duntaxat animo deliberatè conſentiente concupiſcat. Non enim ſi car-

Matth. 13.
Hieron. ad Pammach.

Digitized by Google

ne,ac non mente voluptas illa concupiſcitur, Virginitatem amitti putandum eſt,tametſi hoc nocumenti adfert tumultuans in carne concupiſcentia, quod ſanctarum mentium minuat in tanto bono delectationem.

Semel autem amiſſa Virginitas, ſive per realem Venereorum perfruitionem, ſive per animi deliberati voluntatem, recuperari non poteſt,quanquam rediri poſſit ad majus pudicitiæ meritum, propter firmiorem videlicet,atque ardentiorem,quæ in poſterum concipitur, continendi voluntatem. *Audenter loquor,* inquit Hier. *cùm omnia poſſit Deus, ſuſcitare virginem non poteſt poſt ruinam. Valet quidem liberare de pœna,ſed non vult coronare corruptam:* Illa nimirum Aureola, quæ Virginitati peculiari remuneratione reſpondet.

In epiſt.ad Euſtoch.

Hinc jam perſpicitur, quantum interſit, inter hanc Sanctam Virginitatem, quæ continentiæ gradus eſt,& eam quæ carnis eſt bonum;ſiquidem hæc carnis integritas per ſeipſam indifferens eſt, fieríque poteſt, ut ea corrumpatur,permanente nihilominus integritate mentis,ſeu pia illa Virginitate: ſive caſu id fiat,ſive violentia aliqua Barbarica,ut eſt apud Aug. Sicut perit ſæpenumerò mente Virginitas, cùm in carne perſeverat incolumis. *Iſtæ ſunt Virgines malæ,* inquit Hier. *Virgines carne, non ſpiritu; Virgines ſtultæ, quæ oleum non habentes ſecum, excluduntur à ſponſo.* Sic & D. Aug. pudicitiam virginalem, à virginitate carnis accuratè diſtinxit. Reprehendens enim Iulianum, quòd pudicitiam & virginitatem, quaſi res ejuſdem generis conjungeret; *Pudicitia,* inquit,*eſt res animi;virginitas, carnis: Denique illa integra in animo permanente,*

Laů des Virginum. Vide Mon. 8.inter Mariana.

Lib.1.de Civit.Dei.

In epiſt.ad Euſtoch.

Matth.25.

Lib.4.c.8.

manente,poteſt iſta de corpore violenter auferri,& cũ iſta integra manet corpori, poteſt illa in animo laſcivia voluntate corrumpi. Et poſt multa: *Nec in impiis invenitur pudicitia Virginalis, quamvis inveniatur Virginitas carnis, quia vera pudicitia non poteſt haberi in animo fornicante.* Hanc ſuadet ipſe Chriſtus apud Matth. quando commendat, *Eunuchos qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum.* Et Apoſt.ad Cor.dicens: *De Virginibus præceptum Domini non habeo,conſilium autem do,* &c. Matth.19. 1. Cor.7.

Et dicit, *hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem: quod ſic accipiendum, non tanquam propter præſens tantummodo ſeculum, non propter futuram æternitatem melius eſſe dixerit, ſic eſſe; quia videlicet conjuges terrenis curis pluribus atque arctioribus diſtenduntur, qua moleſtia virgines carent: quaſi ob hoc tantum melius ſit non conjugari,ut hujus temporis relaxentur anguſtiæ; non quod in futurum ſeculum aliquid proſit, quomodo & gentiles cœlibem vitam conjugio præponebant. Non talem igitur neceſſitatem Apoſtolus intelligit, cuius omnis diſpenſatio ad vitam æternam vocat, ſed eam quæ aliquid bonorum impedit futurorum: qua neceſſitate cogitur vita conjugalis cogitare quæ mundi ſunt, quomodo placeat vir uxori, & uxor viro. Non quod ea ſeparent à regno cœlorum,ſicut ſunt peccata, quæ ideo præcepto, non conſilio prohibentur; quia Domino præcipienti non obedire damnabile eſt, ſed illud quod in ipſo Dei regno amplius haberi poſſet, ſi amplius cogitaretur, quomodo placendum eſſet Deo, minus erit utique cùm hoc ipſum minus conjugii neceſſitate cogitatur. Propter hanc ergo neceſſitatem, quæ nuptæ carent,* dicit Apoſtol. *Qui matrimonio iungit virginem*

Digitized by Google

ſuam, bene facit; & qui non jungit, melius facit.

Vide Aug. de S. Virg. c. 13 & ſeq. In Epiſt. ad Salviniam. Virgil. li. 4. Æneid.

Porrò vidualis caſtitas, perpetua conſtanſque voluntas eſt, poſt expertas venereas voluptates ab iis deinceps continendi. Ex perſona viduæ continentis Ethnicus Poëta decantat, ait D. Hier.

Ille meos primus, qui me ſibi junxit amores
Abſtulit, ille habeat ſecum, ſervetque ſepulchro.

In tumulo enim mariti omnes pariter voluptates ſepelivit. In qua caſtitate excelluit Judith, per quam Dominus tam mirabilem victoriam eſt operatus, quòd (ut ipſe ſummus Sacerdos teſtabatur) *caſtitatem amaverit, & poſt virum ſuũ, alium neſcierit; ideo,* inq. *eris benedicta in æternum. Et Anna Prophetiſſa, quæ noverat adeſſe tempus,* ut ait Aug. *quo Chriſto non officio pariendi, ſed ſtudio continẽdi; nec cõjugalibus fœtandis viſceribus, ſed caſtificandis vidualibus moribus, melius ſerviretur.* Melania etiam, quæ *calente adhuc mariti corpuſculo,* ait D. Hier. *& nec dum humato, duos perdidit filios. Lachrymæ gutta non fluxit, ſtetit immobilis, & Chriſti pedibus advoluta, quaſi illum teneret arriſit. Expeditiùs,* inquit, *tibi ſervitura ſum, Domine, quia me tanto onere liberaſti.*

Judith 15. Luc. 2. De bono Vid. cap. 7. Ad Paulũ de obitu Bleſil.

Pallad. in Vit. Et in vita Chryſoſt. Lib. 4. Dial. c. 13.

Dicebat Olympias vidua nobilis, dives, juvenis, erudita, Theodoſio Imp. urgenti eam ad ſecundas nuptias; *ſi me Dominus viro copulari vellet, priorem mihi non abſtuliſſet; ſed quia me inidoneam ad conjugium novit, ideò illum vita, me ſervitute & jugo conjugali abſolvit; ſuave continentiæ jugum, cervicibus mentis meæ imponens.* De Galla vidua nobiliſſima, Symmachi conſulis ac patritii filia, quæ intra adoleſcentiæ tempora marito tradita, in unius anni ſpatio ejus eſt morte viduata, refert Greg. quod cum Medici dicerent, niſi ad amplexus viriles rediret

rediret, fœda corpore fieret. *Ipſa,* inquit, *nihil exterius deformitatis timuit, quæ interius ſponſi cœleſtis ſpeciem amavit: nec verita eſt, ſi hoc in illa fœdaretur, quod à cœleſti ſponſo in ea non amaretur. Magis itaque elegit ſpiritualibus nuptiis copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, ſed ad gaudia æterna pervenitur; quàm carnalibus nuptiis ſubjici homini, quæ à lætitia ſemper incipiunt, ſed cum luctu ad finem tendunt.* Licitæ quidem ſunt ſecundæ nuptiæ, minùs tamen ritu ac more Chriſtiano honorantur, ut eſt apud Ambr. in 7. cap. 1. ad Cor. & Optatum libr. 1. contra Donatiſt. Hinc etiam Sacerdoti ſecundis nuptiis ſolemniter benedicere non licet, nec earum cõvivio intereſſe, ut eſt in Can. 7. Conc. Neocæſ. *maximè* ait, *cum præcipiatur ſecundis nuptiis pœnitentiam tribuere,* nimirum, propter incontinentiam.

Valdè autem laudantur viduæ juvenes (quales fuerunt prædictæ) in quibus *laborioſior continentia, ob expertas voluptates, quibus difficiliùs caretur. Quantò autem major difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abſtinere, tantò majus præmium,* ait Hier. Qui & alibi; *Perfectæ virtutis indicium eſt, renuntiare ſubi. ò expertæ voluptati, fugere notas carnis illecebras, & calentis adhuc ætatis flammas, fidei vigore extinguere.* Et iterum; *Quantò plura ſunt quæ pudicitiam impugnant* (ut nobilitas, forma, ætas, opes, &c.) *tantò victricis majora ſunt præmia.* Rurſum contra Iovinia. *Apoſtolus digamiam malis mulieribus ignoſcit; & antequam Religio noſtra fulgeret in mundo, univiræ ſemper habuere inter matronas decus.*

Lib. 1. in Iovinian. Vide eund. ad Furiam, & ad Gecont.

Lib. 1. in Iovinian.

Id teſtatur Valer. Max. dicens; *Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur; multorum matrimonium experientiam, quaſi illegi-*

Lib. 2. c. 1.

timæ cujuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes. Unde & Portia Catonis filia, cùm quædam apud eam laudaretur, quæ ſecundum habebat maritum; Reſp. *Felix & pudica Matrona nunquam niſi ſemel nubit.* Et Valeria, nulli, amiſſo viro, nubere voluit; *Maritum enim ſuum ſibi ſemper vivere.* Alia quædam cum ſuaderetur ut nuberet; *Nequaquam*, inquit. *Si enim bonum virum invenero, nolo timere ne perdam: ſi malum, quid neceſſe eſt, poſt bonum, peſſimum ſuſtinere?* Hanc Vidualem continentiam ſuadet Apoſt. dicens; *Dico autem non nuptis & viduis, Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Et, *Beatior erit, ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium.* Sed prætexunt quædam; Patrimonium perit, ſervus contumelioſus eſt, quis procedet ad publicum; quis educabit filios? &c. *Hoc prætexunt nomine culpam. Confitere*, inquit Hier. *turpitudinem tuam.* Aliæ quod per intemperantiam faciunt, videntur facere deſiderio liberorum, *ſub quorum patrocinio interdum ſibi libido blanditur.*

Vide Hier. cont. Iov.

1. Cor. 7.

Vide Hier. ad Furiam, & Geront.

Conjugalis verò caſtitas ea eſt, quæ torum facit immaculatũ, & adulteria, ſimileſque libidinũ corruptelas excludit. Quæ nimirum libidini ſic indulget, propter infirmitatẽ carnis, ut eam tamẽ niſi intra honeſti matrimonii fines nõ relaxet. Et Apoſt. conjuges omnem honeſtatem ac temperantiã docens; *Honorabile*, inquit, *ſit connubium in omnibus, & torus immaculatus.* Et, *ſciat unuſquiſque vas ſuũ poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderii.* Unde & D. Ambr. *Mater omnium vitiorum incontinentia, quæ etiam licita vertat in vitium; ideóque Apoſtolus, non ſolum à fornicatione nos retrahit, verumetiam in ipſis conjugiis modum quendã docet, &*

Hebr. 13. 1. Theſſ. 4.

Apud Aug. lib. 2. in Iulia. ca. 9.

tempora

tempora præſcribit orandi. Intemperans enim in conjugio, quid aliud niſi adulter quidam uxoris eſt? Hic *Ambroſius*, ait Aug. *dicit incontinentiam etiam licita vertere in vitium, & licet licitum demonſtret eſſe conjugium, in ipſo tamen non vult fœdari quod licitum eſt.* Et alibi Aug. *Noverant in ipſis conjugibus luxuriam eſſe, abutendi intemperantiam, quod Tobiæ teſtatur oratio, quando eſt copulatus uxori; ait enim, Domine, tu ſcis quod non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam conjugem, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum.*

Vide Mon. 10.
Ibidem.
Lib. 3. de doct. Chri. cap. 18.
Tob. 8.

Et de bonis Matrimonii loquens; *In nuptiis*, inq. *bona nuptialia diligantur. Proles, Fides, Sacramentũ; ſed Proles, non ut naſcatur tantum, verumetiam ut renaſcatur. Naſcitur namque ad pœnam, niſi renaſcatur ad vitam. Fides autem, non qualem habent inter ſe etiã infideles, zelantes carnem. Quis enim vir quamlibet impius, vult adulteram uxorem? aut quæ mulier quamlibet impia vult adulterum virum? Hoc in conjugio bonum naturale eſt quidem, carnale tamen. Sed membrum Chriſti conjugis adulterium conjugi debet timere, non ſibi; & à Chriſto ſperare præmium fidei, quam exhibet conjugi. Sacramentum verò, quod nec ſeparari, nec adulterari conjuges admittit: qui concorditer caſtéque cuſtodiunt: ſolum eſt enim quod etiam ſterile cõjugium tenet pietatis jure, iam fœcunditatis ſpe amiſſa, propter quam fuerit copulatum. Hæc bona nuptialia laudet in nuptiis, qui laudare vult nuptias. Carnis autẽ pudenda concupiſcentia non eſt laudanda, nec amãda, ſed tolerãda; non eſt enim ex naturali connubio veniens bonum, ſed ex antiquo peccato accidens malum.*

Lib. 1. de Nupt. & conc. c. 17.
Vide Mon. 69.

Ex his facile eſt perſpicere, cæteris caſtitatis gradibus præcellere Virginitatem. Et vidua-

Digitized by Google

li quidem præſtantior eſt, quòd voluntatem reddat ab omni voluptatis morſu magis immunem. Nam vidualis caſtitas licet propoſitum habet continendi, tamen ob expertas ſemel voluptates, difficilius habet cum carne certamen, procliviuſque vidua tori præteriti recordatione maculatur; ſiquidem purius omninò, caſtiuſque concupiſcentia vincitur, omni ejus tumultuatione contra mentem excluſa, quàm eadem propter prioris vitæ conſuetudinem admiſſa. Idcirco D. Cyprian. *Viduis laborioſam tribuit continentiam*, propter quam conſervandam & inter graviora certamina retinendam, ſit eis neceſſaria patientia.

De bono patient. Hier. ut ſuprà. Vide Mon. 28.

Conjugali verò præſtat virginalis; primùm, quia omninò abducit hæc atque alienat à libidine, quæ per ſe vitioſa eſt; caſtitas autem conjugalis conceſſis fruitur voluptatibus. Sed ante lapſum, ubi eſſe potuiſſet ſine libidine concubitus coniugalis, non fuiſſet tum præ coniugio laudabilis Virginitas. Nec jam laudabilis eſt Virginitas, quòd per eam abſtineatur à coniugio, bona utique re, ſed quòd à libidine, ac amore ſeculi abducat longius; quibus malis ſi carere poſſet hic coniugium, non eſſet cur ita prædicaretur Virginitas.

Deinde melior eſt ſancta Virginitas, ſi ejus proprius ſpectetur finis, ad quem referri debet, ſeu fructus quem parit. Is autem in eo ſitus eſt, ut liberius expeditiuſque vacetur Deo, & rebus ad ſalutem æternam pertinentibus. Id enim per Virginitatem præſtari docet Apoſtolus. Non autem ideo melius conjugium, quia Sacramentum; non enim meliora ſunt Sacramenta virtutibus,

1. Cor. 7.

tutibus,

tutibus, cùm illa & à malis habeantur, & ab hæreticis etiam poſſideantur: Virtutes autem veræ habentes bonos faciunt, & à malis minimè poſſidentur. Deinde finis melior eſt mediis. Finis autem Sacramentorum ob quem ſuſcipiuntur, in ipſis virtutibus ſitus eſt; ideo enim quis baptizatur, ut infuſione virtutis renovetur. Et ſi qua gratia datur in conjugio, ea datur ut medicina ægris, qui tamen ob eam non ſunt ſanis anteponendi. Ignat. ad Philadel. Ambr. epiſt. 81.

Huic doctrinæ adverſatus eſt olim Jovinianus, contra quem ſcripſit D. Hier. lib. duos, & coactum fuit Concilium Telenſe, cui interfuit D. Ambroſ. cujus etiam eſt epiſtola 82. contra illum, ad Eccleſiam Vercellenſem. Et libri Aug. de Bono Conjug. de S. Virginit. & de bono Viduit. militarunt contra eundem. Illi non diſſimiles ſunt noſtri hæretici, dum alii præceptum eſſe Conjugium aſſerunt; alii Virginitatem non quidem eſſe illicitam, ſed indifferentem. Quos refellit Apoſtolus.

Tametſi autem Sancta Virginitas Continentiæ Conjugali præponenda ſit, non eſt tamen conſequens, ut omnis virgo melior cenſeri debeat conjugato. Eſt enim alia rerum, alia perſonarum collatio. Ac ſi res quidem ipſas inter ſe conferas, non eſt dubium meliorem eſſe Virginitatem pudicitia Conjugali; verùm quoniam in unam, eandemque perſonam multa concurrunt, fieri poteſt, ut conjugata quæpiam, non ſolum non ſit poſtponenda Virgini, verum etiam præ illa laudanda; tum quia conjugatus vel conjugata interdum ipſam caſtitatem Virginalem, licet non habeat in uſu, propter aliquam temporis neceſſitatem, tamen eandem habeat in habitu. 1. Cor. 7. Vid. Aug. de bon. cõjug. ca. 22. 23. Hier. lib. 2. in Iov. Greg. par. 3. adm. 29. Paſt.

Sic

Sic dicit Hier. cont. Jov. *Sub alta diſpenſatione Dei omnes retro ſanctos eiuſdem fuiſſe meriti, cuius nunc ſunt Chriſtiani. Quomodo ante Abraham placuit in coniugio, ſic nunc virgines placent in perpetua virginitate. Serviunt illi legi Dei & tempori ſuo, ſerviamus & nos Evangelio & tempori noſtro, in quos fines ſeculorum devenerunt.* Sic & Aug. ait, *Par meritum continentiæ fuiſſe in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & Abraham qui filios generavit.*

De bono conjug. ut ſupra.

Tum quia licèt ex parte caſtitatis eſſet inferior conjugatus, ex aliis tamen præſtantiorum virtutum meritis, velut humilitatis, pietatis, charitatis, poteſt eſſe Deo multò charior. Unde & illud evenire poteſt, ut tanta per charitatem fortitudine prædita ſit, ut Martyrium facere pro Chriſto poſſit, nondum autem id poſſit Virgo. Quibus de rebus vide Aug. ut ſupra. Hinc non vult ut Virgo ſe conjugatæ præferat. *Vide enim ſit virgo,* inquit, *ne fortè ob aliquam incognitam mentis infirmitatem nondum ſit matura Martyrio, illa autem ſit? Certè niſi adſit tentatio, nulla doni huius fit demonſtratio. Deinde aliquando unus fructuoſus eſt donis paucioribus, ſed potioribus; alter inferioribus, ſed pluribus. Quis autem audeat iudicare, quomodo inter ſe diſtinguantur vel coæquentur in accipienda mercede?* Sic Aug.

De S. Virg. c. 43. & ſeq.

MON

MONITUM XXXV.

Si tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero.

Matth. 9.

FLuxus ſanguinis, quo mulier iſta laborabat, fluxum ſignificat malarum cupiditatum, quæ flumina Babylonis vocantur; quia tranſeunt, fluunt. *Tranſit mundus & concupiſcentia eius*, ait Ioannes: Fluunt autem & currunt ad mare, id eſt, ſeculum hoc, eò incitant homines, eò illos rapere conantur, ut ſeculo conformentur; quod prohibet Apoſtol. *Nolite conformari huic ſeculo*, id eſt, hominibus vanis, ſuperbis, luxurioſis, *&c.* Deum deſerentibus, mundum diligentibus. Illi ergo hunc fluxum patiuntur, qui ſuis cupiditatibus ſerviunt, eas ad ſeculum trahentes, ſequuntur. Faciendum quod monet D. Auguſtin. *Fluuius rerum temporalium te trahit; ſed tanquam circa fluvium arbor nata eſt, Chriſtus videlicet, homo factus: raperis in præceps, tene lignum: voluit te amor mundi, tene Chriſtum.*

Pſal. 136. 1. Ioan. 2. Rom. 8. Tract. 7. in Can. Ioan.

De hac muliere dicit Marcus, quod *fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis, & erogaverat omnia ſua, nec quicquam profecerat, ſed magis deterius habebat*. Ita frequenter fit, adhibent homines doctrinam, exhortationem, correptionem, terrores, minas, &c. ad convertendos malos, ſed nihil proficiunt: Imò ſi deſit auxilium

Marc. 5.

Chriſti.

Chriſti, non eſt curatio mali, ſed incrementum; quia *Lex iram operatur*; tum quia audita & cognita lege, jam prævaricantur, id eſt, ſcientes tranſgrediuntur; tum ob incrementum concupiſcentiæ malæ, quæ occaſione legis magis inardeſcit, & facit ut homo peccator reſiſtat, irrideat, contemnat: juxta illud Poëtæ,

Rom. 4.
Rom. 7.
Auguſt. de ſpir. & lit.
Horat.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.

Acceſſit autem mulier ad Salvatorē, & ſanata eſt: ille eſt qui curat omnes languores animæ noſtræ.

Pſal. 102.

Sed quomodo acceſſit? vide qua uſa præparatione ad ſanitatem acquirendam. Primò, *dicebat intra ſe, ſi tantum veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.* Magna ſanè fiducia de potentia & bonitate Dei. Duo extrema improbanda, Præſumptio & Deſperatio; quæ inter iſta duo media eſt, Fiducia, amplectenda. Variæ à Doctoribus numerantur cauſæ, cur non ſemper exaudiamur in orationibus, inter quas meritò etiam ponitur, Defectus fiduciæ de potentia & bonitate Dei. *Sentite*, ait Sap. *de Domino in bonitate*. Quod fecit David, dicens; *Bonus es tu Domine, in bonitate tua doce me juſtificat.* Et, *Quàm bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde?* ait Dominus per Prophetam: *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum.* Ubi D. Bernard. *Dulciſſima liberalitas Domini, ſperantibus in ſe non deeſſe. Hoc enim totum eſt hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam figat in Deo ſuo.* Et rurſum; *Planè non derelinquet ſperantes in ſe. Adjuvabit eos, & liberabit eos. Quare? quibus meritis? Quia ſperaverunt in eo. Dulcis cauſa, attamen efficax, & irrefragabilis.*

Matth. 9.
Baſil. inter rogat. 261.
Sap. 1.
Pſal. 118.
Pſalm. 72.
Serm. 15. in pſal. 90.
Serm. 9. in eund. pſal.

Juſſerat Dominus Petro, ut veniret ad ſe ſuper aquas. Fecit; videns verò ventum validum, timuit, &

Matth. 14.

Digitized by Google

& cœpit mergi, merito diffidentiæ; & audivit, *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Moyſes & Aaron reprehenſi à Domino ad aquas contradictionis, quia diffiſi erant de bonitate Dei, magis attendentes duritiem populi, qui tali beneficio erat indignus, quàm promiſſionem Domini, qui ſolet mirabilia facere, non quia homo meretur, ſed ut ipſe glorificetur, cùm ſe tam bonum ac potentem oſtendit. Unde ait per Prophetam; *non propter vos ego faciam, ſed propter nomen ſanctum meum. Ubi prorſus Deus oſtendit*, inquit Aug. *nullis ſe hominum bonis meritis provocari, ut eos bonos faciat, id eſt, obedientes mandatis ſuis: ſed potius hæc eis retribuere bona pro malis, propter ſeipſum hoc faciendo, non propter illos.* Num. 20. Ezech. 36.

Deinde, *acceſſit retro*, ſic & de Magdalena dicitur, quod ſtabat retrò; & prima cogitatio eſt quod hoc fecerit ex humilitate & verecundia, quæ etiam laude digna: Tamen res myſterio non caret, etiamſi id non intellexit, quæ ſic acceſſit. In Chriſto enim quædam ſunt priora, ut ejus Divinitas, æternitas, &c. Quædam poſteriora, ut ejus incarnatio, paſſio, mors pro ſalute hominum ſuſcepta. Dictum eſt Moyſi, *Non poteris videre faciem meam, poſteriora mea videbis.* Chriſtus enim Deus & homo eſt. Deus ab æterno, homo in tempore; ergo videbis poſteriora mea, id eſt, hominem quod poſtea factus ſum; ſed priora, id eſt, faciem meam, non videbitis, quia non credetis Deum, quod ab æterno fui. Retro ergo accedere, eſt in Chriſtum credere, factum hominem, paſſum, crucifixum, occiſum. Inde omnis renovatio, & ſalus. *Non eſt in alio aliquo ſalus*, niſi in Chriſto

Aug. lib. 4. cõt. 2. epiſt. Pelag. c. 6. Luc. 7. Exod. 33. Vide Aug. in pſal. 138. & 110. & Profp. ibid. loquitur autem de Iudæis. Actor. 4.

Chriſto

Serm.8. de paſſ. Chriſto crucifixo. *Crux Chriſti*, inquit Leo, *fons eſt omnium benedictionum, cauſa omnium gratiarum.* Iſai.12. Vulnera ejus fontes ſunt ſalutares, ex quibus hauriendæ omnimodæ gratiæ.

Chriſtus crucifixus Iudæis ſcandalum fuit, gentibus ſtultitia, nobis autem, ait Paulus, *virtus eſt & Sapientia Dei.* 1. Cor. 1. Sapientia quidem: Quomodo enim rectius deſtrui poſſet ſuperbia hominum, quàm per humilitatem filii Dei? Quomodo melius oſtendi gravitas delicti, quàm per acerbitatem ſupplicii? Virtus autem, quia virtute crucis converſus, ſanatus, & ſalvatus eſt mundus. Unde Apoſt. Galat. 6. *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini.* Serm. 107. in Nou. *Niſi*, inquit S. Auguſt. *de illo ſanguis manaret, & Chirographum peccatorum noſtrorum adhuc maneret. Ægrote, quomodo ſanaberis, ſi de medicamento tuo erubeſcis?*

Denique, *tetigit fimbriam veſtimenti ejus*. Veſtis Chriſti Eccleſia: Fimbria veſtimenti eſt, qui in Eodẽ ſerm. Eccleſia humillimus eſt, ut Maria, Baptiſta, Paulus: qui dicebat, *Minimus ſum Apoſtolorum, tanquã fimbria de veſtimento Domini*, ait Aug. Tangit ergo fimbriam, qui humilibus conſentit, illos imitatur. Rom. 12. Quod jubet Apoſt. *Humilibus conſentientes*. D. Hieron. In epiſt. ad Marcell. deſcribens mores quorundam Sanctorum: *Inter hæc*, inquit, *quæ vel prima in Chriſtianis virtus eſt, nihil arrogant ſibi de continentia ſupercilii: humilitatis inter omnes contentio eſt: Quicunque noviſſimus fuerit, hic primus putatur.* D. Auguſt. confitens ſuam ſuperbiam, qua volebat videri ſapiens, & inflabatur ſcientia: Li. 7. conf. ca. penult. *Ubi*, inquit, *erat illa ædificans charitas à fundamento humilitatis, quod eſt Chriſtus* JESUS? Pſalm. 137. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta*

alta à longè cognoſcit. Sub oculis Domini, inquit Aug. *eſt & humilis & elatus: ſed humilem, quia placet, proximus videt, videlicet ad miſericordiam; ſuperbum, quia diſplicet, longinquus agnoſcit, videlicet ad vindictam.* Sicut per fimbriam Domini, ſic per ſudaria & ſemicinctia, cùm Pauli corpus tetigiſſent, miracula non ſolita edebantur. Auguſt. & Proſp. in illum Pſal. Actor. 19.

Ex quibus videas, tam Domini quàm Pauli exemplo & autoritate, cultum ſacrarum reliquiarum in Eccleſia inſtitutum, ſtabilitum, idemque ab Evangeliſtis teſtatum, ac miraculis comprobatum; ut non ſit qui jure calumniam facere poſſit, ſi exemplo Hæmorrhoïſſæ, & aliorum qui (quod ait Marcus) tangentes eandem Domini fimbriam ſanabantur, atque Epheſiorum credentium, Chriſti, Pauli, ac cæterorum ſanctorum quiſque fidelium reliquias petat, ut ex illis hauriat illam gratiam, quam illi olim ſunt prævia fide conſecuti. Dicant hagiomachi (ſi qua tamen in eis umbra ſaltem Evangelicæ veritatis reliqua ſit;) ſi eadem ipſa Chriſti veſtimenti fimbria exſtaret hodie, ſique illa ipſa Pauli ſudaria ac ſemicinctia haberentur, atque ob ipſorum oculos ponerentur, quid quæſo facturi eſſent? averſarenturne? Si eò temeritatis & pervicaciæ perveniſſent, ut execrarentur, certè non aliorum dæmonum ſe participes eſſe ſignificarent, qui eadem Pauli ſudaria ac ſemicinctia exhorreſcentes, potius quam illa pati ſuſtinentes, ab obſeſſis diu corporibus fugiebant. Matth. 14. Marc. 6. Vide par. 1. Mon. 58. Actor. 19.

Si autem hæc mulier & alii infirmi ſanati ſunt corpore tangendo fimbriam veſtimenti, quo

corpus Chriſti tegebatur; quomodo non magis ſanabuntur animo, qui ipſum Chriſti corpus in Sacramento tangunt magna fide, fiducia, humilitate? De ipſo dicit D. Hieron. quod *calore Spiritus Sancti exſiccat fontes libidinum*. De eodem S. Auguſt. *quod ligno crucis digerit inimicæ arboris venenatum hauſtum*. De eodem D. Cyrill. *quod ſedat ſævientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, colliſos redintegrat, atque ab omni nos erigit caſu*. Denique D. Proſp. *Liberum primi hominis arbitrium*, inquit, *ſua prævaricatione bibit omnium vitiorum venenum, & totam naturam hominis intemperantiæ ſuæ ebrietate madefecit: ſed edendo carnem filii hominis, & bibendo ejus ſanguinem, lethalem ejus digerit cruditatem.*

In epitaph. Licinii Bætici. Epiſt. 106. Lib. 4. in Ioan. c. 17. Cont. Collat. cap. 19.

MONITUM XXXVI.

Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.

Luc. 8.

HÆc ſeminatio ad gentes pertinet. Olim in Judæa ſeminando laboraverunt Prophetæ; in adventu Domini matura meſſis inventa eſt. Miſſi ſunt meſſores Apoſtoli cum falce Evangelii, & portaverunt manipulos ad aream Dominicam, id eſt, ad Eccleſiam Chriſti. Ad gentes miſſi ſunt Apoſtoli ſeminatores, in fine ſeculi Angeli meſſores erunt, qui triticum, ſeu electos Domini in horreum ejus congregabunt.

Aug. Serm. 119. in Nov.

Ergo

Ergo Apoſtoli & alii prædicatores jam in gentibus laborant ſeminando, & Dominus in eis, de qua re hæc parabola loquitur. Unde dicitur, *Exiit*, quia Iudæos reliquit, & tranſivit ad gentes. *Illorum delicto ; ſalus eſt gentibus*. *Vobis* (inquit Paulus ad Judæos) *oportebat primùm loqui verbum ; ſed quoniam repellitis illud , ecce convertimur ad gentes ; ſic enim præcepit nobis Dominus*. Et eſt parabola eruditiſſima ; qua indicatur quadruplex genus auditorum Verbi Dei , quod ſemen eſt ſpirituale, unde adjuvante gratia , in proclivi eſt ; fœtum concipere, qui brevi coaleſcat , & in lucem prodeat. Rom. 11. Actor. 13.

Alind, inquit Dominus, *cecidit ſecus viam*, id eſt, in homines qui extra viam ſunt ; non enim dicit, in via, ſed ſecus viam. Via, Chriſtus ; *Ego ſum via*. Via, pœnitentia ; *Parate viam domini*, id eſt, agite pœnitentiam. Via, fides, juſtitia, patientia ; miſericordia, & cæteræ virtutes ; *Notas mihi feciſti vias vitæ*, id eſt, fidem, manſuetudinem ; juſtitiam, miſericordiam, caſtitatem, ait Ambroſ. his enim itineribus pervenitur ad vitam. Qui ergo de Chriſto , de pœnitentia ; de mutanda vita non cogitant ; ſunt ſecus viam , ut infideles , hæretici, perverſi Chriſtiani. Ab iis *conculcatur ſemen* , id eſt , contemnitur Verbum. Sunt porci , qui margaritas conculcant pedibus ; ſunt canes, qui etiam ipſos prædicatores invadunt , lacerant. Ioan. 14. Matth. 3. Pſalm. 15. Serm. 74. Matth. 7.

Et volucres cœli, ſunt ſuperbi dæmones, quibus hic caliginoſus aër plenus eſt , ubi homines tentant , circumeuntque quærentes quem devorent. *Initium omnis peccati ſuperbia eſt* , inquit Sapiens: 1. Petri. 5. Eccleſ. 10.

De nat. & grat. c. 29. *quoniam Diabolum, à quo extitit origo peccati, ipſa devicit*, ait D. Aug. rapiunt ſemen de corde eorum, quia impediunt, ne intret cor; ſeminatum ibi erat, quantum attinet ad ipſos ſeminatores; alioqui re-vera ſolum pulſant aures corporis, ad cor non tranſeunt; & comedunt ita ut nullum ibi fructum proferat, niſi amaritudinis, odii, contemptus, perſecutionis. Sic prædicatio veritatis eſt illis *odor mortis in mortem*. Queritur Dominus de talibus; *Tota die expandi manus meas ad gentem non credentem, & contradicentem mihi*. Alii ſimpliciter non credunt, alii etiam contradicunt.

2. Cor. 2.

Iſai. 65.

Aliud cecidit ſupra petram, id eſt, in homines duros, in quibus tamen aliqua eſt, ſed exigua terra, & humor, id eſt, gratia ſpiritus Sancti, ſeu amor juſtitiæ & verbi; & quia exiguus eſt, facile perit, atque evaneſcit, exurgente tentatione. Hinc dicitur in Evang. *Orto ſole*, id eſt, æſtu tentationis urente, *aruit ſemen, quia non habebat humorem*, vel radicem, ſcilicet altam. *Radix omnium malorum eſt Cupiditas; radix omnium bonorum eſt Charitas*, ait S. Aug. Afficiuntur ergo illi erga verbum Dei, & contemplatione veritatis delectantur, ſed delectatio iſta non eſt tanta, ut poſſit vincere etiam communes hujus vitæ tentationes; hinc illis ſurgentibus, affectum bonum conceptum perdunt, & cadunt. *Manifeſtum eſt*, inquit S. Aug. *ſecundum id nos vivere, quod ſectati fuerimus; ſectabimur autem, quod dilexerimus. Itaque ſi ex adverſo exiſtant duo, præceptum juſtitia, & conſuetudo, ſeu cupiditas carnalis, & utrumque diligitur, id ſectabimur, quod amplius dilexerimus*. Sic Aug. de ſe ante converſionem; *Iam certum habebam, eſſe melius tua charitati me dedere, quam*

Apud Proſ. Sent. 112.

In cap. 5. ad Gal.

Lib. 8. conf. ca. 5. & 11.

quàm meæ cupiditati cedere ; ſed plus valebat in me deterius inolitum, quàm melius inſolitum.

——————*Video meliora proboque :*

Deteriora ſequor: dicebat ille.

Aliud cecidit inter ſpinas, id eſt, in homines habentes & amantes divitias, voluptates, *&c.* Ubi notanda ſententia D. Gregorii ; *Quis mihi unquam crederet, ſi ſpinas divitias interpretari voluiſſem, maximè cum illæ pungant, iſtæ delectent ? & tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentes lacerant ; & cum uſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant.* Quod de divitiis ait Gregor. idem dicendum de voluptatibus, & aliis terrenis, quæ amariſſimis aſperguntur offenſionibus ac difficultatibus. Hom. 15. in Evang.

Habet hoc voluptas omnis, Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum, Ubi grata mella fudit,
Pungit, & nimis tenaci Ferit icta corda morſu, ait Boëth. *Interrogent ſe qui aliquid amant,* inquit Aug. *& ad id pervenire non poſſunt, videant, ſi non crucientur deſiderio, & cum pervenerint ad id quod illicitè deſiderant, attendant ſi non crucientur timore.* Et rurſum ; *Non poteris te convertere ad aliquam voluptatem, ubi ſpinas non ſentias. Elige quod volueris, eſto avarus, luxurioſus, ambitioſus. In honorum cupiditate quantæ ſpinæ ? in luxuria libidinum, quantæ ſpinæ ? in ardore avaritiæ, quantæ ſpinæ? Amores turpes quantas moleſtias habent, quantas ſollicitudines hic in iſta vita? Omitto gehennam. Vide ne jam ipſe tibi gehenna ſis.* De Conſ. phil. lib. 3. met. 7. In pſal. 53. In pſal. 102.

Iſti ergo habent utcunque altam radicem, magnum affectum & charitatem erga Verbum Dei & juſtitiam ; ſed habent ſpeciales quaſdam tenta-

 tiones,

tiones, & cupiditates, vel opum, vel voluptatum,*&c*.quæ cùm creverint,ſuperant amorem Dei & juſtitiæ. Creſcit enim amor nummi, quantum ipſa pecunia; ſic libido ſemper famem ſui habet, uſu & conſuetudine creſcit.Hinc dicitur in Evang. *Creverunt ſpinæ, & ſuffocaverunt illud. Eſt enim amor,* ait D.Proſp.*qui poteſt alio amore ſuperari, & ſæpè dilectio Dei ex mundi dilectione marceſcit.*

Lib.2.de voc.gent. cap.11.

Aliud cecidit in terram bonam. Illi ſunt qui magno affectu & delectatione, & tanta quidem, ut aliarum rerum delectationes vincant,quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo homines peccare ſolent, verbum Dei audiunt ac retinent, & fructum adferunt, hi majorem, illi minorem. Alii enim ex hoc ſemine ad tantam charitatem proficiunt, ut omnia terrena contemnant,atque abjiciant; alii ex eodem ſemine diſcunt temporalibus temperanter ac miſericorditer uti:utrumque bonum,ſed alterum melius. Alii rurſum ita proficiunt,ut caſtiſſimè ſine omni conjugio vivant;alii ut conjugio caſtè ac legitimè utantur: utrumque bonum, alterum melius. Denique alii ita proficiunt, ut vitam ipſam pro fide ac juſtitia per varia tormenta profundant: alii chriſtianè quidem & ſanctè vivunt, nondum tamen ea fortitudine ſunt prædìti.

Vide V.Bedam in Cant.cap.1.

Unde autem hujus profectus ex eodem ſemine inæqualitas? Dicebat Iulianus Pelagianus, quod exceptis quæ ad carnis ſtimulos pertinent, in arbitrio ſit animi noſtri ſitum, cui ſe amori, vel quantum ſubdiderit. *Sed hoc falſum eſt*, inquit V. Beda. *Quare enim tanta multitudo fidelium diligere quærens conditorem ex toto corde, tota anima, tota virtute.*

virtute, & proximum quemque ut ſeipſum, non ſemper hoc quod cupit, obtinet? niſi quia amor idem non ad animi movetur arbitrium, ut Iulianus exiſtimavit, ſed ut novit Paulus, charitas Dei diffunditur in cordibus Rom. 8. *noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis?* Rom. 12. *Ideoque non æqualis eſt in omnibus, quia habemus ſinguli donationes gratiæ, quæ datæ ſunt differentes.*

Dicitur autem, quod terra bona fructum adfert 2. Tim. 2. in patientia, quia ut ait Apoſt. *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto* IESU, *perſecutionem patientur.* Et Tract. de ideo D. Aug. reprehendit graviter Paſtores, qui ti- Paſt. c. 5. mentes eos quibus loquuntur, eorum corda non per labores præparant ad imminentes tentationes, (juxta ſententiam Sapientis, *Accedens ad ſervitu-* Eccl. 2. *tem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*) ſed etiam promittunt felicitatem hujus ſeculi, quam Deus ipſi ſeculo non promiſit. *Ille prædicit labores ſuper labores uſque in finem, venturos ipſi ſæculo, & tu vis ab iſtis laboribus exceptum eſſe Chriſtianum, qui* 2. Tim. 2. *quia Chriſtianus eſt, aliquid plus paſſurus eſt in hoc ſeculo? ait enim Apoſtolus, Omnes qui piè vivere vo-* 1. Theſſ. 3. *lunt, &c.* Et alibi, *Nemo moveatur in tribulationibus iſtis; ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus.* Et 1. Petri 2. D. Petrus; *Si benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum; in hoc enim vocati eſtis.* Dicebant gentiles, Chriſtianos etiam Deo ſuo, quem colunt, eſſe inviſos, quòd tanta paterentur, nec ab eo juvarentur. Quibus reſpondet Clem. Alexandr. Lib. 4. Stromat. *Iſta omnia propheticè eſſe prædicta, eoſque ſic exerceri ad tolerantiam, cui Deus promiſit hæreditatem, nihilque eos pati incommodi, cùm morte diſſolvantur ituri ad Dominum; hinc eis magis gratiam habent, qui præbeant occaſionem celerioris migrationis.*

Digitized by Google

Hæc ergo ſunt quatuor genera audientium Verbum Dei. *Non autem pertimuit Dominus*, ait S. Aug. *quod aliud cecidit ſecus viam, aliud in petroſa loca, aliud inter ſpinas. Si iſtas difficiles terras timeret, ad terram bonam non perveniret. Quid ad nos de infidelibus & perverſis? hoc ſolum ad nos, ne ſecus viam ſimus, ne ſaxum, ne ſpinæ, ſed terra bona. Non ſimus ſecus viam, ubi conculcatum ſemen velut avis auferat inimicus. Saxum non ſimus, ubi modica terra ſtatim facit germinare, quod non poſſit ſolem portare. Spinæ non ſimus, cupiditates ſeculi, ſollicitudines vitæ vitioſæ. Quid enim pejus ſollicitudine vitæ, quæ non permittit pervenire ad vitam? Quid miſerius, quam curando vitam, amittere vitam? Quid infelicius, quàm timendo mortem, cadere in mortem? Extirpentur ergo ſpinæ, paretur ager, ſuſcipiantur ſemina, perveniatur ad meſſem, horreum deſideretur, ignis non timeatur.* Ita Aug.

Serm. 119. in Nov.

Qui & alibi; *Quicquid loquimur in nomine Domini, quoniam Dei eſt loquentis per nos, imber Dei eſt: videte vos qualis terra ſitis. Nam quando pluvia venit ſuper terram, ſi bona terra eſt, fructus bonos parit; ſi mala terra eſt, ſpinas parit. Pluvia tamen dulcis eſt, & ſuper fructus, & ſuper ſpinas. Qui iſtis verbis auditis peior factus fuerit, & ſpinas de pluvia generaverit, ignem ſperet, pluviam non accuſet. Qui autem melior factus fuerit, & fruges de bona terra generaverit, horreum ſperet, pluviam laudet.*

In Pſal. 98. in fine.

MONITUM XXXVII.

Maria conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.

Luc. 2.

EXemplo ſuo docet nos Virgo Sanctiſſima Divinis eloquiis implere animum, regulis credendi, præceptis vivendi, ſanctè converſandi exemplis: atque ut modum ſciendi perſpectum habeamus, *Modus ſciendi,* inquit D. Bern. *eſt ut ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat.* Serm. 36. in Cant. *Videlicet ut id prius, quod maturius ad ſalutem; ſecundò ut id ardentius, quod vehementius ad amorem; tertiò ut tantum ad ædificationem tui & proximi.* Ac danda eſt opera, ut ea non ſolum diſcere, vel audire, ſed vel maximè, ad exemplum Virginis, conſervare ſtudeamus. Quod ſapientis eſſe affirmat Sapiens, dicens; *Theſaurus deſiderabilis requieſcet in ore Sapientis.* Duplex eſſe os oſtendit D. Aug. unum corporis eſt, alterum cordis; de quo Pſalmiſta: *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum.* De eodem & Eccl. 31. Pſalm. 125. hîc Sapiens loquitur. Theſaurus autem iſte deſiderabilis, cognitio eſt redemptionis generis humani, ſive quomodo homo debeat ſalvus fieri. Pſalm. 125. Pater Baptiſtæ ſcientiam ſalutis vocat. De quo & Luc. 1. Apoſtol. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Qui theſaurus ex Divinis eloquiis colligitur; cujus non ſolum inventio, ſed vel ſola inquiſitio 2. Cor. 4. præponenda etiam inventis theſauris, regniſque gentium, & ad nutum circumfluentibus corporis voluptatibus.

Pſalm. 118. *In corde meo*, ait David, *abſcondi eloquia tua*,
Ioan. 14. tanquam rem aliquam pretioſam. Et ipſe Dominus; *Qui habet verba mea, & ſervat ea, ille eſt qui*
Coloſſ. 3. *diligit me*. Et monet Apoſtolus; *Verbum Chriſti habitet in nobis abundanter*. Hortatur quoque Demetriadem Virginem D. Hieron.
Homil. 15. *Ama ſcripturas ſanctas, & amabit te Sapientia; hæc monilia in auribus & in pectore tuo hæreant*. Et D. Greg. inquit, *Verba Dei, quæ aure auditis, corde retinete. Cibus enim mentis eſt ſermo Dei; & quaſi acceptus cibus ſtomacho languente rejicitur, quando auditus ſermo in ventre memoriæ non tenetur: ſed quiſquis alimenta non retinet, hujus profectò vita deſperatur.*

Hic ergo *theſaurus requieſcit in ore Sapientis*. Sed
Eccl. 21. addit Sapiens; *Stultus autem glutit illum*. De quo & alibi: *Cor ſtulti quaſi vas confractum, ſapientiam non tenebit*. Sicut enim, quicquid pertuſo dolio infundis, perfluit; ita non conſervat verba Dei inſipiens, ex quibus hauritur *vera Sapientia; quæ eſt noſſe &*
In Pſal. 110 *amare Deũ*, ut inquit S. Proſp. *Qui audit*, ait D. Aug.
Serm. 54. in Nov. *& negligentiâ fit oblivioſus, quaſi glutit quod audivit: ut jam in ore non ſapiat, auditionem ipſam oblivione*
Iacobi 1. *ſepeliens*. Auditorem verbi oblivioſum reprehendit Iacobus, & comparat eum *viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit enim ſe, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit*. De Nepotiano ſuo di-
In Epitap. In epiſt. ad Furiam. cit S. Hieron. *quod lectione aſſidua, & meditatione diuturna pectus ſuum bibliothecam fecerat Chriſti*. Et de alia ſancta inquit, *Audires totam veteris & novi teſtamenti ſupellectilem ex illius corde fervere*. Et ad Lætam ſcribens de inſtitutione filiæ, *Pro gemmis*,
In epiſt. ad Lætam. inquit, *& ſerico Divinos codices amet; ac hiſce opibus pectoris ſui cellarium locupletet.*

Addit

Addit Lucas, *Conferens in corde ſuo*; quo ſignificatur primò, quod ea diligenter cum animo ſuo expendebat, ruminabat, meditabatur: quod facit ad excitandos affectus. Unde Propheta David, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis. Sunt quædam ſancta delitiæ in libris,* inquit Aug. *ſunt gaudia ſpiritualia ex Divinis eloquiis, ſcrutatis, & inveſtigatis, ex dulcedine inventionis, quam præceſſit labor inquiſitionis. Chriſtianus debet eſſe ſimilis animalibus, quæ quia ruminabant, munda dicebantur. Quando legis vel audis,* ait idem Aug. *manducas; quando inde cogitas, ruminas; ut ſis animal mundum, & ruminando delecteris.* Pſalm. 38. In pſal. 38. Sent. 193. In pſal. 36. conc. 3.

Animalia immunda erant, quæ non ruminabant, & *ſunt qui cùm libenter audiunt verba ſapientiæ, poſtea de his omninò non cogitant. Spiritualiter autem ruminare, eſt quod utile audieris, ab inteſtino memoriæ, tanquam ad os cogitationis, recordandi dulcedine revocare. Non oportet à ſegetis aſperitate abhorrere, ſed oportet vellere ſpicas, & tamdiu verſare manibus, contritaſque purgare, donec ad eſcam perveniatur. Totum quidem quod legimus in divinis libris nitet & fulget,* inquit S. Hieron. *ſed dulcius in medulla eſt.* Ubera Matris Eccleſiæ (quæ ſunt ſcripturæ veteris & novi Teſtamenti) cõcuti & premi debẽt, ut inde lac exprimatur, quod nutriat. Sic paralyticus aperto tecto ad Dominũ deponendus eſt. *Fortè enim latet medicus & intus eſt;* id eſt, *verus intellectus in ſcripturis occultus eſt. Exponendo quod occultũ eſt, aperis tectum, & deponis paralyticũ.* Habet Propheta de filiis excuſſorum. *Excuſſi*, ſunt Prophetæ, ſunt Apoſtoli. *Filii excuſſorum,* qui eorum miniſterio vel doctri- Lib. 6. cõt. Fauſt. ca. 7. in pſal. 46. in præfa. & initio 141. Ad Paulin. De Gen. ad lit. lib. 1. cap. 20. De Vtilit. cred. cap. 1. Luc. 5. Tract. de Paſtor. 16. cap. 6. Pſal. 116. Vide Aug. in pſa. 116.

doctrina fideles facti ſunt, & eos in converſatione ac moribus imitantur. Multa in eis occulta ſunt, excuti debent, & diligenti meditatione, ruminatione, inquiſitione eruenda, & manifeſtanda ſunt.

Beda in cap. 2. Luc. Secundò, ſignificatur quod Virgo Sanctiſſima, quia *Sanctas Scripturas legerat, & ſciebat Prophetas, conferebat ſecum ea, quæ ſunt acta de Domino, cum his quæ noverat à Prophetis ſcripta de Domino; & collata ad invicem, inſtar cœleſtium Cherubin ſocia ſui vultus luce concordia cognovit*. Unde etiam ex hujuſmodi contemplatione fides ejus confirmabatur, devotio, ſpes, & charitas excitabatur & augebatur. Sic Apoſtolus in epiſtolis ſuis confert ea quæ videbat fieri in excæcatione Iudæorum, converſione gentium, cum iis quæ de iiſdem erant prædicta à Prophetis, oſtendens eſſe conformia, ad fidei & veritatis confirmationem. Ita Eccleſia, quæ ſedes eſt, & firmamentum veritatis, eam firmat per Prophetarum vaticinia conſona eventui, ut pulchrè explicat Aug. contra Fauſtum.

Ad Roma. & alibi.

1. Tim. 3.

Lib. 13. c. 7. & ſeq.

Clariſſimè oſtendit ea quæ in ipſa fiunt & facta ſunt, eſſe in ſcripturis prædicta, iiſque planè conſona, etiam ipſas perſecutiones, quas primùm paſſa eſt ab alienis, id eſt, gentilibus; deinde à filiis, quos aliquando in utero portavit, in baptiſmo genuit, uberibus ſuis enutrivit, id eſt, hæreticis. Ita & nos ad exemplum Virginis, ea quæ audimus vel videmus, cum iis quæ in Scripturis antè prædicta & prædicata ſunt, conferre debemus, quæ concordia invenientes, multum in fide Catholica ac unitate Eccleſiæ confirmamur, ut ſunt multitudo pſeudoprophetarum, & ſequentium eos, abundantia iniquitatum, interitus fidei ac

Matth. 24.

charita

charitatis, prælia & opiniones præliorum, *&c.* Luc. 16.

Hæc infirmos facilè turbant ac ſcandaliſant; ſed fortes, & omnia bene expendentes, fortiores faciunt, quia vident iſta evenire, ut prædicta ſunt. *Cum*, inquit Aug. *prædicta ſint, mirandum non eſt, ſi exurgant; ſed vigilandum, ne noceant.* Qui etiam oſtendens fidei Chriſtianæ veritatem, eamque infidelibus approbare cupiens; *Omnia*, inquit, *quæ præteritis temporibus erga humanum genus Majores noſtri geſta eſſe meminerunt, nobiſque tradiderunt: Omnia etiam quæ nos videmus, & poſteris tradimus, quæ tamen pertinent ad veram Religionem quærendam & tenendam, Divina Scriptura non tacuit, ſed ita omnino cuncta tranſeunt, ut tranſitura eſſe prædicta ſunt. Videtis certè populum Iudæorum avulſum à ſedibus ſuis, per omnes ferè terras diſſeminatum, atque diffuſum. Et origo ejuſdem populi, & incrementa, & regni amiſſio, & per cuncta diſperſio, ſicut prædicata, ita facta ſunt. Videtis certè ex ipſo populo Verbum Dei, legemque prodeuntem, per Chriſtum qui ex illis mirabiliter natus eſt, omnium gentium fidem occupaſſe, atque tenuiſſe. Ita hæc omnia prænuntiata legimus ut videmus. Videtis certè multos præciſos à radice Chriſtianæ ſocietatis, quæ per ſedes Apoſtolorum & ſucceſſiones Epiſcoporum, certa per orbem propagatione diffunditur, de ſola figura originis, ſub Chriſtiano nomine, quaſi areſcentia membra gloriari, quas hæreſes & ſciſmata nominamus. Præviſa, prædicta, ſcripta ſunt omnia.* Epiſt. 141. Epiſt. 42.

Videtis certè ſimulachrorum templa, partim ſine reparatione collapſa, partim diruta, partim clauſa, partim in uſus alios commutata. Ipſaque ſimulachra vel confringi, vel incendi, vel includi, vel deſtrui; atque Aug. ibid.

ipſas hujus ſeculi poteſtates, quæ aliquando pro ſimulachris populum Chriſtianum perſequebantur, victas & domitas, non à repugnantibus, ſed à morientibus Chriſtianis, & contra eadem ſimulachra, pro quibus Chriſtianos occidebant, impetus ſuos, legeſque vertiſſe, & Imperii nobiliſſimi culmen eminentiſſimum, ad ſepulchrum piſcatoris Petri, ſubmiſſo diademate ſupplicare. Hæc omnia ſcripturæ Divinæ, quæ in manus omnium jam venerunt, ante longiſſima tempora futura eſſe, teſtatæ ſunt. Hæc omnia tantò robuſtiore fide lætamur fieri, quantò majore authoritate prædicata eſſe in ſanctis literis invenimus.

Epiſt.3.ad Voluſianum.

Et alibi plura adhuc enumerans; *Quem non moveat,* inquit, *ad credendum, tantus ab initio ipſe rerum geſtarum ordo, & ipſa connexio temporum: præteritis fidem de præſentibus faciens, priora poſterioribus, & recentioribus antiqua confirmans. Hæc omnia, ſicut leguntur prædicta, ita cernuntur impleta, atque ex his jam tot & tantis, quæ reſtant expectantur implenda.* Ita Aug.

MONITUM XXXVIII.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas, Sapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, &c.

Matth. 23.

De Civit. lib.16.c.13.

DIabolus ab initio mundi bonos ſemper per malos perſecutus eſt. Sic in ipſa mundi origine Abel juſtus à fratre impio primus occiditur. Thare, domus patris Abraham, ob veri Dei cultum à Chaldæis premitur: Iacob fugatur, Ioſeph venum

venundatur, Davidem Saul perſequitur, Eliam rex Achab, Daniel in lacum leonum mittitur, Zacharias inter templum & altare interficitur, Hieremias in nervum conjicitur, & tres pueri in fornacem ardentem. *Alii*, inquit Apoſtolus, *ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres; lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, &c.* In novo autem teſtamento quàm graves perſecutiones ab impiis perpeſſi ſint Chriſtiani, quis ignorat? Iudith c. 5. Hebr. 11.

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem,

quibus affecti ſunt ſancti Dei homines, diverſis locis & temporibus agentes.

Si cauſam quæras, ſicut non poteſt eſſe pax inter Chriſtum & Belial, ita inter Civitates illas duas, quarum altera piorum eſt, altera impiorum, concordia eſſe nequit. Sanctæ Civitatis Chriſtus conditor eſt; Civitatis impiæ Diabolus fundator & rector eſt. *Illam conſtituit amor Dei uſque ad contemptum ſui; hanc è diverſo amor ſui uſque ad contemptum Dei: utitur illa mundo, ut fruatur Deo; hæc contrà, Deo utitur, ut mundo perfruatur:* peregrinatur illa hîc, & manentem Civitatem in terris non habens, futuram inquirit: unde quidam hujus Civitatis civis, *Advena ego ſum in terra, & peregrinus ſicut omnes patres mei*; hæc verò hujus mundi ineſcata delitiis, in terrena felicitate penitus acquieſcit. Eo fit, ut quicquid huic adverſum ſenſerit, removere conetur, & propter hanc ſuam cupiditatem, odio habeat & perſequatur veritatem. *Habere iniquitas*, inquit Leo, *non poteſt cum juſtitia pacem, temperantiam* De Civit. li. 14. c. 28. Aug. de Civit. lib. 14. cap. 28. De Civit. li. 16. ca. 7. Hebr. 13. Pſalm. 38. Serm. 9. de Quadr.

odit

odit ebrietas, non amat ſuperbia manſuetudinem, falſitati nulla eſt cum veritate concordia. Ac ſicut in eodem homine *contra ſpiritum caro, & contra carnem ſpiritus concupiſcit*; ità in eadem Republica cum bonis mali pacem habere non poſſunt. *Si de mundo fuiſſetis*, inquit Chriſtus, *mundus quod ſuum erat, diligeret: quia verò de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus.* Magnum certè in hac ratione piorum ſolatium conſtitutum eſt.

Galat. 5.

Ioan. 15.

Maximè autem perſequitur Diabolus Paſtores Eccleſiæ, & Sacerdotes, ſicut dicit D. Leo; *Sæviebat hoſtis in electiſſima quæque membra, & maximè eos qui Sacerdotalis erant Ordinis impetebat.* Hi enim ſunt veritatis doctores, ſunt incentores & duces ad peccato repugnandum, ſunt cuſtodes contra lupos. Sic Elias à Ieſabel perſecutionem paſſus, quæ & Prophetas Domini occiderat. Unde & illa ejus querela; *Prophetas tuos occiderunt, & quærunt animam meam.* Sic Michæas ob prædicationem veritatis odio habitus, incarceratus, ac *pane tribulationis, & aqua anguſtiæ* ſuſtentatus: ob eandem cauſam Iſaias ſectus, & Ieremias cum ſcriba Baruch afflictus, Ioannes Baptiſta truncatus, lapidatus Stephanus, Petrus crucifixus, Paulus capite mulctatus, Polycarpus igni addictus, devoratus à beſtiis Ignatius.

Serm. de S. Laurent.

3. Reg. 19.

3. Reg. ultimo.

Contra Athanaſium totus penè conſpiravit orbis, & vix aliquis locus, ejus ignorat exilium. Ambroſium perſecuta eſt Iuſtina Imperatrix Ariana, cujus ſæpè expertus eſt *rabiem fœmineam quidem, ſed regiam.* Hilarium in exilium egit Conſtantius Arianus, quem poſtea *de prælio hæreticorum revertentem*, ut ait Hieronymus, *Galliarũ Eccleſia com*

Aug. lib. 9. Confeſſ. c. 7.

Adverſ. Lucifer. cap. 7.

complexa eſt. De ſe & Auguſtino idem Hier. ait; *Catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur, atque ſuſpiciunt; & quod ſignum eſt majoris gloriæ, omnes hæretici deteſtantur, & me pari perſequũtur odio, ut quos gladiis nequeunt, voto interficiãt.* In epiſt. ad Auguſt.

Rectè ergo Chriſtus Dominus; *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis*, &c. Hi ſunt, qui ſalutiferæ veritatis præconium faciunt, quam mundus ferre non poteſt, & facilior ſperatur victoria, ſublatis per mortem aut fugam ducibus, aut cuſtodibus. Unde D. Cyprian. *diabolus maximè Præpoſitos perſequitur, ut gubernatore ſublato, atrocius atque violentius circa Eccleſiæ naufragia graſſetur*. Et D. Baſil. *Abiguntur Paſtores, ut diſpergantur greges*. Ideo & Iulian. Apoſtata volens paganiſmum inducere, Præſules è civitatibus feſtinavit ſubmovere, ut eorum abſentiâ Eccleſia paulatim ſolveretur, & lapſu temporum, ſuam Chriſtiani religionem obliviſcerentur. Sic juſta fuit querela populi Dei, tempore Vandalicæ perſecutionis, cum videret Sacerdotes Dei in exilium cogi. *Quibus nos miſero, relinquitis*, dicebat, *dum pergitis ad coronas? Qui baptiſaturi ſunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentiâ obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? qui nos ſolennibus orationibus ſepulturi ſunt morientes? à quibus ſacrificii Divini ritus exhibendus eſt conſuetus?* Lib. 1. epiſt. 3. Epiſt. 70. Lib. 6. Hiſt. Trip. c. 27. Vict. Vticenſ. lib. 2. Hiſt.

Siaut em & ipſi Paſtores corrumpantur, magna quadam authoritate errantem Paſtorem ſequuntur oves, nec poteſt Dominicum ovile tutum eſſe, quando is lupus eſt, qui cuſtos creditur. *Multos*, inquit D. Proſp. *reverentia eorum aut inutili cohibet* In epiſt. ad Auguſt.

bet ſilentio, aut incurioſo ducit aſſenſu: ac ſi promoveantur, *& his qui eos audiunt*; *& iis qui audiuntur*, 3. Reg. 22. *cum dignitate creſcit periculum*. Micheæ Prophetæ triſtiſſimum fuit, *quod Iſraëlem diſperſum videret in montibus, quaſi oves non habentes Paſtorem*. Et Daniël. 3. ita tres pueri apud Danielem queruntur; *Non eſt in hoc tempore Propheta, neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio*, &c. *ut poſſimus invenire* Poſſid. in vita, ca. 28. *miſericordiam tuam*. Hoc etiam deplorabat & deflebat D. Aug. in devaſtatione Africæ: *Eccleſias deſtructas, miniſtris & Sacerdotibus deſtitutas, hymnos & laudes de eis defeciſſe, ſacrificia & Sacramenta vel non quæri, vel quærentibus qui tradat, nõ inveniri*.

Sic nunc multo magis lugendum Catholicis, ſacrificio eos præſtantiſſimo, quo ira Dei placatur, miniſterio Sacramentorum, quæ peccatorum ſunt remedia, prædicatione veritatis, quâ anima Chriſtiana optimè paſcitur, cæteriſque ſimilibus privari. Philippus Macedo pacem ſeſe cum Athenienſibus cupere ſimulans; *hac ratione illam facilè coire poſſe cenſuit; ſi populi duces atque oratores dederentur*. Quod ejus callidum conſilium cum Demoſthenem non latuiſſet, produxit in medium veterem de lupis agniſque fabulam, *inter quos* (lupis id quidem ſubdolè aſſerentibus) *pax conſtare firma potuiſſet, ſi paſtores traderentur & canes; aut certè iidem abigerentur, ne belli* Hom. 6. ad popul. *authores atque incentores eſſe pergerent*. *Tollere Præpoſitos*, inquit Chryſoſt. *eſt omnem vitæ noſtræ ordinem tollere, eſt gubernatorem à navi ſeparare, Ducem ab exercitu*.

Fugatis ergo aut corruptis Paſtoribus, & Prælatis, non erit qui ſalutis viã demõſtret, qui lupos ab ovilibus

ovilibus arceat, Divina Sacramenta miniſtret, qui ſacrificando & orando *murum ſe pro domo Dei opponat*, quod deplorat Ezechiel de ſuo tempore; Ezech. 22
& ſic paulatim populus Chriſtianus in Chriſtianæ religionis oblivionem deveniet, quam extinctam cupit Diabolus. Unde facilè etiam quis advertit quæ ſit vera Religio, quam Diabolus perſequitur, quæ ſola ei adverſatur, & lædit: in reliquis enim, ſicut olim ſub variis ſimulachris, ita nunc ſub variis hæreſibus ipſe colitur; unde etiam apud hæreticos omnibus aliis profeſſionibus datur libertas, ſoli Catholici exturbantur vel impediuntur. *Sola enim Eccleſia Catholica eſt*, inquit Lactant. *quæ verum cultum retinet; hic eſt fons veritatis; hoc eſt domicilium fidei, hoc templum Dei. Quo ſi quis non intraverit, vel à quo ſi quis exiverit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt.* Lib. 4. de vera ſapient.

MONITUM XXXIX.

Spera in Domino, & fac bonitatem.

Pſalm. 36.

HOmo dum integer eſſet in primæ creationis innocentia, æternam vitam à ſolo Deo omnipotente ſperabat, qui ſolus beatam facere poteſt creaturam rationalem: ſed per bona opera ſua, tanquam per merita, obtinere eam ſperabat, propter quæ ſola Deus vitam æternam largiri voluit. Ideoque ſpes integri hominis non innitebatur gratiæ Dei, ſed omnipotentiæ ejus, tan- Eccl. 15.

quam effectrici beatitudinis, & bonis operibus tanquam meritis. Sic & homo lapſus ſperat à Deo ſolo vitam æternam, tanquam ab ejus effectore & largitore: ſperat quoque obtinere eam per bona opera, tanquam per merita: juxta illud
1. Joan. 4. Joannis; *Fiduciam habemus in die judicij, quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.* Quod non propter ſimilitudinem fidei dictum eſt, quæ in Chriſto nulla fuit, ſed propter ſimilitudinem dilectionis & patientiæ, quod noſtros toleremus & diligamus inimicos, ſicut Chriſtus ſuos dilexit ac toleravit.
Rom. 2. Et illud Apoſtoli; *Reddet unicuique ſecundum opera ejus, iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.*

Nihilominus jam poſt lapſum ſpes vitæ æternæ etiam in iis, qui multa ſibi bona merita ex Dei gratia compararunt, multis de cauſis miſericordiæ Dei inniti debet. Et primùm quidem, quia meræ gratiæ eſt, quod ſancti in bonis operibus perſeverent, & per ſequens peccatum efficaciam
Pſal. 126. meritorum præcedentium non amittant. *Niſi enim Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Etſi ergo eſſet quis, qui de benè acta vita valdè ſibi applauderet; tamen quantuſcunque is ſibi videretur, ruinam metuere deberet, vererique, ne ſuam hanc ſpem unius horæ lapſus ſubverteret; ideóque benè ambulantium ſpes in miſericordiam potiſſimùm adjutoris Dei reclinare debet, ut cum Propheta quiſque dicat;
Pſalm. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Et rurſum;
Ibidem. *In medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Deinde

Deinde quia gratiæ eſt, quod Deus condonet peccata juſtorum, juxta illud, *Beati miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur.* Quæ peccata, ſi ille miſericorditer remittere nollet, fruſtra à nobis juſtitiæ præmium exſpectaretur. De quo Aug. Tertiò, quia de operibus quæ fecimus, non habemus certa cognitione exploratum, bonáne fuerint, ac Deo grata; quòd de affectu cordis noſtri, & intimis deſideriis nobis iſit difficile judicium. *Quis tu es*, ait Ambr. *qui de tuo merito antè pronunties? cur prævenire deſideras cognitorem? cur eripis ſententiam judicaturo?* Poſtremò, quia gratiæ eſt, quod Deus operibus juſtorum, bonis quidem, ſed bonum non perficientibus, ſive non perfectè bonis, & proinde non perfectè merentibus, largiatur perfectum præmium, perinde ac ſi eſſent perfectè bona.

Matth. 5. De corrept. & grat. ca. 13. & alibi. De fid. re ſur. cap. 4.

Unde D. Hilar. in illud Pſal. 51. *Speravi in miſericordia Dei in æternum, &c. Spes, ait, in miſericordia Dei in ſeculum, & in ſæculum ſæculi eſt. Non enim illa ipſa juſtitiæ opera ſufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, niſi miſericordia Dei etiam in hac juſtitiæ voluntate, humanarum demutationum ac motuum vitia non reputet. Hinc illud Prophetæ dictum eſt: Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas; quia quamvis probabilis per juſtitiæ operationem vita juſtorum ſit, tamen per miſericordiam Dei plus meriti conſequetur. Ex hac enim vita in vitam proficit æternam, & operationem juſtitiæ. In tantum miſericordia Dei muneratur, ut miſerans juſtitiæ voluntatum, æternitatis quoque ſuæ juſtum quemque tribuat eſſe participem.* Et D. Fulgentius; *Vita æterna*, inquit, *etiam ideo gratia non injuſtè dicitur, quia non ſolum donis ſuis Deus dona*

Hilar. in Pſal. 51. Pſalm. 62. Lib. 1. ad Monim.

Digitized by Google

ſua reddit, ſed quia tantum etiam ibi gratia Divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamvis bona & ex Deo datæ humanæ voluntatis atque operationis excedat, ſicut ait Apoſtolus, Non ſunt condignæ paſſiones hujus Rom. 8. *temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Veruntamen triplex hæc gratia, nempe perſeverantia, remiſſio levium peccatorum, & exuberans remuneratio, gratis & miſericorditer à Deo tri- Lib. 2. de bon. perſev. cap. 6. buitur, præteritorum etiam meritorum intuitu. *Donum enim perſeverantiæ* (ait Aug.) *ſuppliciter emereri,* id eſt, impetrari *poteſt*. Omnes enim qui exaudiuntur orantes, Ne nos inducas in tentationem, impetrant perſeverãtiam. Remiſſionem quoque peccatorum fides impetrat, ideoque non eſt ſi- Epiſt. 105. ne aliquo merito, inquit Aug. Datur etiam propter Matth. 5. opera miſericordiæ, ſicut ait Dominus in Evang. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam con-* 2. Paral. 19. *ſequuntur*. Et ad Ioſaphat dicitur, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris; & idcirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inventa ſunt in te. In Dei judicio extremo,* De cor. & gratia, c. 13. ait Aug. *etiam miſericordia neceſſaria eſt, qua fiet bea-* Pſalm. 31. *tus, cui non imputavit Dominus peccatum; ſed tunc pro* Iac. 2. *bonorum operum meritis juſto judicio etiam ipſa miſericordia tribuetur. Cùm enim dicitur, Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam, manifeſtatur in his, in quibus inveniuntur bona opera miſericordiæ, judicium cum miſericordia fieri, ac per hoc etiam ipſã miſericordiã meritis bonorum operum reddi.* Sic Auguſt. Et pro operibus miſericordiæ Luc. 6. menſuram bonam, confertam, coagitatam, & ſupereffluen

pereffluentem, nobis in ſinum dandam, ait Dominus in Evangelio.

Cùm igitur hæ gratiæ tribuantur, etiam propter bona opera, ſpes Sanctorum quæ nititur gratiæ, etiam rectè bonis operibus inniti poteſt. Unde in orationibus ſuis ſancti allegant interdũ bona opera ſua, ut David in Pſalmis: *Iudica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum*. Et, *Non ſedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo*. Et Ezechias rex; *Obſecro, Domine*, inquit, *memento quæſo quomodo ambulaverim corã te in corde perfecto, & quod placitum eſt, coram te fecerim*. Et Nehemias; *Memento mei Deus meus in bonum, ſecundum omnia quæ feci populo huic*. Et iterum, *Memento mei Deus meus pro hoc, & ne deleas miſerationes meas quas feci in domo Dei mei*. Nec impetrant tantũ has gratias merita bonorum operum, ſed & probabilia nobis ſunt argumenta, quod Deus qui dedit initiũ, daturus ſit & finem; qui dedit parva, daturus ſit & magna, juxta illud dictum Matris Samſonis; *Si nos Dominus vellet occidere, de manibus noſtris holocauſtum & libamenta non ſuſcepiſſet, nec oſtendiſſet nobis hæc omnia*. Et illud Pauli; *Qui cœpit in vobis opus bonũ, perficiet uſque in diẽ Chriſti* IESU. Quantò enim plura bona opera fecerimus, tãtò majus habemus vitæ æternæ argumentũ. Pulchrè ad eum Sedulius:

Pſalm. 25. 4. Reg. 20. 2. Eſd. 5. 6. 13. Iudic. 13. Philip. 1.

Grandia poſco quidem, ſed tu dare grandia noſti;
Quem magis offendit quiſquis ſperando tepeſcit.

Non ſic ergo fiducia in ſola miſericordia Dei reponenda, quaſi nulla ſint vera merita hominis juſtificati, vel quaſi juſtificatio ſit imputatitia, non vera; vel quaſi nulla poſſit fiducia in bonis operibus collocari; ſed ſolùm quia ad ſuperbiam

Digitized by Google

evitandam utile ſit, non reſpicere propria merita, ſed Dei miſericordiam; quoniam de propriis meritis,an illa habemus,incerti ſumus.De miſericordia verò Dei,quod infinita ſit, dubitare non poſſumus. Unde D.Hilar.*Magis in Dei miſericordia ſpem ponunt juſti,quàm de ſua juſtitia confidunt.* Et Auguſtin. *Tibi,Domine*, inquit, *quotidie confitetur conſcientia mea, ſpe miſericordiæ tuæ ſecurior, quàm innocentia ſua.* Et Sanct. Ambroſius moriens dicebat, *Non timeo mori,quia bonum Dominum habemus. Sciens enim examen æquitatis Divinæ, de bono Domino dicit ſeſe magis, quàm de meritis ſuis confidere.* Quia enim bonis etiam cor proprium eſt inſcrutabile; unde & Apoſtolus ſeipſum judicare non audebat, etſi nihil ſibi conſcius: ideo bonis ſuis operibus non uſque adeò fidunt. Sicut enim ait V. Beda ad Dominum; *Etiamſi quid boni, tua gratia largiente fecero,quo fine hoc faciam, quáve diſtrictione à te penſetur ignoro.*

Apud Aug. lib. 2. in Julian. c.8. Lib. 10. confeſ.c.3. Poſſido. in vita Aug. cap.27. Hierem.17 1.Cor.4. In cap.18. Lucæ.

Nihilominus verum eſt quod dicit ſcriptura, fiduciam oriri ex bonis operibus, ut ſuprà Joannes dixit.*Fiduciam habemus in die judicii,quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.* Quod ipſum etiam affirmat Paulus; *Patientia operatur probationem*, id eſt, oſtendit nobis quantum in amore Dei profecerimus; *probatio verò ſpem.* Et monet Petrus; *Satagite ut per bona opera certam* (optima videlicet fiducia) *veſtram vocationem & electionem faciatis.* Sicut enim cum florem aſpicimus, inde ſperamus fructum ſuo tempore ſecuturum, ita ex bono opere ſeu flore,ſpem fructus æterni concipimus. Unde & ipſa bona opera Paulus confidentiam appellat: *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram*;

1. Ioan.4. Rom. 5. 2.Petri 1. Hebr.10.

veſtram;quod ex illis bona fiducia concipitur obtinendæ ſalutis : eo tropo, quo effectus cauſæ nomen ſortitur ; ſicut peccatum mortis hominis, quòd ei mortem conciliet. Et Ioannes ait : *Si cor* 1.Ioan.3.
noſtrum non reprehenderit nos, id eſt, ſi bona fuerit actæ vitæ conſcientia, *fiduciam habemus apud Deum*. Talis erat Iob, qui de ſe; *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Iob 27.

Præcipuè autem ſua bona opera intuentur Sancti, ut ex illis ſpem concipiant, quando ad deſperationem ſollicitantur : Sicut patet in Iob Propheta, qui cum in maximis eſſet ærumnis, & ad deſperationem ab amicis quodammodo pertraheretur, anteacta ſua bona opera commemorat. Sic & Ezechias moriturus, bonorum operum ſuorum mentionem facit. Et Paulus jam morti vicinus: *Bonum*, inquit, *certamen certavi, fidem ſervavi.* Idem & Hebræos tribulatos, bonorum operum, quæ antè fecerant, commemoratione conſolatur, hortaturque ne *amittant confidentiam ſuam*. Sic & alios diſcipulos. Et Sanct. Hilarion moriens dicebat, *Egredere anima mea, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis ſerviiſti Chriſto, & mortem times?* Hortatur David, *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino*; id eſt, ſic demùm ſperabitis in Domino. Quomodo & illud dictum eſt; *Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita in ſeculum*: id eſt, ita fiet ut inhabites in ſeculum ſeculi. Namque ut mercenarius ratione laboris, & miles ratione actæ militiæ, ſtipendium & mercedẽ exſpectant, ſic à Domino ſui laboris mercedem exſpectant ſancti, eóque fidètiùs & ſecuriùs, quo ſe ſentiũt magis laboraſſe.

Iob 29.30.31. 4.Reg.12. 2.Tim.4. Hebr.6. & 10. Hieron. in vita. Pſalm. 4. pſalm. 36.

Præclara & divina res, ſalutaris operatio, ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præſidium, munimentum ſpei, tutela fidei, medela peccati, inquit D.Cypr.Et S.Aug. *Debitor*, inquit, *factus eſt nobis Deus, non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit, promittendo nobis, ut dicamus ei, Redde quæ promiſiſti, quia fecimus quod juſſiſti: & hoc ipſum quod fecimus, tu feciſti, quia nos laborantes juviſti.* Addam hoc de B. Laurentio Iuſtiniano: Is cum ſuos lachrymari videret in morte: *Abite*, ait, *hinc cum veſtris lachrymis; tempus lætitiæ eſt, non lachrymarum.* Vox plena fiduciæ. Sed illa humilitatis, cum ei diceretur, Quàm læto animo migrare debes, ô pater, cui palma cœlorum parata eſt: *Decerni*, inquit *fortibus ſolet hæc palma, non pigris meique ſimilibus.* Sic in fiducia Macarium, in timore Arſenium referens, inter utrumque incedebat, ut cum fiducia metueret, nec ſine timore confideret.

Serm. de opere & eleemoſ. De verb. Apoſt. ſer. 16.

In vita, ca. 10.

MONITUM XL.

Domine ſi vis potes me mundare.

Matth. 8.

HIc leproſus multa nos docet. 1. Adorando Chriſtum, docet neminem hæreticos ſequi debere, ut putet omnem externum & ſenſibilem ritum, è cultu Dei ſubmovendum, cùm nec ipſi hoc faciant, ut in celebratione cœnæ, & ſimilibus. Cùm enim nos ita condiderit Deus

ut

ut animo & corpore conſtemus, ita à nobis colendus eſt Deus, ut totos nos illi exhibeamus, totique, id eſt, animo & corpore, illi ſerviamus; rectis ante omnia motibus animi, ac ſanctis cogitationibus; deinde & actionibus corporeis, conſpicuiſque ritibus eum venerantes, cùm hi ad cultum interiorem promovendum multum conferant. Naturalis quippe nexus animi & corporis id efficit, ut ſicut animi motus in corpus redundant, perque id ſeſe proferunt, ejuſque motibus & geſtibus exprimuntur; ita viciſſim excitati in corpore motus in animum ſe referant ac refundant, eumque excitent ac ferventiorem efficiant. Vid. Aug. epiſt. 121. De cura pro mort. cap. 5.

Sed nonne *veri adoratores patrem adorant in ſpiritu & veritate?* Ita; ſed veritas hîc non ſigno & umbræ, ſed errori & falſitati opponitur, ut is adoret in veritate, qui non errorem mentis colendo ſequitur, ut Samaritani; ſed qui vera fide colit Deum. Et in ſpiritu adoratur, quando ex recta in Deum voluntate, ac amore ſancto veneratio proficiſcitur, ut ſpiritus opponatur carnali & vitioſæ concupiſcentiæ, ut mens ab ejus dominatu libera, amplius in carne non ſit, id eſt carnali concupiſcentiæ non ſerviat; *quia qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Godefridus Tilmannus Carthuſ. in præfat. pro operibus Dionyſii Areopag. de Eraſmo refert, cū Lovanii eſſet accitus à viro Principe, eique bis terve ad genua procideret, à congreſſu vir pius ad eum accedens, *hoc unū*, inq. *oro Eraſme, permitte nos aliquando Chriſto exhibere ceremoniam illam, quam Principi, homini tamen & mortali, exhibuiſti.* Tum ille; *Quid tu (malum) neſcis Deum noſtrum* Ioan. 4. Rom. 8.

ſtrum in ſpiritu & veritate oportere adorari? Et hoc facimus, inquit ille. *Sed qui utrumque dedit, ab utroque homine cultum exigit, animi & corporis.* Riſit homo ſuavis, & præterea nihil. Ita Tilm. qui præſens intererat, & magnus tunc Eraſmi ſectator.

2. Fuit de ſua corporali munditie ſollicitus, ſic nos de ſpirituali ſollicitos eſſe oportet. *Miſerere animæ tuæ, placens Deo*, ait Sapiens. Munda eſt autem quando nullo errore aut cupiditate mala laborat; utraque enim re fœdatur. Curare ergo debet homo, ut habeat fidem ſinceram, ab omni pravarum opinionum labe purgatam. *Niſi enim quis fidem Catholicam integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit*, inquit D. Athanaſ. Deinde converſationem honeſtam & ſanctam, ut ei nulla dominetur iniquitas, faciatque quod monet Apoſt. *ut non regnet peccatum in corpore ſuo mortali. Nihil enim coinquinatum intrabit in cœleſtem Ieruſalem.* Queritur D. Auguſt. quod plerique omnes admodum ſolliciti ſint, ut habeant pulchram & bonam uxorem, filios, ſervos, agros, veſtes, etiam calceos & caligas: rarus ut habeat pulchram, & bonam animam. De ſe ante converſionem dicit; *In iſta quæ feciſti formoſa, deformis irruebam.* Et de mundanis; *Ecce pulchra ſunt cum eis omnia, & ipſi turpes ſunt. Rogo te*, ait Auguſtin. *præponas ſaltem animam tuam vel caligæ tuæ.*

Eccleſ. 30. — Auguſt. in Pſalm. 7. — In Symbolo. — Rom. 6. — Apocal. 21. — Serm. 3. in Nov. — Lib. 10. Conf. c. 27. — Lib. 5. c. 2.

3. Pro ſanitate ad Dominum recurrit, qui author eſt ſalutis omnimodæ; non ad Diabolum, vel ejus miniſtros, homines ſuperſtitioſos, qui remedia præſcribunt impia, quibus Deus non dedit ullam vim ad ſanandum, ſed ſanitas fit operatione

Cyprian. de Idol. vanit.

ratione Diaboli, *qui ceſſat corpus perſequi, quia jam cor obtinuit*, inquit Aug. Morbos enim facere Diabolum in humanis corporibus, patet in Iob, & quòd Paulus ſtimulum carnis, dolorem quendam corporis, vocet angelum ſatanæ, qui videlicet Deo permittente, à ſatana immitti ſolet; ut Aug. Dicitur de muliere inclinata, quod laborabat ſpiritu infirmitatis, & alligaverat eam Satanas: Et ut Hieron. in Lunaticis obſervat Diabolus tempus Lunæ, ut creatura Dei blaſphemetur; & ſic Deus.

Aug. qu. 79. inter. 83. Serm. 22. in Nov. In pſal. 130. & Luc. 13. In cap. 4. Matth.

De impiis autem remediis ita San. Aug. *Quandocunque ſuggeſta fuerint remedia iſta ſcelerata, dices: Moriar potiùs, quàm talibus remediis utar. Si vult Deus, flagellat & liberat me. Si novit, quia neceſſarium eſt, liberet me; ſi autem ſcit quia debeo exire de hac vita, ſive contriſter, ſive læter, ſequar voluntatem Domini. Ecce enim poſt parvum tempus, qua fronte excurſurus ſum ad Dominum? Non enim hoc mihi præſtant remedia Diaboli, quod præſtat Deus, vitam æternam. Quare ergo damno animam, emo paucos dies corpori meo? Beneficia dæmonum*, inquit Leo, *omnibus ſunt nocentiora vulneribus.* Et aliquando parcunt corpori, bonis, *ut ipſius hominis voluntati per impietatis errorem triumpho majore dominentur*, inquit. Aug. quæſtione citata.

Serm. 19. de paſſ.

D. Chryſ. etiam, *Superſtitioſa iſta quæ infirmis applicantur*, ait, *idololatriam ſapiunt. Si autem quiſquã diceret, duc ægrum ad templum idolorum, & vivet, ferres illum? Non, inquis. Cur? quia ad cultum idolorum adigeret. Sed hic nil minus, ſed occulitur ſeductio, & ſub melle porrigitur venenoſum pharmacum: ſciens enim te ad cultum idolorum adduci non poſſe, hac via* ingre

Hom. 8. in epiſt. ad Coloſſ.

Digitized by Google

ſtrum in ſpiritu & veritate oportere adorari? Et hoc facimus, inquit ille. *Sed qui utrumque dedit, ab utroque homine cultum exigit, animi & corporis.* Riſit homo ſuavis, & præterea nihil. Ita Tilm. qui præſens intererat, & magnus tunc Eraſmi ſectator.

2. Fuit de ſua corporali munditie ſollicitus, ſic nos de ſpirituali ſollicitos eſſe oportet. *Miſerere animæ tuæ, placens Deo,* ait Sapiens. Munda eſt autem quando nullo errore aut cupiditate mala laborat; utraque enim re fœdatur. Curare ergo debet homo, ut habeat fidem ſinceram, ab omni pravarum opinionum labe purgatam. *Niſi enim quis fidem Catholicam integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit,* inquit D. Athanaſ. Deinde converſationem honeſtam & ſanctam, ut ei nulla dominetur iniquitas, faciatque quod monet Apoſt. *ut non regnet peccatum in corpore ſuo mortali. Nihil enim coinquinatum intrabit in cœleſtem Ieruſalem.* Queritur D. Auguſt. quod plerique omnes admodum ſolliciti ſint, ut habeant pulchram & bonam uxorem, filios, ſervos, agros, veſtes, etiam calceos & caligas: rarus ut habeat pulchram, & bonam animam. De ſe ante converſionem dicit; *In iſta quæ feciſti formoſa, deformis irruebam.* Et de mundanis; *Ecce pulchra ſunt cum eis omnia, & ipſi turpes ſunt. Rogo te,* ait Auguſtin. *præponas ſaltem animam tuam vel caligæ tuæ.*

Eccleſ. 30. Auguſt. in Pſalm. 7. In Symbolo. Rom. 6. Apocal. 21. Serm. 3. in Nov. Lib. 10. Conf. c. 27. Lib. 5. c. 2.

3. Pro ſanitate ad Dominum recurrit, qui author eſt ſalutis omnimodæ; non ad Diabolum, vel ejus miniſtros, homines ſuperſtitioſos, qui remedia præſcribunt impia, quibus Deus non dedit ullam vim ad ſanandum, ſed ſanitas fit operatione

Cyprian. de Idol. vanit.

Digitized by Google

ratione Diaboli, *qui ceſſat corpus perſequi, quia jam cor obtinuit*, inquit Aug. Morbos enim facere Diabolum in humanis corporibus, patet in Iob, & quòd Paulus ſtimulum carnis, dolorem quendam corporis, vocet angelum ſatanæ, qui videlicet Deo permittente, à ſatana immitti ſolet; ut Aug. Dicitur de muliere inclinata, quod laborabat ſpiritu infirmitatis, & alligaverat eam Satanas: Et ut Hieron. in Lunaticis obſervat Diabolus tempus Lunæ, ut creatura Dei blaſphemetur; & ſic Deus. Aug. qu. 79. incer. 83. Serm. 22. in Nov. In pſal. 130. & Luc. 13. In cap. 4. Matth.

De impiis autem remediis ita San. Aug. *Quandocunque ſuggeſta fuerint remedia iſta ſcelerata, dices: Moriar potiùs, quàm talibus remediis utar. Si vult Deus, flagellat & liberat me. Si novit, quia neceſſarium eſt, liberet me; ſi autem ſcit quia debeo exire de hac vita, ſive contriſter, ſive læter, ſequar voluntatem Domini. Ecce enim poſt parvum tempus, qua fronte excurſurus ſum ad Dominum? Non enim hoc mihi præſtant remedia Diaboli, quod præſtat Deus, vitam æternam. Quare ergo damno animam, emo paucos dies corpori meo? Beneficia dæmonum*, inquit Leo, *omnibus ſunt nocentiora vulneribus.* Et aliquando parcunt corpori, bonis, *ut ipſius hominis voluntati per impietatis errorem triumpho majore dominentur*, inquit. Aug. quæſtione citata. Serm. 19. de paſſ.

D. Chryſ. etiam, *Superſtitioſa iſta quæ infirmis applicantur*, ait, *idololatriam ſapiunt. Si autem quiſquã diceret, duc ægrum ad templum idolorum, & vivet, ferres illum? Non, inquis. Cur? quia ad cultum idolorum adigeret. Sed hic nil minus, ſed occulitur ſeductio, & ſub melle porrigitur venenoſum pharmacum: ſciens enim te ad cultum idolorum adduci non poſſe, hac via* Hom. 8. in epiſt. ad Coloſſ.

ingre

ingreditur. Quid igitur, morieturne puer, inquis? Si hoc pacto vivet, tum mortuus eſt. Si verò ſine iſtis mortuus fuerit, revixit. Si, inquit, fidelis es, crucis ſignaculo utere, hoc tuum ſit ſcutum, hoc pharmacum. Deinde medicos dedit & medicinam. Si nec illi curaverint, nõ perit, ſed abit in cœlum, ad Dominum, quid ploras?

Eccleſ. 38. Paulam Romanam in doloribus crucis ſigno uſam ſcribit Hier. in ejus epitaph. Quam etiam Matronam crucis ſigno à cancro liberatam, aſſerit Aug.

De civit. li. 22. ca. 8.

Li. 9. Conf. cap. 4.

Denique ad Deum, exemplo Leproſi, per preces confuge, quomodo & Aug. in dolore dentium quo excruciabatur. *Incidit mihi admonere omnes meos*, inquit, *ut deprecarentur Dominum pro me, & quia loqui non valebam, ſcripſi hoc in cera, & dedi eis ut legeretur. Mox ut genua ſupplici affectu fiximus, fugit dolor ille.* Sic mirabiliter ſanatus quidam Innocentius, qui ſecandus erat, precibus bonorum, de quibus ipſe Aug. tunc præſens: *Domine, quas tuorum preces exaudis, ſi has non exaudis?*

De civit. ibid.

4. Agnoſcit & confitetur ejus potentiam, quæ ut in fide confirmetur, ſemper ante oculos habenda. Hæretici ei limites præfigere conantur & audent, quæ immenſa eſt. Angelus ad Virginem; *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Et Apoſt. *Potens eſt Deus facere ſupra quàm petimus, aut intelligimus.* Et, *Confidite in Domino, & in potentia virtutis ejus. Quis loquetur potentias Domini?* inquit David. *Verùm animus malignus,* ait D. Cyrill. *quæcunque non intelligit, ſtatim tanquam frivola, falſáque per arrogantiam ejicit, nulli cedens, nec aliquid ſupra ipſum eſſe exiſtimans; nec illi in mentem venit, nihil eſſe impoſſibile apud Deum. Demus,* inquit S. Auguſt. *Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare* non

Luc. 1. Epheſ. 3. Epheſ. 6. Pſalm. 105. Cyr. lib. 4. cap. 13. in Joan. Luc. 1. Auguſt. epiſt. 3.

non poſſe: at in rebus mirabiliter factis tota ratio facti eſt potentia facientis.

Quam variis modis manifeſtam facit, creatione rerum ex nihilo, conſervatione & gubernatione earundem; dum peccatores ſupplicia evadere non permittit; dum quos vult, etiam maximè rebelles ad ſe convertit, peccata pro ſua voluntate condonans; dum viliſſimos homines ad æternam gloriam perducit, exaltans humiles, deificans mortales; his accedunt miracula, quæ ſupra cognitum & curſum naturæ. Quibus etiam addi poteſt Dei incarnatio, quæ ut D.Leo, *omnia miracula, omnemque intelligentiæ rationem excedit*; de qua etiam dicitur, *Generationem ejus quis enarrabit?* Rectè ergo D.Cyrill. *Quomodo ſummis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem Deum ita contemnunt, ut, Quomodo, in operibus ſuis dicere audeant, quem totius ſapientiæ largitorem eſſe non ignorant, quem omnia poſſe Scriptura nos docuit?*

Rom.9. Actor.9. Marc.15. Luc.23. Proſp.in Pſal.117. verſu, Dextera Domini fecit. Leo ſerm. 3.& 10.de Nat. Eſai.53. Cyril.li.4. in Joan. cap.13.

5. Dicit Leproſus, *Si vis, potes:* certus de potentia, videtur ambiguus de bonitate ſeu voluntate; unde nec ita ejus fidem commendavit, ſicut Centurionis: Hinc & Chriſtus, ut eum etiam de voluntate certum faceret, ſtatim reſpondet, *Volo. Sentite*, ait Sap. *de Domino in bonitate.* Duo enim in Chriſto conſideranda; Poteſtas, qua poteſt nos juvare, ſanare, ſalvare; & voluntas ſeu bonitas, qua vult & paratus eſt; alioqui poteſtas ſine bonitate tyrannis efficitur: Et quid prodeſſet pauperi, quod dives poteſt eum juvare, ſi avarus eſſet & nollet?

Matth.8. Sapient. 1.

Hinc toties in Scriptura ejus bonitas commendatur; *Quàm bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt* Pſalm. 72.

corde

ingreditur. Quid igitur, morieturne puer, inquis? Si hoc pacto vivet, tum mortuus eſt. Si verò ſine iſtis mortuus fuerit, revixit. Si, inquit, fidelis es, crucis ſignaculo utere, hoc tuum ſit ſcutum, hoc pharmacum. Deinde medicos dedit & medicinam. Si nec illi curaverint, nō perit, ſed abit in cœlum, ad Dominum, quid ploras?

Eccleſ. 38. Paulam Romanam in doloribus crucis ſigno uſam ſcribit Hier. in ejus epitaph. Quam etiam Matronam crucis ſigno à cancro liberatam, aſſerit Aug.

De civit. li. 22. ca. 8.

Li. 9. Conf. cap. 4.

Denique ad Deum, exemplo Leproſi, per preces confuge, quomodo & Aug. in dolore dentium quo excruciabatur. *Incidit mihi admonere omnes meos*, inquit, *ut deprecarentur Dominum pro me, & quia loqui non valebam, ſcripſi hoc in cera, & dedi eis ut legeretur. Mox ut genua ſupplici affectu fiximus, fugit dolor ille.* Sic mirabiliter ſanatus quidam Innocentius, qui ſecandus erat, precibus bonorum, de quibus ipſe Aug. tunc præſens: *Domine, quas tuorum preces exaudis, ſi has non exaudis?*

De civit. ibid.

4. Agnoſcit & confitetur ejus potentiam, quæ ut in fide confirmetur, ſemper ante oculos habenda. Hæretici ei limites præfigere conantur & audent, quæ immenſa eſt. Angelus ad Virginem; *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Et Apoſt. *Potens eſt Deus facere ſupra quàm petimus, aut intelligimus.* Et, *Confidite in Domino, & in potentia virtutis ejus. Quis loquetur potentias Domini?* inquit David. *Verùm animus malignus*, ait D. Cyrill. *quæcunque non intelligit, ſtatim tanquam frivola, falſáque per arrogantiam ejicit, nulli cedens, nec aliquid ſupra ipſum eſſe exiſtimans; nec illi in mentem venit, nihil eſſe impoſſibile apud Deum. Demus*, inquit S. Auguſt. *Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non*

Luc. 1. Epheſ. 3. Epheſ. 6. Pſalm. 105. Cyr. lib. 4. cap. 13. in Joan. Luc. 1. Auguſt. epiſt. 3.

non poſſe: at in rebus mirabiliter factis tota ratio facti eſt potentia facientis.

Quam variis modis manifeſtam facit, creatione rerum ex nihilo, conſervatione & gubernatione earundem; dum peccatores ſupplicia evadere non permittit; dum quos vult, etiam maximè rebelles ad ſe convertit, peccata pro ſua voluntate condonans; dum viliſſimos homines ad æternam gloriam perducit, exaltans humiles, deificans mortales; his accedunt miracula, quæ ſupra cognitum & curſum naturæ. Quibus etiam addi poteſt Dei incarnatio, quæ ut D. Leo, *omnia miracula, omnemque intelligentiæ rationem excedit*; de qua etiam dicitur, *Generationem ejus quis enarrabit?* Rectè ergo D. Cyrill. *Quomodo ſummis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem Deum ita contemnunt, ut, Quomodo, in operibus ſuis dicere audeant, quem totius ſapientiæ largitorem eſſe non ignorant, quem omnia poſſe Scriptura nos docuit?* Rom. 9. Actor. 9. Marc. 15. Luc. 23. Proſp. in Pſal. 117. verſu, Dextera Domini fecit. Leo ſerm. 3. & 10. de Nat. Eſai. 53. Cyril. li. 4. in Joan. cap. 13.

5. Dicit Leproſus, *Si vis, potes:* certus de potentia, videtur ambiguus de bonitate ſeu voluntate; unde nec ita ejus fidem commendavit, ſicut Centurionis: Hinc & Chriſtus, ut eum etiam de voluntate certum faceret, ſtatim reſpondet, *Volo. Sentite,* ait Sap. *de Domino in bonitate.* Duo enim in Chriſto conſideranda; Poteſtas, qua poteſt nos juvare, ſanare, ſalvare; & voluntas ſeu bonitas, qua vult & paratus eſt; alioqui poteſtas ſine bonitate tyrannis efficitur: Et quid prodeſſet pauperi, quod dives poteſt eum juvare, ſi avarus eſſet & nollet? Matth. 8. Sapient. 1.

Hinc toties in Scriptura ejus bonitas commendatur; *Quàm bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde* Pſalm. 72.

corde. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas. Bonus eſt Dominus ſperantibus in ſe, anima quærenti eum. Hinc hoc nomen, *Deus Abraham, Iſaac, Iacob,* quod eſt nomen miſericordiæ, voluit ſibi eſſe in æternum: quia in eo maximè ejus bonitas declaratur, de qua dicitur: *Bonitatem feciſti cum ſervo tuo, Domine, non ſecundum meritum meum; quia non præceſſit niſi malum; ſed ſecundum verbum ſive promiſſum tuum.* Aliud ejus nomen eſt, *Ego ſum qui ſum;* quod eſt nomen æternitatis, quo ejus æternitas & immutabilitas ſignificatur; ſed quia illud non capimus, ad aliud reſpicimus.

Pſal. 118. Thren. 3. Exod. 3. Vide Aug. in pſal. 134. pſalm. 118. Exod. 3.

Deus, inquit Tertull. *uſque ad delictum tantum bonus fuit; orto autem peccato, non eſt factus malus, ſed juſtus;* id eſt, cœpit exercere juſtitiam, punire peccatum; diſputans contra eos qui dicebant, Deū veteris teſtamenti fuiſſe malum. Imò ejus *proprium eſſe* dicitur, *Miſereri ſemper, & parcere.* Dicitur *pater miſericordiarum, Deus totius conſolationis.* Sed nonne etiam dicitur, *Deus ultionum, juſtus judex, vindex iniquitatum?* Reſpond. S. Bern. *Cujus vult miſeretur; & quem vult indurat quidem: ſed quod miſeretur, proprium eſt illi; ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quod judicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus; unde vocatur alienum & peregrinum opus ejus. Miſerendi ergò cauſam & originem ſumit ex proprio; judicandi, vel, ulciſcendi magis ex alieno.* Unde dicit Propheta: *Perditio tua*, id eſt, ex te, *Iſraël.* Et, *Deus mortem non fecit, ut primus author,* inquit Aug. *Sed ut peccati ultor intulit.*

Cont. Marcion. lib. 2. cap. 11. In orat. Eccleſ. 2. Cor. 1. Pſalm. 93. 2. Tim. 4. Rom 12. Bern. Ser. 5. de Nat. Rom. 9. Iſai. 28. Hieron. in illum locum Iſai. Oſeæ 13. Sap. 1. Lib. 5. in Iul. cap. 7.

Et alibi: *Quod dixi, Nullius Deus mortem quærit; ſic accipiendum eſt, quia homo ſibi mortem acquiſivit;*

Lib. 1. Retract. c. 21. Sap. 1.

vit, deſerens Deum, & acquirit, qui non recurrit ad Deum, ſecundum quod ſcriptum eſt, Deus mortem non fecit. Sed etiam illud non minus verum eſt, Vita & mors à Deo eſt; vita ſcilicet à donante, mors à vindicante. Deus ergo cauſam non præbuit, unde nec illi imputatur, ſed homini: ſicut furi imputatur, quod ſuſpenditur, etſi judex pœnam decernat & inferat. Immerito autem homini, imò malè merito benefacit Deus: *Benedicit quidem juſtum, ſed prius eum juſtificat impium, & nemo meretur aliquid boni accipere à Deo, niſi prius accipiendo quod non meretur.* Ut enim etiam advertit D. Chryſoſt. *Infinita Dei bonitas, radix eſt, & ratio amandi homines, omni dilectione indignos.* Quam Dei dilectionem rectè Apoſtolus vocat benignitatem, humanitatem. Quam definit D. Baſil. *eam eſſe, qua benefacimus iis qui opus habent, etiamſi nulla ratio eis ſuppetat obtinendi.*

Eccleſ. 11. Lib. 10. Conf. c. 21. De nat. & grat. ca. 52. Hom. 7. in 1. ad Tim. Tit. 3. In reg. breviorib. reſponſ. 214.

Tangendo porrò Chriſtus ſanavit leproſum, Sed nonne lege prohibitum erat leproſum tangere? Chriſtus Dominus legis, lege non tenebatur. Aliquando ſervabat legem, propter proximum, ne quemquam offenderet, & ut comprobaret legem eſſe bonam, ac ſervandam, quamdiu lex nova non erat ſufficienter manifeſtata. Quando ſervavit, humilitatis fuit ac obedientiæ; quando non ſervavit, doctrinæ; oſtendit enim ſupra legem ſe eſſe, & ſicut eam inſtituit, ita & mutare poſſe. Sic ſoluit Sabbathum; unde ipſe, *Filius hominis Dominus eſt etiam Sabbathi.* Deinde ſignificabat adeſſe jam tempus, quo iſta legalia finem haberent veritate præſente; & eos qui Chriſto adhærent, non egere lege. *Mortificati eſtis legi,* ideſt, lex vobis

Matt. 12. Rom. 7.

mortua

mortua eſt, *per corpus Chriſti*, id eſt, quia facti eſtis de corpore Chriſti, id eſt, ejus Eccleſia, inq. Apoſt.

Denique voluit oſtendere etiam carnem ſuam eſſe efficacem ad ſanandum, & ſalvandum, ratio-
Luc. 6. ne Divinitatis inhabitantis; *hinc omnes quærebant eum tangere, quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes. Spiritus eſt qui vivificat. Caro*, videlicet ſola, ſi-
Joan. 6. ne Divinitate, *non prodeſt quicquam.* Sicut autem
Cyril. li. 4. tunc tactu carnis ſuæ ſanavit corpora, divinitatem
in Joan. ſuam oſtendens, ſic & nunc animas in Sacramen-
cap. 14. to ſanat & ſanctificat, oſtendens ſe eum verè eſſe, qui à fidelibus in Sacramento ſumitur: omnes ergo quærant eum tangere, ut ſanentur & ſancti-
In epiſt. ad ficentur; quam vim habet caro Chriſti, quia *non*
Neſtor. *communis caro eſt, ſed verè propria ipſius Verbi facta*, unde illam virtutem accipit, ut ait Conc. Epheſin.

Prohibitio autem illa, quâ olim vetabatur tangi leproſus, ſignificat, non debere nos tangere peccatores, & maximè hæreticos. Hoc eſt, non cum eis converſari, propter periculum, ne illorum vi-
Eccleſ. 13. tiis inficiamur: *Qui enim tangit picem, inquinabitur ab ea,* ait Sap. Et Poëta;

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi.
Uváque conſpectâ livorem ducit ab uva.

Sed quia illud non ſemper commodè fieri poteſt, maximè jubemur eis in peccatis non conſen-
Lib. 3. cōt. tire. *Is tangit*, inquit Aug. *qui conſentit. Non enim*
Par. cap. 4. *ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facien-*
Rom. 1. *tibus, digni ſunt morte*, ait Apoſt. *Non homines, qui meliorum exemplo corrigi poſſunt; ſed hominum*
Sent. 116. *fugienda eſt iniquitas*, ait Proſp. Fugit qui non conſentit, ſed odit, deteſtatur.

Digitized by Google

MONITUM XLI.

Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquoſa, &c.

Luc. 11.

OMnes in peccato concipimur & naſcimur, ideóque ſub poteſtate Diaboli, filii iræ & damnationis, ut Apoſt. ait; hinc dicitur *Princeps hujus mundi*, hominum mundum diligentium; *Princeps tenebrarum*, eorum qui in tenebris ignorantiæ & injuſtitiæ verſantur; *Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Sed beneficio Chriſti Salvatoris liberamur, *qui intrat in domum fortis, id eſt, hoc ſæculum mortalium ſub poteſtate Diaboli conſtitutum*, inquit S. Aug. *cui non poteſt ulla poteſtas ſuper terram comparari:* Sicut Eccleſia eſt domus Dei, quæ ab eo inhabitatur, regitur, gubernatur. Epheſ. 2. Ioan. 14. Epheſ. 6. Iob 41. Matth. 12. Auguſt. epiſt. 107. Iob 41.

Deinde vincit & alligat eum, cùm ſit fortior, id eſt, *ejus coërcet & cohibet poteſtatem, poteſtatis ſuæ fortioribus vinculis. Quod fit quando non permittitur exercere totam tentationem*, ut idem Aug. *quam poteſt vel vi, vel dolo ad ſeducendos homines, in partem ſuam cogendo violenter, vel fraudulenter fallendo: quod ſi permitteretur, plurimos & fideles dejiceret, & ne crederent impediret.* Aug. li. 20. Civit. c. 8.

Poſtea *aufert arma ejus*, id eſt, errores & peccata, per quæ medullitus inhærentia, longa illos, & alta pace tenebat. Vel, *diripit vaſa ejus*, id eſt, ho-

mines, quos ille veneno ſuo repleverat, vel quibus ille ad voluntatem ſuam uti conſuevit. Eripit ergo vaſa, quæcunque prædeſtinavit eripere; id eſt, in ſuum uſum convertit, ut amplius iis non utatur Diabolus, ſed Chriſtus. Sic Rex infidelis vas Diaboli, quia eo utitur ad impugnandum Deum, Eccleſiam, & Sanctos; quando autem eripitur & fit fidelis, jam fit vas Chriſti, quia Chriſtus jam eo utitur ad defendendam & propagandam Eccleſiam, & alia omnia quæ antè oppugnabat. Simile judicium de homine eloquente, erudito, *&c.*

Rom. 12. Denique, *dividet ſpolia*, id eſt, quæ ipſe rapuit, (& ſunt homines ipſi) quia dabit ipſis diverſa dona, uni ſapientiam, alii ſcientiam, alii humilitatem, alii aliam virtutem & donum. *Sublatum eſt Diabolo,* inquit D. Auguſt. *iniquitate ſua victo, non quod habebat proprium, ſed quod rapuerat alienum. Auferendo enim Chriſtus quod de magna ejus domo perierat, non furtum fecit, ſed furtum recepit.* Immeritò enim & ſine cauſa abactus erat homo in ſervitutem ex parte Tyranni ſævientis: at hominis ex parte, poſtquam Diabolo conſenſerat, non defuit quamobrem pateretur. Hæc eſt ergo gratia Chriſti: de ea gratias agant electi & liberati. Sed nunquid Chriſtianus ſic ereptus debet eſſe ſecurus? Minimè.

Tract. de Paſtor. c. 12
Proſp. Sent. 219.

Audi quid Diabolus ſic expulſus ab homine cogitet ac moliatur. *Cùm immundus ſpiritus exierit de homine,* inquit Chriſtus, *perambulat loca inaquoſa.* Dicitur autem immundus ſpiritus, quia terrena vitiorum immunditie paſcitur, gaudetque mortales in ea volutari. Dictum eſt ei à Domino;

Luc. 11.
Geneſ. 3.

no; *Terram comedes:* tum quia in terrenis hominibus pabulum invenit Diabolus, quo ſe oblectet: tum quia terreni illi traditi ſunt. Quid ergo agit, quid cogitat? *perambulat per loca inaquoſa, ſeu arida.* Significantur homines, in quibus non eſt ſpiritualis humor, qui ſunt *terra ſine aqua*, quibus deeſt gratia Spiritus Sancti, quæ fœcundat Pſalm.62. hominem in bono opere, refrigerat ab æſtu carnalium tentationum, mundat animam à ſordibus vitiorum. In illis ergo ambulat, quia eos continuò deficere facit; ſicut Chriſtus ambulat in Sanctis, quos facit quotidie proficere in fide, ſpe, charitate. Diabolus initio maximè excitavit Tyrannos, & alios impios, quando magno numero homines convertebantur ab idolis ad Deum, & fiebant fideles, ac Chriſtiani. Sic experimur, quod quando aliqui volunt vitam mutare in melius, mali, qui à Diabolo aguntur, rident, inſultant, reſiſtunt, calumniantur, *&c.* & ſic peiores efficiuntur.

Deinde dicitur de immundo ſpiritu, *quod quærit requiem, & non invenit.* Luc.11. 1. Quia creaturæ rationali non eſt requies niſi in Deo, à quo cùm in æternum ſit ſeparatus, ſine ulla ſpe reſtaurationis, non mirum ſi non inveniat. *Atque in eò oſtendit Deus, quàm magnam fecerit creaturam rationalem, cui non ſufficit ad beatam requiem, quidquid illo minus eſt.* Lib.13. Conf.c.8. 2. Quia non ſatiatur in hominum perditione. *Expandit*, inq. Propheta, *ſagenam ſuam,* (ad capiendas animas) *& ſemper interficere gentes nõ ceſſat.* Abac.1. Non contentus perditione reproborum, etiam electos tentat. *Plus uritur de virtute ſtantium, quàm lætetur de fragilitate labentium:* & magis lætatur de Proſp. ad Demetria.

ſubverſione eorum, qui deficiunt ab Eccleſia, quàm eorum qui nunquam intraverunt.

Tertiò, dicit immundus ſpiritus; *Revertar in domum meam unde exivi.* Hoc eſt, ejus conſilium & ſtudium, ut ad illos redeat quos Dominus ad ſe miſericorditer attraxit: & ut hoc faciliùs faciat, *aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe.* Hinc non debent mirari fideles, ſi graviores ſæpè patiantur tentationes poſt converſionem, quàm ante. *Tunc enim maximè ſævit Diabolus*, inquit Tertull. *cùm hominem plenè liberatum ſentit; tunc plurimùm accenditur, cum extinguitur.* Deinde, quia jam converſus ad Deum, à multitudine dæmonum infeſtatur & oppugnatur, qui *illos tentare negligunt, quos ſe quieto jure poſſidere ſciunt*, ut ait Gregor.

Lib. 2. de Pœnit.

In Moral.

Fallitur ergo Origenes, qui putavit Diabolum ſemel fugatum, victumque, ulteriùs ad tentandum non accedere: Cùm hic dicatur, quod *Spiritus immundus non inveniens requiem, dicit, Revertar in domum priorem.* Deinde victus ſemel à Chriſto, ſecundam & tertiam in ſolitudine tentationem inſtruxit. *Et conſummata* (inquit Luc.) *omni tentatione, reliquit eum uſque ad tempus. Non ergo nunquam rediturus abſceſſit*, ait Aug. *ſed ad tempus, in paſſione bellum moturus novum.* Dicit S. Ambroſ. quod ad tempus diſcedit, ſicut à Chriſto, ſic ab illius membris. *Etſi enim*, inquit, *aſſiduè inſtare formidat, refugiens frequentius triumphari, tamen invidere non deſinit.* Sic & juſtum Iob, cum Sathan neque oppreſſione liberorum, neque amiſſione facultatum, de vitæ prioris innocentia dejeciſſet, mali gravioris duriore tentatione concuſſit, ut vel tum ſubverteret, in quê nihil priore impetu profecerat. Et vide,

In cap. 11. Ioſue.
Matth. 4.

Luc. 4.
In Pſal. 30. Conc. 1.
Lib. 4. in Luc.
Iob 1. 2.

ſemel

ſemel licèt victus, quàm tamen facilè ſibi victoriam polliceatur; *Pellem*, inquit, *pro pelle*, &c. *Mecum ipſe* (ait D. Chryſoſt.) *mirari ſoleo, Diabolum tot, tantantoſque contra ipſum cogitaſſe labores. Truculentiſſima*, inquit, *beſtia, nunquam ſolet deſperare victoriam.* Homil.34. in Matth. cap.10.

Superbus igitur ſpiritus vinci ſe ferens ægerrimè, ubi primùm ſucceſſit parum, mox alia aggreditur via: Ideóque D. Cyprianus quoſdam cupiens admonitos, ne eos conſtantia confeſſionis extolleret, ſed eo ſe gererent ſubmiſſiùs; quo fortius feciſſe viderentur: *Quia*, inquit, *is exaltabitur, qui ſe humiliaverit, nunc eſt ut magis inſidiantem adverſarium metuant, qui fortiorem quemque magis aggreditur, & acrior factus, hoc ipſo quia victus eſt, ſuperantem ſuperare conatur.* Ea de cauſa B. Antonius, quamquam frequentes de ſathana triumphos reportaſſet; nec ſecurus tamen fuit, nec feriandum ſibi à prælio exiſtimavit, ſed eo diligentius providentiuſque adverſus graviores ſe munivit inſultus: quantoque fortior ille evadebat, tantò erant in eum dæmonum impetus acriores. Lib. 3. epiſt. 11. Luc.14. & 18. D. Athan. in vita.

Rectè ergo D. Proſp. *Cùm per ineffabilem miſericordiam Dei captivis libertas, perditis ſalus, mortuis vita reparatur, cum in Sacramento crucis & reſurrectionis Chriſti ad novitatem redit vetuſtas, & ad innocentiam regeneratur impietas, antiquus hoſtis malignus fremit, & acrius inardeſcit: Et cùm innumeris nocendi artibus humanum genus nitatur evertere, ſerens diſcordias, incitans iras, acuens cupiditates, ſuadens turpia, falſa commentans, & errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans, plus uritur de virtute ſtan-* In epiſt. ad Demetria.

tium, quàm lætetur de fragilitate labentiũ. Sic Proſp.

Luc. 11. Deinde, dicitur in Evang. *Si invenit domum ornatam & ſcopis mundatam, ingreſſus habitat ibi.* Tunc domus ornata & ſcopis mundata eſt, quãdo parata eſt ad inhabitãdum. Quod tunc maximè fit, quãdo mens otioſa eſt, inermis, non ſollicita, non intenta. Facile enim eſt vincere non repugnantem. *Sed ſi alligatus eſt Diabolus,* rogat Aug. *quomodo adhuc tãtum prævalet?* Reſpondet, *Verum eſt, multum prævalet, ſed tepidis & negligentibus, & Dominum non timentibus dominatur.* Citò enim perditur per negligentiam, quod multò labore vix tandem acquiſitũ eſt per gratiam, ait Kemp. *Non dormientibus*, ait Leo, *provenit regnum cœlorum, nec otio deſidiaque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur, ſed illa nobis currenda eſt via, quam ipſe Dominus ſe eſſe teſtatus eſt, qui nobis nullis operum meritis ſuffragantibus & Sacramento conſuluit & exemplo, ut in adoptione vocatos, per illud proveheret ad ſalutem, per hoc imbueret ad laborem. Vade ad formicam piger,* ait Sap.

Aug. Serm. 197. de temp.

Lib. 1. de Imitat. cap. 22.

Ser. 5. de Epiph.

Parvula nam exemplo eſt magni formica laboris.
Ore trahit quodcunque poteſt, atque addit acervo, inquit Poëta.

Poteſt homo, inquit S. Hieron. *ſine peccato vivere, quamdiu intẽtus eſt animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara. Quod ſi paululùm ſe remiſerit, quomodo qui adverſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retrolabitur, & fluentibus aquis, quò non vult ducitur; ſic humana conditio, ſi paululùm ſe remiſerit, diſcit fragilitatem ſuam. Adverſus Diabolum dimicanti,* ait D. Chryſ. *nunquam licet arma ponere, ſomnúmve ullum capere, ei præſertim qui invulneratus prælio volet excedere. Ex duobus enim*

Lib. 3. cõt. Pelagia.

Lib. 6. de Sacerdot.

neceſſariò

neceſſariò alterum conſequitur, ut aut cadat quis & pereat, armis ſpoliatus; aut continenter vigilet, armatuſque ſtet. Siquidem ille continenter cum ſua ipſius acie ſtat, ſocordias noſtras obſervans, ac majus quidem afferens ſtudium ad noſtram internecionem, quàm ad noſtram ipſi nos ſalutem afferamus.

Et ibid. *Pugnæ inter homines geſtæ tempus quidem breve eſſe ſolet, quæ etiam in temporis brevitate, multæ dantur induciæ; non ſic cum diabolo, &c.* Sic & S. Aug. *Adverſus diabolum & angelos ejus perpetuas inimicitias habemus. Quaſlibet habeas inimicitias adverſus hominem, cogitas finire, ſive illius ſatisfactione, ſi ille te læſit; ſive tua, ſi tu læſiſti; ſive utriuſque, ſi vos invicem læſiſtis. Laboras ſatisfacere & concordare, cum diabolo autem & angelis ejus nulla concordia eſt: ipſi nobis invident regnum cœlorum. Miteſcere omnino erga nos non poſſunt. Plus illi vigilant ad decipiendum, quàm ego ad cuſtodiendum me,* &c. In pſal. 76.

Multa ſollicitudine Chriſtianis præcavendum eſt, inquit Leo, *ne Diabolicis iterum capiantur inſidiis, & iiſdem rurſus quibus renuntiaverant, erroribus implicentur. Non enim deſinit hoſtis antiquus transfigurans ſe in angelum lucis, deceptionum laqueos ubique prætendere, & ut quoquo modo credentium fidem corrumpat, inſtare. Novit cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi cauſas quærit nocendi, ubi quemque viderit ſtudioſius occupari.* Quomodo autem in omnibus rebus laqueos ponet diabolus, vide Mon. 16. Serm. 7. de Nat. 2. Cor. 11.

Digitized by Google

Denique dicit Dominus in Evang. quod *fiant noviſſima hominis illius peiora prioribus*. Sic & Petrus;
2. Pet. 2. *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & Salvatoris* IESU *Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri Proverbii, Canis reverſus ad ſuum vomitum. Et, Sus lota in volutabro luti*. Et
Hebr. 10. Paulus; *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quadam exſpectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſa-*
Deu. 17. 19. *rios. Irritam quis faciens legẽ Moyſi, ſine ulla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur; quantò magis putatis, deteriora mereri ſupplicia, qui filiũ Dei conculcaverit, & ſanguinẽ teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Luc. 11. Matth. 12. Quod autẽ dicitur, poſteriora hominis illius fieri deteriora prioribus, vel ideo dicitur, quod peccata poſteriora propter præſtitam remiſſionis gratiam, quadam ingratitudinis circumſtantia, fiant graviora, quàm alioqui eſſent, ſi tale gratiæ beneficium non præceſſiſſet. Vel ad eos pertinet, qui priora & manifeſta peccata veraciter non deſerunt, ſed quaſi ſe foris duntaxat, & in aſpectu hominum purgant, ſimulationem ſanctitatis & hypocriſim prio-
De vita cõtemp. lib. 3. cap. 1. Serm. 1. de com. vita cleric. ribus peccatis adjicientes: *dupliciter rei*, inquit S. Proſp, *quia & bonum non faciunt, unde ſpiritualiter vivant, & boni ſimilitudinem appetunt, ſub qua malè vivant & lateant*. Simulata pietas, duplex inquitas. *Malum eſt cadere à propoſito, ſed pejus eſt ſimulare*

propoſi

propoſitum, ait S. Aug. *Turpiora ſunt vitia quæ virtutum ſpecie celantur*, inquit B. Hieron. In epiſt. ad Celant.

MONITUM XLII.

Eſt puer unus hîc qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces.

Ioan. 6.

PUer iſte habens quinque panes & duos piſces, eſt populus Iudaicus. Puer erat, exercebatur in iis quæ non intelligebat, adhuc ſub pædagogo erat. Portabat quinque libros Moyſis, item Prophetas & Pſalmos. Unde Chriſtus diſcipulis, *Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Moyſe, Prophetis & Pſalmis de me*. Hos ergo portabat, ſed ex illis non manducabat; quia enim non intelligebat, inde non paſcebatur. De Iudæis dicit Apoſt. quod *uſque hodie in lectione veteris teſtamenti velamen eſt poſitum ſuper cor eorum*. Nobis portavit, quia nos inde paſcimur, & omnis eruditio ac doctrina veritatis in iſtis libris continetur, ſed manifeſtius repetitur in novis. *Literam ſervat Synagoga*, inquit Bern. *Spiritum habet Eccleſia; filius ſenior foris ſtabat, nolebat intrare in domum convivii: nos eruimus dulce ac ſalutare epulum ſpiritus de ſterili ac inſipida litera, tanquam granum de palea, de teſta nucleum, de oſſe medullam.* Vide Aug. tract. 24. in Ioan. Luc. 24. 2. Cor. 3.

Hos panes & piſces Chriſtus primò diſtribuit Apoſt, quia *aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas*. Flebat Ioannes, quod *nemo dignus inventus eſt* Ser. 73. in Cant. Luc. 24. Apoc. 5.

eſt aperire librum, aperit agnus. Atque hoc primùm curare debent Paſtores & Doctores, ut ipſi infundantur. *Bibe*, ait Sap. *aquam de ciſterna tua, & fluenta*
prov. 5. *putei tui.* Ubi benè ſubjungitur, *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Rectum quippe eſt, ut ipſe prius bibat, & tunc prædicando aliis*
Gregor. in Paſtor. par. 3. admon. 25. *influat*, inquit Greg. Unde & Hier. *Diſce quod doceas, ne miles antequam tyro, nec magiſter antequam diſcipulus.* Et Aug. *Diſcat omnia quæ docenda ſunt, qui &*
In epiſt. ad Nepot. *noſſe vult & docere, facultatemque docendi, uti virum*
De Doct. Chriſt. li. 4. cap. 15. *Eccleſiaſticum decet, comparet.* Graviter minatur Dominus Sacerdotibus, qui ſunt ſine ſcientia. *Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam te, ne ſacerdotio fun-*
Ozeæ 4. *garis mihi.* Tales vocantur *duces cæci, ſydera errantia, nubes ſine aqua.* Qui enim ſcientiæ ſalutaris eſt expers, facilè fit magiſter erroris.

Chriſtus ergo totum habuit, cæteri omnes ex ejus diſtributione accipiunt, & non poſſunt aliis diſtribuere, quod non ipſi prius à Domino acceperunt, ut ſua phantaſmata. Ex illis ergo quæ ac-
2. Timo. 3. ceperunt, aliis diſtribuunt; ex illis alios docent, hortantur, corripiunt, &c. *Omnis enim Scriptura di-*
Epheſ. 4. *vinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia.* Et ipſe conſtituit *Paſtores & doctores ad ædificationem corporis Chriſti, &c.* Et Propheta ait, quod *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requi-*
Malach. 2. *rent ex ore ejus.* Dicit Chriſtus Petro ſummo Pa-
Ioan. ult. ſtori, *Paſce oves meas.* Ipſe verò Petrus aliis Paſto-
1. Petri 5. ribus, *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.* Quod maximè fit doctrina ſana.

Atque hoc præcepto non minus aſtringuntur ſubditi ad accipiendum ab eis pabulum doctri-

næ

Digitized by Google

næ ſalutaris, quàm illi ad dandum. Unde & D. Petrus, *Sine dolo lac concupiſcite*, id eſt, doctrinam veritatis de uberibus Eccleſiæ matris, ſive de utriuſque teſtamenti Doctoribus, qui Divina eloquia ſcripſerunt vel prædicant, ut benè diſcendo perveniatis ad refectionem panis, id eſt, contemplationem Divinæ Majeſtatis. Omnes enim parvuli ſumus comparatione virilis ætatis & robuſtæ, qua præditi erimus in futuro ſæculo. Unde & David, & Paulus ſe lactenti parvulo comparant: Et Iſaias omnes ad ubera convocat, tanquam parvulos.

1. Petri 2.
Pſal. 130.
1. Cor. 13.
Iſai. 66.

Tria autem obſervabant Apoſtoli, quæ & Doctores obſervare debent. Primò diſtribuunt. Quod fit quando juxta cujuſque qualitatem Divina eloquia diſpenſant. Hinc Sapiens; *In plateis aquas tuas divide*. Et de Paulo dicitur; *dividet eſcas. Non una eademque exhortatio cunctis congruit*, inquit Greg. *quia non cunctos par morum qualitas aſtringit. Sæpè namque aliis officiunt, quæ aliis proſunt; quia & plerumque quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt. Lenis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat. Et medicamentum quod hunc morbum minuit, illum auget; & panis qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium, formari debet ſermo doctorum, ut & ſua ſingulis congruant, & tamen à communis ædificationis arte non recedant. Paulus dividit eſcas*, inquit Aug. *Novit quid cui congruat. Dividit, non paſſim, non confuſè erogat: dividit, id eſt, diſtribuit, diſtinguit, non paſſim, confuſéque diſpenſat. Loquitur ſapientiam inter perfectos: quibuſdam verò non valentibus capere ſolidum cibum, dividens dicit, lac vobis potum dedi.*

Prov. 5.
Gen. 49.
Gregor. in paſt. initio 3. part. & admon. 25.
Serm. 121. in novis.
1. Cor. 2.

Refert V. Beda, quendam Epiſcopum non profeciſſe,

Lib. 3. hiſt. Aug. cap.

feciſſe, *quod non primò juxta doctrinam Apoſtoli, lac mollioris doctrinæ eis porrexiſſet, ut paulatim enutriti verbo Dei ad capienda perfectiora, & facienda ſublimiora proficerent. Fidelis ſervus & prudens, dat ſuis in tempore tritici menſuram,* ait Dominus.

Luc. 12. Ad hanc diſtribuendi diſcretionem pertinet, quod monet idem Greg. *Providendum eſſe, ut ab eis* In Paſtor. part. 2. c. 4. *non ſolum prava nullo modo, ſed ne recta quidem nimiè & inordinatè proferantur, quia ſæpè dictorum virtus perditur, cum apud corda audientium loquacitas incauta importunitate levigatur: & auctorem ſuum hæc eadem loquacitas inquinat, quæ ad uſum profectus* Levit. 15. 2. *ſervire auditoribus ignorat. Unde bene per Moyſen dicitur; Vir qui ſeminis fluxum patitur, immundus erit, quia multiloquio ſubditus, ex eo ſe inquinat, quod ſi ordinatè promeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corda potuiſſet; dumque incautus per loquacitatem defluit, non ad uſum generis, ſed ad immũditiam ſemen fundit. Dicunt,* inquit Plut. de Garrul. *infœcundum ſemen eorum eſſe, qui ad congreſſum pro-* 2. Timo. 4. *penſi ſunt; ſic loquacium oratio nulli eſt uſui. Unde* Greg. ibid. *Apoſtolus, cum diſcipulum de inſtantia prædicationis admoneret, dicit, prædica verbum, inſta opportunè, importunè. Dicturus importunè, præmiſit opportunè, quia videlicet, apud auditoris animum ipſa ſua utilitate ſe deſtruit, ſi habere importunitas opportunitatem neſcit.*

Ad eandem diſcretionem pertinet quod Martialis ait;

Hunc ſervare modum noſtri didicere libelli,
Parcere perſonis, dicere de vitiis. Huc pertinet vulgata illa D. Hier. regula; *Ubi generalis diſputatio de vitiis ſit, ibi nullius perſonæ injuriam eſſe, neque quemquam acerbius reprehendi, quaſi malus ſit; ſed*

omnes

Digitized by Google

omnes admoneri, ne mali ſint. Pro diverſitate perſonarum, diverſa de ſcripturis adhibenda medicamina, inquit Hier. ad Ocean. *Crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit. Sic verus animi dolor conſolationes rejicit ac refugit, mox deſiderat, & clementer admotis acquieſcit.* Vide epiſt. ad Ruſtic.

Secundò, Apoſtoli diſtribuunt diſcumbentibus ſuper fœnum, Nemo enim idoneus eſt, qui paſcatur verbo Dei, niſi carni dominetur. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus ut flos fœni.* Qui carnalibus vitiis delectantur, porcis ſimiles ſunt; qui dibus delectantur, & conculcant margaritas peſordibus ſuis. Contemnunt, rident, perſequuntur benè monentes; ſic occiſus eſt Ioannes Baptiſta, ſic Lambertus. Ideóque ſanctum non dandum canibus, nec margaritæ mittendæ ante porcos. *Nolite ſeminare ſuper ſpinas*, ait Propheta. Significantur avari & voluptuoſi, divitiis & voluptatibus dediti, ut declarat Chriſtus in Evangelio; ſuffocant ſemen bonum, & pungunt, cruentant non ſolum animas ſuas, ſed & alios bene monentes. Li.7.epiſt. 1.Petri 1. Matth.7. Matth. 14. In vit.S. Lamb. Ierem.4. Oſeæ 10. Matth.13.

Sic dicitur in Apocal. *Quod Liber* (ſcilicet Scripturæ ſacræ) *facit amaricare ventrem*, quia carnales, qui ea quæ ventris ſunt quærunt & ſapiunt, ad indignationem, convitia, perſecutionem movet, quia audiunt ex eo doctrinam ſuis cupiditatibus, & moribus planè adverſam. De quibus & Apoſtolus, quod *ſanā doctrinā non ſuſtinent, ſed ad ſua deſideria coacervant ſibi magiſtros, prurientes auribus. Sicut palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano ſuavis eſt; & oculis ægris odioſa lux, qua incolumis gaudet obtutus;* Apocal.10. Auguſt.in Pſalm. 43. 2.Timo.3. Aug. lib 7. Conf.c.16. Proſp. Sent. 177.

ſic juſtitia Dei diſplicet impiis, & veritas odioſa incredulis.

Tertiò Apoſtoli, *quæ ſuperfuerunt, colligunt.* Illa ſunt quæ non capiuntur à populo, tamen valdè utilia ſunt intelligenti. Seponunt ergo ea, quorum non ſunt capaces; non oſtentant ſe, ſuamque eruditionem, dicendo grandia; fructum maximè ſpectant. *Non quod ſint aliqua dogmata fidei parvulis, ſive infirmis abſcondenda; ſed quia non ſtatim conandum eſt, ut illi omnia exactè intelligant,* quia capaces non ſunt. *Pauci enim ſpiritales,* inquit Aug. *ad cognitionem ſinceriſſimæ Sapientiæ in hac vita perveniunt; cæteram verò turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.*

Aug. tract. 98. in Ioan.

Cont. epiſt. Fundam. cap. 4.

Quando autem dicit Apoſt. *Ut compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ*; non vult eorum fidem mutare, vel aliquid ei addere (una eſt enim & ſimplex, eique *nec addi quidquam, aut adimi poteſt,* inq. S. Leo) ſed ad hoc conari volebat, ut aliquo modo intelligere inciperent, quæ credebant; latiùs explicando, diſtinguendo, declarando, *&c.* ut magis in fide confirmarentur ac paſcerentur. Sic & quod ait idem Apoſt. *Quibuſdam ſe lac potum dediſſe, aliis eſcam, ſeu ſolidum cibum*; non hoc eò dicit, quaſi non eſſent iidem articuli, & eadem fidei myſteria & parvulorum & fortium: ſed ſunt lac credentibus, & iis qui non perfectè intelligunt; eſca autem intelligentibus.

Coloſſ. 2. 1. Theſſ. 3.

Serm. 4. de Nativ. & epiſt. 97.

1. Cor. 3. Heb. 6.

Ipſe Chriſtus crucifixus, inquit S. Aug. *quem ſolum ſcire ſe & prædicare dicebat Apoſtolus; non eo modo à carnalibus, quo à ſpiritalibus cogitatur; & illis eſt lac, iſtis cibus eſt; quia etſi non audiunt amplius, intelligunt amplius. Non enim æqualiter mente percipitur*

Enchir. cap. 11.

etiam

Digitized by Google

etiam quod in fide pariter ab utriſque recipitur: ita ſit ut prædicatus ab Apoſtolis Chriſtus crucifixus, & Iudæis eſſet ſcandalum, & gentibus ſtultitia, & ipſis vocatis Iudæis & Græcis Dei virtus, & Dei ſapientia; 1.Cor.1. *ſed carnalibus parvulis id tantum credendo tenentibus; ſpiritalibus autem capacioribus, id etiam intelligendo cernentibus. Illis ergo lacteus potus, iſtis tanquam ſolidus cibus, non quia hoc illi aliter in populis, aliter in cubiculis cognoverunt, ſed quod eodem modo utrique cum palam diceretur, audiebant, pro ſuo modo quique capiebant.* Hactenus Aug. Aug. tract. 98. in Ioan.

Sic & Greg. in Paſtor. *Sciendum eſt,* inquit, *prædicatori, ut auditoris ſui animum ultra vires non trahat, ne dum pluſquam valet, tenditur, mentis chorda rumpatur. Alta etiam quæque debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri. Hinc namque per ſemetipſum Veritas ait, ut det illis in tempore tritici menſuram. Per menſuram quippe tritici exprimitur* Luc.12. *modus verbi, ne cum anguſto cordi incapibile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Chriſtus Apoſtolis,* Ioan.14. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Et Paulus Corinthiis, non potui vobis loqui tanquam ſpiritualibus, ſed tanquam carnalibus.* 1.Cor.3. *Tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis. Hinc Moyſes à ſecreto Dei exiens, coruſcantem coram populo faciem velat, quia nimirum turbis claritatis intima arcana non indicat. Hinc per eum præcipit Dominus, ut ſi is* Exod.34. *qui ciſternam foderit, operire neglexerit, corruente in* Exod.21. *ea bove vel aſino, pretium reddat; quia ad alta ſcientiæ fluenta perveniens, cùm hæc apud bruta audientium corda non contegit, pœnæ reus addicitur, ſi per verba ejus in ſcandalum ſive munda, ſive immunda mens capiatur.* Sic Greg. Paſt. part. 3. cap. 5.

Mo

Digitized by Google

MONITUM XLIII.

Convocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam.

Marc. 8.

MUlta ſunt in hoc Evangelio conſideratione digna. Primùm, quod convocaverit diſcipulos, quaſi conſilium ab eis petiturus, quomodo tantæ multitudini fame laboranti poſſet ſubveniri. Docens omnes, & ſuperiores,& alios, libenter aliorum, etiam juniorum, audire ſententias & conſilia. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, ait Sapiens: *Incertæ enim ſunt providentiæ noſtræ.* Et, *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.* D.Benedictus,quando conſultatur de re alicujus momenti, vult ut etiam juniores audiantur;*quia*,inquit,*ſæpè juniori revelat Dominus, quod melius eſt.* Aliquando revelatur puero,quod ignorat ſenior; aliquando indocto, quod doctior ignorat. *Intellectum dat parvulis, & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus.* Sciebat Agabus, quod ignorabat Paulus; qui tamen longè erat excellentior: Sciebat Gad, quod neſciebat David, vir tantus, & ſecundum cor Dei. *Plerumque*,inquit Aug. *doctioribus minus aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus major eſt, comprobetur. Nonne cum Moyſe Deus loquebatur*, ait idem Aug. *& tamen conſilium regendi atque adminiſtrandi tam magni populi, à ſocero ſuo, alienigena ſcilicet homine, & maximè providus, & minimè ſuperbus*

Prov.3. Sapient.9. Eccleſ. 32. In regula cap.3.

Pſal.118. Prov.3. Actor.10. 1. Reg.22. Cont. Donat.lib.2. cap.5. In prologo li.de doct. Chriſt.

Digitized by Google

ſuperbus accepit. Noverat enim ille vir, ex quacunque anima verum conſilium proceſſiſſet, non ei, ſed illi, qui eſt veritas, incommutabili Deo tribuendum eſſe.

Vehementer commendat D. Cypr. Apoſtolum Petrum, *tametſi eum Dominus primum elegiſſet, ac primatum teneret, ac ſuper eum Eccleſiam ſuam adificaſſet; non tamen vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit; & obtemperari ſibi à novellis & poſteris potius oportere; ſed conſilium veritatis facilè admiſit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit: Nec deſpexit Paulum, quòd Eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet; documentum ſcilicet nobis, & concordiæ, & patientiæ præbens; ut non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquandò à fratribus & collegis noſtris utiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & ligitima, ipſa potius noſtra ducamus. Cui rei Paulus quoque proſpiciens, & concordiæ & paci fideliter conſulens, in epiſtola poſuit, dicens; Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & cæteri examinent. Si autem alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Qua in parte docuit & oſtendit, multa ſingulis in melius revelari; & debere unumquemque non pro eo quod ſemel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi, ſed ſi quid melius & utilius exſtiterit, libenter amplecti. Non enim vincimur, quando offeruntur nobis meliora, ſed inſtruimur.* Hactenus Cypr.

Epiſt. 71. Matth. 10. Matth. 16. 1. Cor. 14.

Laudat Ariſtoteles iſtos verſiculos Heſiodi;

Optimus ille quidem eſt, ex ſeſe qui omnia novit;
Is rurſum bonus eſt, qui paret recta monenti:
At qui ex ſe neſcit, cuiquam nec porrigit aures,
Ut bona percipiat, demens & inutilis ille eſt.

Lib. 1. Ethic. c. 4.

Digitized by Google

Baſil. hom. 14. Eoſdem recitat D.Baſil. in homilia ad adoleſcentes, quem ex profanis literis fructum capere poſſint: carpentes ſcilicet botros, ſpinas caventes. Quærit idem Baſilius, *utrum conſilium quod* Interrog. 219. *quis habet, debeat alteri communicare?* Eſt enim inter duo mala; nam ſi non communicet, incidet in maledictionem Prophetæ, *Væ qui prudentes eſtis* Iſaiæ 5. *apud voſmetipſos*; ſi ſic, forſan carnalis erit is, cum Rom.12. quo communicat, & carnalia ſuggeret. Et reſpondet; *Communicandum cum iis qui eiuſdem nobiſcum animi ſunt, fideique, atque intelligentiæ ſuæ certum documentum dederunt, ut intentio noſtra, ſi mala ſit, corrigatur; ſi bona, confirmetur.*

Secundò, inſinuatur quid Deum maximè provocet ad miſericordiam, nempe Perſeverantia. Marc.8. *Miſereor*, inquit, *ſuper turbam, quia iam triduo ſuſtinent me.* Movetur ergo Dominus miſericordia erga hominem, ejus perſeverantia; & in oratione, ut exaudiatur; & in ſancta converſatione, ut coronetur: nam & ipſa vita æterna gratia eſt & mi- Rom.6. ſericordia. Ad perſeverantiam in oratione (quæ non in verbis oris, ſed in deſideriis cordis ſita eſt) ſæpe hortatur Chriſtus in Evang. & multis pa- Luc.11. rabolis. Non enim ſtatim dat Deus quod petitur. Luc.18. 1. Exſpectat congruum tempus. 2. Commendat ſua dona: citò data vileſcunt. 3. Diu deſiderata dulcius obtinentur, & ſollicitius cuſtodiuntur. Aug. epiſt. 121. c.8. Talis erat perſeverantia Hieronymi, cum in eremo variis tentationibus vexaretur: *Memini*, in- In epiſt. ad Euſtochiũ. quit, *me clamantem, diem crebrò iunxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm* Contra Luciferia. *rediret Domino imperante tranquillitas.* Et alibi; *Si, ait, verè crederem, trunco crucis hærerem; nec prius*

prius omitterem, quàm miſericordiam impetrarem.

De perſeverantia in operibus bonis & tentationibus, ait Chriſtus ad diſcipulos in cœna; *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ideo diſpono vobis regnum*, &c. Et angelo Smyrnæ dicitur in Apocal. *Scio tribulationem & paupertatem tuam; eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Laudatur perſeverantia Iob; *Et adhuc* (videlicet poſt tot perpeſſa mala) *permanens in innocentia ſua.* Et Tobiæ, *quod in captivitate poſitus, viam tamen veritatis non deſeruit.* De Abraham dicit Apoſt. quod *Longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem.* Et monet David; *Exſpecta Dominum:* & quid interim facturus ſum? *Cuſtodi viam ejus.* Si hoc fecero, quod inde bonum? *Et exaltabit te.* Sed quomodo? *ut hæreditate capias terram*, videlicet viventium: de qua idem Propheta; *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Sic & D. Auguſt. *Non te terreat, ô Chriſtiane, quod credita differuntur: licet in abſcondito ſit promiſſio, in ſpe tamen perſeveret oratio: Exercere operibus, creſce virtutibus. Dum fidei conſtantia probatur, gloria retributionis augetur. Scias*, inquit S. Bern. *Diabolum ſoli ſemper perſeverantiæ inſidiari, quam ſolam virtutum novit coronari.*

Luc. 22. Apoc. 2. Iob 2. Tob. 1. Hebr. 6. Pſalm. 36. Pſalm. 26. Apud Proſp. Sent. 93. Epiſt. 32.

Tertiò notandum, quod ait Chriſtus; *Triduò ſuſtinent me, nec habent quod manducent.* Poteſt eſſe aliquis cum Iesu, & non habere quod manducet, cū ipſe ſit cibus & potus animæ Chriſtianæ, imò omne bonum? Nonne eſſe cum Iesu dulcis eſt paradiſus; ſicut contrà, eſſe ſine Iesu, gravis infernus? *Ubi benè erit ſine illo?* ait Aug. tract. 51. in Ioan. *aut quando malè eſſe poterit cum illo?* Dicit D. Cyprian.

Marc. 8. Kemp. l. 2. de Imitat. c. 8. Cypr. de Mortal.

August. Tract. de Paſtor. c. 5. *Non ad hoc credidit Chriſtianus, ut immunis à contractu malorum, mundo feliciter perfruatur; ſed ut omnia hîc perpeſſus, ad futuram lætitiam reſervetur.* Et S. Aug. *Non putet Chriſtianus, quia Chriſtianus, quod melius aliquid habebit in hoc ſeculo: imò quia Chriſtianus, aliquid plus paſſurus eſt.*

Hom. 8. in Matth. Bene Chryſoſt. ait, *Sanctos neque tribulationes, neque jucunditates ſinit Deus habere continuas; ſed tum de adverſis, tum ex proſperis ipſorum vitam, quaſi admirabili varietate contexuit.* Oſtendit in Joſeph viro Mariæ. Triſtis erat conſpecta uxore gravida; lætus cùm audivit ab Angelo, eſſe à Spiritu Sancto; rurſum lætus in nativitate pueri, triſtis ob turbatum Herodem & omnem Heroſolymam cum illo: iterum lætus in adoratione Magorum, triſtis cùm audiit, Accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; quærit enim Herodes puerum ad perdendum eum. De Civit. Lib. 18. c. 51. *Eccleſiæ*, inquit D. Aug. *rebus proſperis conſolatio, ne frangatur adverſis; & rebus adverſis exercitatio, ut non corrumpatur proſperis, Dei providentia procuratur: atque ita temperatur utrumque ab alterutro, ut inde dicatur in Pſalmo:* Pſal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Epiſt. 77. *Res proſpera*, ait idem Auguſt. *donum eſt Dei conſolantis; res adverſa, donum eſt Dei admonentis.*

Marc. 8. Quartò notanda ſententia Domini; *Si dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via.* 2. Cor. 5. Domus noſtra æterna eſt in cœlis; Ibid. hîc in tabernaculo ſumus, quod mobile eſt, & militiæ ſervit, 1. Pet. 2. Heb. 13. quia non habemus hîc manentem civitatem; & quamdiu in hoc mortali corpore ſumus,

pugnare

pugnare debemus; hoſtes enim noſtri multi ſunt & validi. *Iuſti vita in iſto adhuc corpore bellum eſt, nondum triumphus*, inquit D. Auguſt. Voces belli; *Video aliam legem in membris meis. Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Voces triumphi; *Abſorpta eſt mors in victoria*, &c. Iob 7. Serm. 49. in Nov. Rom. 7. Galat. 5. 1. Cor. 15.

Ad domum noſtram tendimus per viam hujus vitæ: ſi deeſſet cibus, deficeremus in via. Sed vide bonitatem Dei. Promiſit regnum, ad quod tendendum nobis eſt & aſpirandum: dat etiam viaticum, quo ad eundum confortamur. Viaticum eſt gratia ejus interior, de qua dicitur: *Omnia poſſum in eo qui me confortat*; & illa facit pedes noſtros tanquam cervorum, ut omnia hujus ſeculi ſpineta, nobis occurrentia, tranſiliamus. Viaticum eſt verbum Dei, ſpiritualis animæ cibus, quo ipſa nutritur & fovetur. Viaticum eſt Corpus Chriſti, & alia Eccleſiæ Sacramenta, quæ ſunt ſpiritualia remedia quibus ſanamur, & arma quibus contra hoſtes nobis in via inſidiantes munimur. Denique ad viaticum pertinent exempla Chriſti & Sanctorum. Unde Petrus, *Chriſto paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Et, *Sanguine martyrum*, ait Auguſt. *tanquam oleo in Chriſto ardor charitatis inflammatur.* Sicut etiam de Verbo Dei dicit, quod *ſit tanquam oleum quod infunditur, ne lucerna Eccleſiæ, quæ ſpes ejus eſt, extinguatur.* Bernard. Philip. 4. Pſal. 17. & ibi Auguſt. 1. Petri 4. Serm. 31. in Nov. In Pſal. 2.

Denique cum Dominus miſericordia motus ſuper turbam ne in via deficeret, paucos panes ſic multiplicavit, ut per manus Apoſtolorum diſtributi, millibus aliquot ſatiandis ſufficerent, veluti præſignavit & credibilius fecit, quod Marc. 8. Ioan. 6. Matth. 14.

poſtea ex magna erga nos miſericordia, ne defi-
Chryſ. hom. 15. in c. 5. Ioã. ceremus in laborioſo iſto certamine hujus vitæ. Divina benedictione ſua, & Apoſtolorum ſuorum, aliorumque Sacerdotum miniſterio, panem in corpus ſuum vertit, quod toti fidelium multitudini, diverſis in regionibus diſperſæ, perpetuò ſatiandæ
In cap. 9. Lucæ. ſufficit. Unde D. Ambroſ. *Myſticum eſt*, inquit, *quod & manducans populus ſatiatur, & Apoſtoli miniſtrant. Nam & in ſatietate, repulſæ in perpetuum famis indicium deſignatur; quia non eſuriet qui acceperit cibum Chriſti. Et in Apoſtolorum miniſterio futura diviſio Dominici corporis, ſanguiniſque præmittitur.*
Ioan. 6. Unde etiam apud Ioannem Chriſtus occaſione multiplicatorum panum magnifica pleraque de re hujus Sacramenti, vel ut alii, de ipſo Sacramento locutus eſt.

In Pſal. 118 Serm. 18. De quo pulchrè Ambr. *Iam menſa cœleſtis honore ſuſcipior, epulis meis non pluvia undatur, non terræ partus laborat, non arborum fructus; potui meo non flumina quærenda, non fontes. Chriſtus mihi cibus, Chriſtus mihi potus. Caro Dei, cibus mihi; & Dei ſanguis, eſt potus. Non jam ad ſatietatē mei annuos exſpecto proventus, Chriſtus mihi quotidie miniſtratur. Non verebor ne qua mihi cœli intemperies, aut ſterilitas ruris immineat, ſi pii cultus diligentia perſeverat*, &c.
De Verb. Evang. citatus à Beda in c. 10 1. Corint. Sic & D. Aug. *Quando manducatur, reficit, ſed non deficit; non ergo timeamus, fratres, manducare iſtum panem, ne fortè finiamus illum, & poſtea quod manducemus, non inveniamus. Manducetur Chriſtus, vivit manducatus, qui ſurrexit occiſus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus; & quidem in Sacramento ſic fit, & norunt fideles quemadmodum manducent carnem Chriſti. Unuſquiſque accepit partem ſuā,*

unde

Digitized by Google

unde & ipſa gratia partes vocantur; per partes manducatur, & manet integer totus; per partes manducatur in Sacramento, & manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Sic Aug.

Unde & S. Andreas Proconſuli ut idolis immolaret præcipienti; *Ego*, inquit, *omnipotenti Deo, qui unus & verus eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, aut hircorum ſanguinem; ſed immaculatum agnum in altari, cujus carnem poſteaquam omnis populus credentium manducaverit, agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat & vivus. Sumit unus, ſumunt mille; quantum iſti, tantum ille, nec ſumptus conſumitur*, ait D. Thomas. Videmus ergo in hoc Sacramento imaginem vitæ futuræ. *Hæreditas enim futuri ſæculi*, quæ ſervatur nobis, in qua cohæredes ſumus Chriſti, *non minuitur multitudine filiorum, nec numeroſitate cohæredum fit anguſtior: ſed tanta eſt multis, quanta paucis; tanta ſingulis, quanta omnibus.* Sic nec hæreditas hujus ſæculi, quam Chriſtus abiens in cœlum nobis reliquit, id eſt, corpus ejus, veluti Helias aſcendens, pallium ſuum Helizæo.

In Vita.

D. Thomas in hymno Sacrament.

Proſp. ſent. 198.

4. Reg 2.

Chryſoſt. hom. 2. ad popul.

MONITUM XLIV.

Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.

Matth. 26.

DE ea tentatione hîc ſermo eſt, qua nimirum ſpiritus hominis vexatur, ut à juſtitia diſcedat. Qua tentatione, utpote noxia, Deus

Iacob. 1.

Deus neminem tentat. *Nam tentatione utili, quando non decipimur vel opprimimur, ſed probamur, etiam Deus tentat, unde dictum eſt: Proba me Deus & tenta me.* Noxia autem tentatio duobus fit modis, extrinſecus & intrinſecus. Qui extrinſecus hominem tentant, in duplici numero ſunt, nempe Diabolus, qui ab Apoſtolo, per excellentiam *is qui tentat*, vocatur; & homines impii Diabolo ſimiles. Hi tentant docendo iniquitates, ſuadendo, ad eas patrandas exhortando, ſenſibus ea unde de iniquitate cogitetur, offerendo, & variis modis carnalia deſideria commovendo. Atque hæc agunt duobus modis, vel per proſpera, fac & hoc habebis; vel per adverſa, fac ne hoc patiaris. Sed nemo frangitur adverſarum rerum moleſtia, qui proſperarum delectatione non rapitur; multóque plures delectationibus ineſcantur, quàm tribulationibus franguntur. Quod non intus tentat, eſt propria concupiſcentia prava ex peccato originali in juſtis relicta, juxta quod Paulus dicit; *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et Iacobus, *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.*

August. de bono perſever. c. 6.

Pſal. 25.

1. Theſſ. 3.

Vide Aug. Serm. 12. in Nov.

Rom. 7.

Iac. 1.

In hac eſt præcipua noſtri tentatio; qua devicta, Diabolus quoque & mundus ſuperatur, qui per eam in nos valent; quorum impetus non tantopere eſſent nobis extimeſcendi, niſi inſidiis eorum & artibus illa nos redderet opportunos. Unde pulchrè D. Ambroſ. *Diſcamus cavere quem gerimus, hic nobis hoſtis domeſticus, hic inimicus gravis noſtri ipſius corporis, inflammatur vino, ardet libidine, decore mulieris occurſantis accenditur, ſpe alitur,*

In Pſal. 118. Serm. 11.

deſpera

Digitized by Google

deſperatione uritur, illecebris exuritur, non evaporat effectu, timore turbatur, metu frangitur, luxuria mollitur, laſcivia diſſolvitur, labore afficitur, ſollicitudine fatigatur, paſſione conteritur. Miraris ſi inter tot adverſarias paſſionum vices, ſe etiam juſtus tenere vix poſſit, cum impares ſimus etiam ſingularum certamini paſſionum? &c.

Non autem tentat Diabolus vel miniſtri ejus, niſi quod in nobis carnaliter dominatur. Ideóque circuit nos ſingulos, inquit D. Cyprian. *& tanquam hoſtis clauſos obſidens muros, explorat & tentat, an ſit aliqua pars membrorum minus ſtabilis & minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur; offert oculis formas illices, ut viſu deſtruat caſtitatem, aures per canorum muſicum tentat, ut ſonus dulciori auditu ſolvat & molliat Chriſtiani vigorem. Denique*, ut ait D. Hilar. *movet per infirmitatem carnis noſtræ omnia poteſtatis ſuæ tela, cùm ad laſciviam accendit, cùm ad ebrietatem illicit, cùm ad avaritiam provocat, cùm ad odia ſtimulat, cùm ad cædes inſtigat, cùm ad maledicta exacerbat:* ſed omnes hi conatus fruſtranei erunt, ſi concupiſcentiæ, per quam dejicere nos molitur, virtute reſiſtimus.

Aug. in Pſal. 143. Serm. de zelo & livore.

Chryſoſt. lib. 6. de Sacerd. c. 6.

Apud Aug. cont. Iulia. lib. 2. cap. 8.

Quæ triplex in nobis eſt, uti declarat S. Ioannes. *Quicquid*, inquiens, *in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ:* explicans non tam peccata omnia, quàm peccatorum omnium peſſimas radices. Concupiſcentiam carnis vocans, inordinatum deſiderium earum rerum, quæ pertinent ad carnem, quibus natura ſuſtentatur; cujuſmodi ſunt cibus & potus, & concubitus, quo humani generis ſpecies conſervatur, & alia conſimilia. Concupiſcentiam oculorum

1. Ioan. 2.

D. Thom. in 1. 2. q. 77. art. 5.

Serm.33. de verb. Domini. lorum appellans omnem curioſitatem, quæ valdè latè patet, ut in addiſcendis curioſis & nefariis artibus, in vanis aut turpibus contuendis ſpectaculis, in conquirendis magnis opibus, in dignoſcendis carpendiſque proximorum vitiis. Superbia eſt, qua quis inordinatè quærit excellere & tentat ardua, qua quis ambit honores, & magnus ſibi videtur, ſive ob divitias, ſive ob potentiam, ſive ob ingenium, & ſcientiam, ſive etiam propter ipſam virtutem.

Gen.3. Per hæc vitia tentatus & victus eſt Adam. Per carnis quidem concupiſcentiam, cum perſuaſit ei hoſtis, ut de vetitæ arboris fructu comederet: per concupiſcentiam autem oculorum, quando ſuggeſſit, *ſcietis bonum & malum, & aperientur oculi veſtri:* per ſuperbiam verò, quando dixit, *eritis ſicut Dii.* Per eaſdem concupiſcentias innumeris modis tentatur poſteritas Adæ, quamdiu in hoc mundo vivit, uti latè declarat D. Aug. in Conf. Ab iiſdem vitiis tentatus eſt & Dominus Iesus, ſed non item ſuperatus. Per concupiſcentiam carnis, cum proponeret ei ſathanas; *Dic ut lapides iſti panes fiant:* per concupiſcentiam oculorum, dum conſuleret, *ut mitteret ſe deorſum,* experiendi cauſa, utrum angeli ipſum eſſent excepturi: per ſuperbiam, cùm promitteret ei ſathanas *omnia regna mundi, cum univerſa eorum gloria.*

Lib.10. Cõf. à c.28 uſque ad finem. Matth.4. In Pſal. 8. in fine.

Vide Aug. li.1. de ſer. Domini in mont. & de Gen. cont. Manich. cap.14. Sed hoc benè notandum, quod homines integri, quamdiu tales perſiſtebant, & Chriſtus Dominus, cum & ipſe eſſet incorruptiſſimus, interna tentatione, ſive quæ à propria carne exurgeret, ſive quæ ab hoſte inviſibiliter per interiores ſenſus inferretur, tentari minimè potuerunt, ſed

Digitized by Google

ſed eo duntaxat genere tentationis, quod extrinſecus verbis aut factis admoveretur. Ac primùm quidem non à carne propria tentari potuere, quòd illa ſpiritui nequaquam rebellaret, neque infecta concupiſcentia eſſet, ſed rectæ rationi per omnia obtemperaret, pleniſſimè ac placidiſſimè ſubjecta ſpiritui. Greg. hom. 16. in Evang.

Deinde non etiam intrinſecus inviſibiliter per objectas quaſdam rerum corporearum imagines, eo quòd cogitandi ſeu imaginandi facultas apprehendere & concipere nihil poſſet, niſi ex rationis imperio, & deliberata voluntate. Quo fiebat, ut etiamſi quam maximè vellet, ſtudioſeque niteretur diabolus ſenſus internos objecta ſpecie commovere, nunquam tamen efficere id poſſit, ob ſummum rationis in ſubjecta omnia principatum, cujus ea erat plenitudo, ut nullus inferiorum facultatum motus, nulla operatio ejus nutum atque imperium præveniret. Quò accedebat, quod eſſet mens hominis integri ſanctis atque utilibus ſemper cogitationibus occupata, ut vel hac ratione fraudibus Diaboli, ac vel primis ingreſſibus ejus aditus eſſet præcluſus. Externam verò tentationem illa integritas admittebat, quod manifeſtum facit & primorum hominum & Chriſti tentatio. Ideoque veriſſimè dixit Gregor. *Omnem illam Diabolicam contra Chriſtum tentationem foris, non intus fuiſſe peractam.*

At nunc utrique generi tentationis obnoxios nos reddit naturæ communis infirmitas & depravatio. Nam perturbato ordine humanæ diſpoſitionis, neque appetitus interior, neque facultas cogitandi rationi parent. Quo fit, ut inviti ſæpenumero Homil. 16. in Evang.

ro vel fœdiſſimorum phantaſmatum ſpectra in cogitationis ſenſu patiamur, vel carne pruritum concupiſcentiæ ſuſtineamus. Et fit interior tentatio aliquando à carne, aliquando ab hoſte, ut intelligatur non omne peccatum immediatè ex dæmonis tentatione ſuboriri. Neque enim exiſtimandum eſt, ſimulatque vel propriæ carnis impetum, vel illicitæ cogitationis irruptionem aliquam paſſi ſumus, id à Diabolo effectum eſſe, ſed & propria nobis atque ingenita vetuſtas, vel ſola nos ad malum alliciat atque impellat, ac poſſe ex memoria præteritorum, & perceptæ recordatione voluptatis, turpium rerum phantaſmata in animum incidere.

Chryſoſt. lib. 1. de provident. Dei. Baſil. in reg. brevioribus interrog. 75.

Quod autem ſubinde reperias univerſa peccata Diabolo aſcribi, ideò fit, quia primus ille malorum inventor atque auctor exſtiterit: Omnia ſiquidem peccata ex concupiſcentia ducunt originem; concupiſcentia autem ex primo homine in poſteros omnes transfuſa eſt; primi autem hominis peccatum Diaboli ſuggeſtionem & invidiam primam cauſam habet. Si verò ſpectes cujuſque peccati proximam & immediatam originem, contingit ut ea ſit propriæ carnis tentatio, non Diaboli. Solet ille tamen ſerpens antiquus obſervare & advertere, ſi qua ex nobis tentatio ſuborta ſit, moxque adeſſe & cooperari, atque incendere domeſticum contra noſmetipſos hoſtē, bellumque vehementius & gravius reddere.

Hieron. lib. 2. cont. Ruffin. Proſp. reſp. 31. ad object. Vincent.

Quapropter Apoſtolus dicit; *Non eſſe nobis colluctationem adverſus carnē & ſanguinem, ſed adverſus ſpirituales nequitias*, quæ in hoc aëre circumvolant, quarum inſidias non multùm pertimeſcere

Epheſ. 6.

cere deberemus, ſi non intus eſſemus depravati; ex qua naturæ depravatione tanto majus periculum exiſtit, quanto magis illa de noſtro blandiri videtur. Neque enim aliena eſt à nobis illa corruptio, nec vigor naturæ alienæ, ſed languor propriæ. Unde patet, quod carnis tentatio interior difficilius vincitur, quia interius oppugnans de noſtro contra nos roboratur.

Quando autem oramus ne intremus in tentationem, hoc petimus, *ne alicui tentationi vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti*. Petimus, ut parcens infirmitati noſtræ, aut tentationem à nobis avertat, & voluptatibus ſeu affectionibus nos tentari non ſinat, aut majori miſericordia tentationes ſuperare nos faciat. Petimus, quod pro Corinthiis petiit Apoſtolus, dicens; *Oramus Deum, ut nihil mali faciatis*. Is enim dicitur intrare in tentationem, vel qui incipit tentari ad peccatum; vel convenientius juxta Scripturam, qui mentem ſuam à propria concupiſcentia liberam non ſervat, ſed ei conſentiendo cedit. Aug. epiſt. 121. c. 11. 2. Cor. 13.

Sed operæpretiũ eſt inveſtigare, quomodo præcipiat nos Chriſtus orare Deum, ne nos inducat in tentationem; cogit ergo aliquem ad peccandum, aut ſuadet & facit peccata? Dicit ſcriptura: *Ipſe nemini mandavit impiè agere, ſed odit omnes qui operantur iniquitatem. Nemo*, inquit Iacobus, *cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat: unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus* (à bono) *& illectus* (in malum.) Si Deus auctor eſſet pravæ concupiſcentiæ quæ in nobis eſt, veriſſimè diceretur incitare & tentare ad peccatum, Eccl. 15. Pſalm. 6. Iac. cap. 1.

catum, ſicuti ipſa. Sed concupiſcentia, quæ nos tẽ-
1.Ioan.2. tat, & ad peccatum incitat, *non ex patre eſt, ſed ex*
Galat.5. *mundo.* Unde Paulus docet contra eam pugnare, tanquam Spiritui ſancto contrariam, atque quantum fieri poteſt, penitus mortificari. Unde D. Proſp.
Sent.14. ad c. Gallor. & reſp. ad 10. object. Vinc. Pſalm.36. *Peccata non inſtituere novit ſancta Divinitas, ſed damnare; non diſponere, ſed punire; videlicet, cùm homines mala admittunt, ſuis concupiſcentiis & voluptatibus ſerviunt, quas ab illa prima voluntariæ prævaricationis labe traxerunt. Cùm autem declinant à malo & faciunt bonum, à Domino greſſus hominis diriguntur, ut viam illius velit.*

De nat. & grat. c.23. Dicitur autem Deus inducere in tentationem, & deſideria cordis ſui. Primò quia Deo hominem deſerente, & ſua ſingulari gratia non protegente, & contra proprias concupiſcentias non adjuvante, ſtatim vincitur homo propria concupiſcentia, & obedit ei, contempta & neglecta lege Dei. Hæc deſertio, pœna peccati eſt per ſe, divino intenta & inflicta judicio; peccatum verò per accidens. Neque enim deſerendo directè ac per ſe hoc agit Deus, ut fiat homo deterior; ſed accidit hoc pravitate hominis ſibi relicti, deſertionemque comitatur; idque ut eveniat, peccator merebatur. Pœna autem iſta peccati, Deique judicium ſignificatur in Script. plerumque vocabulis traditionis, excæcationis, obdurationis, quæ apud D. Aug. &
Aug. ſerm. 10. in nov. l.5. in Iulia. cap.3. tract.53. in Ioan. Chryſoſt. per illam ipſam deſertionem explicantur juſtam.

Ad hoc accedit & alia ratio, nempe, quod Deo deſerente hominem, multa ejus beneficia cum homine permanentia, per pravitatem concupiſcentiæ efficiuntur mortifera. Non quòd

hoc

hoc agat, velitque Deus, ut peccatores gravius ruant,& deteriores evadant : ſed quod ea quæ bonis fuiſſent adjumenta virtutis, poſtea malis & immutatis,prout digni ſunt, vertuntur in impedimenta ſalutis. Ut enim bonus etiam malis utitur benè, ſic contrà malus etiam bonis utitur malè. Sic ait Apoſtolus; *Factum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, ad mortem.* Quia ergo hæc beneficia Deus non ſubtrahit abutenti, & inde majoris occaſionem peccati accipienti, dicitur coram *homine pendere offendiculum, & in tentationem eum inferre.* Quo genere locutionis dicitur pater nimium blandus perdere filios indulgentia & beneficiis. Rom.7. Ezech.14. Sapien.14.

Denique hac ratione inducit Deus in tentationem, *quia ſua ſponte malas hominum & dæmonum voluntates inclinat quò vult,ut quoſdam præ aliis tentent,judicio quidem occulto,ſed ſine dubitatione juſtiſſimo.* Sicut incitavit voluntatem ſathanæ,ut potius ſollicitus eſſet ad Achab ſeducendum per mendaces Prophetas, quam alium; & Semei voluntatem paratam ad malum,ut Davidi potiùs quam alteri convitiaretur.Hic notandum, malitiam voluntatis,neque in genere, nec in particulari à Deo fieri,ſed determinari duntaxat ad locum, tempus, perſonam,ut vel in hos potiùs, vel in illos expleatur; vel hoc potiùs tempore & loco, quàm illo. Quò pertinet, quod Iudæ dictum eſt: *Quod facis, fac citius.* De grat. & lib.arb. cap.20. 3.Reg.18. 2.Reg.24.

Ex eo autem quod orare jubemur ne intremus in tentationem: conſtat ſine gratia Dei, quem oramus, tentationi nos non poſſe reſiſtere; alioqui fruſtra juberemur ſic orare, ſi Ioan.13.

Deo

Digitized by Google

Deo non juvante, peccata vitare poſſumus. Unde pulchrè Celeſtinus Papa I. *Nemo*, inquit, *etiam baptiſmatis gratia renovatus, idoneus eſt ad ſuperandas Diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium Dei, perſeverantiam bonæ converſationis acceperit*; *ſicut docet Innocentius primus dicens, Nam quamvis hominem redemerit à præteritis ille peccatis, tamen ſciens illum poſſe peccare; ad reparationem ſibi, quemadmodum poſſet illum & poſt iſta corrigere, multa ſervavit, atque quotidiana præſtat ille remedia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo adjuvante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Quod & in Conc. Carthag. & Milevitano definitum eſt.

Epiſt. 1. c. 6.

Epiſt. 91. apud Aug.

Can. 3. 4. 5.

Hoc poſtremò animadvertendum eſt, non eum viciſſe tentationem cenſeri, qui vitii unius amore, aliud compreſſerit, tanquam clavum clavo pellens; cujuſmodi fuere Romani permulti, qui ingenti gloriæ cupiditate alias cupiditates ſuperarunt hactenus, ut non eas operando ſequerentur. Nam ſicut veriſſimè dicit Auguſt. *Cupiditas carnalis, qua peccatum augetur, cupiditate alia non ſanatur.* Sed is demùm tentationem vincit, qui Dei & virtutis amore non ceſſit, quemadmodum idem Auguſt. de Civitate Dei ait: *Tunc victa deputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur.*

Cont. 2. epiſt. Pelag. l. 2. c. 4.

De civit. l. 21. c. 16.

MONI

MONITUM XLV.

Vis imus, & colligimus ea? Non.

Matth. 13.

HAc parabola declarare Chriſtus voluit, non eſſe id agendum Eccleſiæ miniſtris & filiis, ut omnia quæcunque uſpiam deprehenderent zizania, evellere, ac velut in faſciculos collecta, à ſua ſocietate univerſa ſegregare meditarentur. Non enim hoc temporis iſtius eſſe, ut in terra boni ſine malis degant: non id hominibus miniſterium convenire, ut hic à bonis omnes ſejungant malos; ſed hanc eſſe propriam ſupremi judicii ſeparationem; hoc ſeparandi miniſterium Angelis eſſe deſtinatum. Quamvis enim juſtò dolore ſervi moveantur, quòd tritico cernant permiſta zizania, malintque & optent puri tritici aſpectu frui; nullus tamen eò proſilire debet, ut id agendum putet, ne ullos ſuperbos, ne invidos, ne vanos & glorioſos, ne ſuſurrones & detractores, ne avaros, ne ebrioſos, ne otioſos & mendaces, ne ullos tales vitioſos & impuros homines, veraque zizania tolerare cogatur. Fuêre quondam ejuſmodi impatientes per ſuperbiam, ut Novatiani, qui ſe Cathatos, id eſt, mundos, puroſque vocabant: ut Donatiſtæ, qui eodem laborabant ſuperbiæ vitio, ex quo præcipites in ſchiſmata, tanquam ſolis deberet Eccleſia granis conſtare, ſeſe ab reliquis ſegregarunt.

Vide Leon. de li. Chriſti.

Cujuſmodi homines D. Cypr. objurgans; *Nec*

Lib.3. epiſt.3. *quiſquam ſibi,* inquit, *quod ſoli filio Pater tribuit, vindicare poteſt, ut putet aut ad arcam ventilandam & purgandam palam ferre ſe jam poſſe, aut à frumento universa Zizania humano judicio ſegregare. Superba eſt iſta obſtinatio & ſacrilega præſumptio, quam ſibi furor pravus aſſumpſit.* Et rurſum. *Quantus,* ait, Lib.4. epiſt.2. *arrogantiæ tumor eſt, quanta humilitatis & lenitatis oblivio, arrogantiæ ſuæ quanta jactatio, ut quis aut audeat, aut facere poſſe ſe credat, quod nec Apoſtolis conceſſit Dominus, ut zizania à frumento putet ſe poſſe diſcernere, aut quaſi ipſi aream purgare conceſſum ſit, paleas à tritico conetur ſeparare.*

Tract. de ovib. ca.5. Ad quos etiam Sanct. Auguſt. reſpiciens, atque Evangelicæ parabolæ de zizaniis non extirpandis ſenſum nobis aperiens: *Alia,* inquit, *eſt agri conditio, alia quies horrei. Tolera, ad hoc enim natus es; tolera, quia fortè toleratus es. Si ſemper bonus fuiſti, habeto miſericordiam; ſi aliquando malus fuiſti, noli perdere memoriam. Et quis eſt ſemper bonus? facilius, ſi te Deus diligenter diſcutiat, inveniet te etiam nunc malum, quàm tu te ſemper bonum. Ergo toleranda ſunt Zizania hæc inter frumentum; hirci inter* Matth. 13. *arietes, hœdi inter oves. Quid autem ille de frumento? In tempore,* inquit, *meſſis dicam meſſoribus: Colligite primùm Zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum autem meum recondite in horreo. Tranſiet agri conditio, veniet meſſis diſcretio. Exigit nunc Dominus de nobis patientiam, quã proponit in ſe, dicẽs tibi; Ego certè ſi voluero modò judicare, nunquid iniquè iudicabo? nũquid falli potero? Si ego qui ſemper rectè iudico, & qui falli non poſſum, differo iudicium meum; Tu ignorans quemadmodum iudicandus ſis, audes tam præproperè iudicare? videte*

fratres.

fratres, quemadmodum illis ſervis volentibus ante tẽpus eradicare zizania, hoc opus nec in meſſe conceſſit: Ait enim, in tempore meſſis dicam meſſoribus; non ait, dicam vobis. Sed quid, ſi ipſi meſſores erunt? Non, nam exponendo omnia ſingulatim; Meſſores, ait, *Angeli sũt. Homo ergo carne ſeptus, vel caro totus, audes uſurpare officium alienum, quod nec in meſſe erit tuum?*

Et alibi idem Aug. *Tantum*, inquit, *te torquet injuſtitia aliena, quantum receſſeris à tua. Cùm enim fueris frumentum;* id eſt, *herba bona de ſemine bono, cùm expetis fructum dare, tunc tibi apparebunt zizania. Cùm cœperint apparere zizania, videbis te inter malos; velle habes quaſi ſeparare à te malos, & ſeparare ab Eccleſia omnes malos. Reſpondebit tibi Domini ſententia; Sinite utrumque creſcere uſque ad meſſem. Separare ea non potes, tolerare tibi neceſſe eſt.* Sic August. ſignificans, neque hujus eſſe temporis, neque hominum, ſed Angelorum officium, malos à bonis omnibus ſecernere, oves ab hœdis, zizania à tritico ſeparare, ut ſit area Domini repurgata penitus; in qua nullus poſſit zizaniorum aſpectus offendere. In pſal. 98.

Propterea ergo ſervi reprehenſi ſunt, quòd evellendis zizaniis adferrent tritico vicino periculum, & quòd ante tempus evellere atque extirpare zizania conarentur. Obſervanda itaque ac tenenda eſt ſententia Cypriani, quâ ſic hortatur; *Non debet autem fidem noſtram aut charitatem impedire zizaniorum multitudo, quæ in Eccleſia cernitur; nobis modò laborandum eſt, ut frumentum eſſe poſſimus, ut cùm cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro & labore capiamus.* Verùm qui zizania colligi prohibet (quod tum Lib. 3. epiſt. 3.

fit, cùm ſeorſum à tritico ſimul in unum omnia congregantur) is non aliqua notabiliora, & quæ peculiari aliqua pernicie rebus humanis aut divinis officerent, diverſis locis & temporibus evelli zizania, prohibuit; cùm ut tollerentur, vel Reipubl. tranquillitas & incolumitas, vel unitas atque integritas Eccleſiæ, quæ per hæreticos violatur, poſtularet. Sicuti nec quia permitti juſſit creſcere zizania uſque ad meſſem, idcirco ſingula voluit ſine pœna tolerari. Namque arboris incrementa non prohibet, qui ab ea ramos quoſdam areſcentes abſcindit.

In ca. 5. ad Gal.

Doctrina perverſa, eſt fermentum, juxta D. Hieron. *Igitur à maſſæ vicinia ſemovendum: ſcintilla ſtatim ut apparuerit, opprimenda; ſ. candæ putridæ carnes; ſcabioſum animal à caulis ovium repellendum; ne domns, maſſa, corpus, & pecora omnia corrumpantur, ardeant, putreſcant, intereant. Arius in Alexandria una ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim reſtincta eſt, totum orbem ejus flamma populata eſt. Quæ eſt iſta miſericordia, uni parcere, & omnes in diſcrimen adducere?* Sic & Chryſ. *Ligna colligens in Sabbatho, id eſt, parvum præceptum tranſgrediens, & Oza miniſteriū ſibi non congruens uſurpans, id eſt, arcam alioqui ſubvertendam fulciens, occiſi ſunt. Qui adoranda & ineffabilia corrumpit dogmata, veniam conſequetur?*

In câ. 1. ad Gal.

Cont. Collat. cap. 22.

Imò *ex reliquiis naturæ*, inquit D. Proſp. *intelligit homo mores civitatum, concordiamque populorum, non poſſe aliter contineri, niſi ut rectè factis præmia, & peccatis pœna decernerentur.* Ac zizaniorum nomine non ſolùm hæretici, ſed & fures, latrones, avari, ſuperbi, raptores, ſacrilegi, ipſo Chriſto interprete intelliguntur. *Zizania*, inquit, *ſunt filii nequam.* Nō

Matth. 13.

ergo

ergo latrones, vel incendiarii, vel proditores, &c. extremo ſupplicio affici poterunt à bonis Iudicibus, quia dixit Dominus, Non; cum & ipſi hæretici tales occidant? Si illi occidi poſſunt, cur non & hæretici corruptores fidei, interfectores animarum, pacis & unitatis Eccleſiaſticæ perturbatores? Certè D. Aug. cùm dixiſſet, *modo ſeparationis tempus non eſſe, ſed tolerationis*; continuò ſubjunxit, *non ideo ſe iſta dicere, ut corripiendi dormiat diſciplina*, (eſſet enim Reſpublica velut navis ſine clavo:) *Imò verò*, inquit, *ne in illud judicium incauti veniamus & cæci, negligentes cæcitatem noſtram, ſubitò nos ad ſiniſtram veniamus, diſciplina exerceatur, judicium non præcipitetur.* Tract. de ovib. cap. 5. Cyprian. epiſt. 31.

Ad hanc autem exercendam in Republica diſciplinam pertinere, ut quædam à Reipub. corpore tanquam membra noxia præcidantur, non modò omnis ſemper benè ordinata Reſpub. declaravit, ſed & Deus ipſe, cùm præcepit, ne maleficos, ij qui poteſtatem gererent, vivere paterentur. Neque id ſolùm in cauſis civilibus faciendum, qualis in furtis & latrociniis vindicandis attenditur: verum etiam in cauſa Religionis atque Eccleſiæ, cùm olim Eliæ in Prophetas Baalaticos demonſtravit exemplum; tum tempore etiam novi teſtamenti, in Ananiam & ejus conjugem Petri ſeveritas teſtata eſt. Quod enim illi *mentiti fuerant, non hominibus, ſed Deo*, repentinæ mortis ſupplicio punitum eſt: non ut hoc metu cæteri à Reipub. cohiberentur injuriis, ſed quò hîc in religionis Chriſtianæ veneratione, ſedulaque obſervatione continerentur. Exod. 18. Rom. 13. 3. Reg. 18. Actor. 5.

Cur non hic tum Chriſtiani doctrinæ Evan-

Digitized by Google

tate, ſit manus tua ſuper eum, & effunde ſanguinem eorum, & auferes malum de medio Iſraël.

Hæc eò pertinent, ut intelligamus Ananiam & Sapphiram propter violatæ religionis cauſam, acerbè quidem, ſed merito à Petro fuiſſe tractatos. In cauſa itaque ſimili, cur nequeat fieri miniſterio creditæ poteſtatis, quod vocis ac verbi miniſterio factum eſt? namque in cauſis puniendorum criminum nihil aliud ſunt Iudices, quàm miniſtri Dei, quemadmodum Paulus apertè docet. Rom. 13. Qui proinde ſi quos occidunt, non Chriſto officium ſuum eripiunt, ſed ejus autoritate & poteſtate funguntur. Lib. 3. adu. Parmenia. & Donat. Author eſt Optat. Milevit. quantopere adverſus Catholicam pacem Donatiſtarum oblatrarit invidia, quòd à Macario præfecto Marculus & Donatus ſchiſmatici homines interfecti dicerentur. *Quaſi* (inquit ille) *in vindictam Dei nullus mereatur occidi. Priſcillianus*, ait Hieron. *& ſæculi gladio, & totius orbis authoritate damnatus eſt.* In epiſt. ad Cteſiphont. *Et plerique ejus diſcipuli legum publicarum enſe proſtrati ſunt*, inquit Leo. Leo epiſt. 93. Pronuntiat Bernard. *Satius eſſe ut hæretici gladio coërceantur, illius videlicet, qui non ſine cauſa gladium portat, quàm in ſuum errorem multos traducere permittantur.* Bern. epiſt. 15.

Nullus quidem noſtrum, inquit Aug. *vult aliquem hæreticum perire, ſed aliter non meruit habere pacem domus David, niſi Abſalon filius ejus eſſet in bello extinctus: Et Eccleſia ſi aliquorum perditione cæteros colligit, dolorem materni ſanat cordis, tantorum liberatione populorum.* Epiſt. 50. Idem Auguſt. non dubitavit factum regis Nabuchodonoſor, quo omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo, lege terribili Epiſt 48.

omnia ſuadendo & monendo. *Non mihi occurrerat*, inquit, *quod ementes & vendentes ejecerat è templo*. Et D. Leo; *Etſi Eccleſiaſtica lenitas*, inquit, *Sacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones, ſeveris tamen Chriſtianorum Principum conſtitutionibus adjuvatur, dum ad ſpiritale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale ſupplicium.* Quorum gratiarum actiones videre licet apud D. Auguſt.

Ioan. 2.
Epiſt. 93.
Epiſt. 48.
cōt. Petilia. lib. 2. c. 84.

MONITVM XLVI.

Duo homines aſcendebant in templum, ut orarent: unus Phariſæus, & alter publicanus.

Luc. 16.

DUo nobis homines in Evang. ob oculos ponuntur, unus Phariſæus, alter publicanus; unus ſuperbus, alter humilis; unius ſuperbia arguitur, alterius humilitas commendatur. Non autem reprehenditur Phariſæus quòd Deo gratias agebat de donis, (ſi tamen ea habebat) hoc enim omnibus faciendum. Niſi fortè Deo agebat gratias tanquam Doctori, & legis datori; non tanquam ei qui dat gratiam, ut lex impleatur. Sed in eo reprehendendus, *quia velut ſaturatus*, inquit Auguſt. *nihil ſibi ad juſtitiam addi petebat*; vel ut idem alibi: *quod tanquam ſatur & plenus, non oraverit ut Deus ſuppleret ſibi quæ nondum donaverat*. *Væ vobis*, ait Chriſtus, *qui ſaturati eſtis*, id

In pſal. 49.
Lib. 2. c. 5. de peccat. merit.
Luc. 6.

id eſt, qui putatis vos plenos bonis ſpiritualibus.

Hujus vitæ perfectio eſt, ſcire & agnoſcere, quantum nobis deſit, & juſtitiam eſurire. *Hæc hominibus ſola perfectio*, ait Hieron. *ſi imperfectos eſſe ſe noverint. Unde Apoſtolus, ex parte ſe accepiſſe, ex parte comprehendiſſe ſe dicit, præteritorum oblivisci; & in futurum ſe extendere, oſtendens præſentibus ſe non eſſe contentũ. Nemo fidelium*, ait Proſp. *quamvis multum profecerit, dicat, Sufficit mihi. Qui enim dixerit, remanſit, & hæſit in via ante finem, qui non perſeverabit uſque in finem. In hac enim vita, quæ tota tentatio eſt, etiam in ſublimiſſimis ſanctis, non apprehenditur illa perfectio, cui non ſuperſit aſcenſio*. Et D. Leo, *Eſt ea vera perfectaque juſtitia perfectorum, ut nunquam ſe præſumant eſſe perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione ceſſantes, ibi incidant deficiendi periculum, ubi proficiendi perdiderunt appetitum*. Præcipitur autem etiam hîc homini omnimoda perfectio, ut: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*. Et, *Non concupiſces: ut in eo præcepto*, inquit D. Aug. *ſciremus, & quò debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quò poſſit à nobis in illa immortalitate beatiſſima perveniri; niſi enim quandoque perficiendum eſſet, nunquam jubendum eſſet*. Peccavit ergo, quia non oravit, ut Deus ſuppleret quæ deerant. *Quid oraverit, quære in verbis ejus, & nihil invenies*, ait idem Auguſt.

In epiſt. ad Cteſiph. Philip. 3. 1. Cor. 13. Sent. 234. Sent. 102. Iob 7. Serm. 2. de Quadrag. Lib. 1. c. 29. de Nupt. Ser. 36. de verb. Dom.

Deinde, peccavit, quia Deum tantum uſque ad ſe volebat eſſe divitem. *Cùm*, inquit Aug. *corrigeris à via tua mala, & incipis benè vivere, intellige hoc dono Dei fieri; à Domino enim greſſus hominis diriguntur. Cùm hoc intellexeris, fave & aliis, ut ſint quod & tu es; nõ enim uſque ad te dives eſt Deus*. Debebat

In pſal. 49. Pſalm. 36.

ergo

ergo orare,dona & huic publicano,quæ mihi donaſti. Hinc Chriſtus voluit orationem noſtram eſſe publicam & communem, inquit Cyprian. *ut unus oraret pro omnibus*, idem aliis omnibus quod ſibi petens, *quomodo in uno omnes ipſe portavit.* Dicis in oratione,*Panem noſtrum*, non meum; *da nobis*, non mihi. *Dimitte nobis*, non mihi; *debita noſtra*, non mea. Hoc invidorum & ſuperborum eſt, non velle parem aut ſuperiorem, vel eſſe aliquid in eo,in quo alium eſſe nolunt;hinc ſua dona aliis non communicant, ut ipſi ſemper excellentiores maneant. De orat. Dominic.

Quibus diſſimilis erat Sapiens,qui de ſeipſo dicebat,*Sapientiam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.* Sic Moyſes dum rogaretur à Ioſue, ut prohiberet Eldad & Medad ne prophetarent,abſque omni livore reſp.*Quid æmularis pro me? Quis tribuat,ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum? Non ſufficit ſcire Sapientiam*,inquit Hieron. *niſi & alios erudias,tacituſque ſermo doctrinæ alium non ædificans, mercedem operis recipere non poteſt*, *juxta illud Sapientis; Sapientia abſcondita,& theſaurus inviſus,quæ utilitas in utriſque?* Unde & Auguſt. Sapientiam à Deo petens,per Chriſti ſanguinem; *Non calumnientur*,inquit, *mihi ſuperbi, quoniam cogito pretium meum, & manduco, & bibo, & erogo. Exaudiat miſericordia tua deſiderium meum, quia non ſibi ſoli æſtuat, ſed uſui vult eſſe fraternæ charitati.* Sic & alios hortatur; *Sic manduca, ut eructes; ſic accipe,ut des. Manducas, cùm diſcis; eructas,cùm doces; manducas cùm audis, eructas cùm prædicas.* Sap. 7. Num. 11. In cap. 12. Daniel. Eccleſ. 41. Li. 10. cõf. cap. ultim. & li. 11. c. 2. In pſal. 144

Denique in eo peccavit Phariſæus, quia alios

præ

præ ſe contempſit, & publicano eſurienti & ſitiẽti juſtitiam, quaſi ipſe jam plenam haberet, per ſuperbiam inſultabat. Pulchrè D. Aug. *Hæc prima ſit induendæ humilitatis ratio, ut ſciat homo gratiâ Dei ſe eſſe quod eſt. Deinde ne de ipſa Dei gratia ſe extollendo, ſpernat cæteros*; quomodo hic Phariſeus. Magna quidem gratia eſt ab aliis diſcerni per fidem, charitatem & alia bona, & hoc licet conſiderare, non ut quis ſpernat alios, qui hujuſmodi donis ſunt deſtituti; ſed ut *homo ad agendas gratias Deo ex ipſa fiat collatione ferventior, & in ruina aliorum diſcat, in quæ mala per liberum arbitrium rueret, niſi gratia Chriſti ſubveniret. Quis enim te diſcernit*, ait Apoſtolus? Si dicas, mea fides, mea juſtitia: reſpondebit tibi; *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

De S. Virg. cap. 41. In pſal. 93. Proſp. reſp. ad object. 13. 1. Cor. 4. Aug. de cor. & grat. cap. 5. & 7. epiſt. 46.

Ut autem nemo alium ſpernat, cogitet ſecum has duas ſententias, unam D. Leonis, alteram S. Proſp. *Quantalibet quis excellentia ſanctitatis emineat*, inq. Proſp. *quantalibet eminentia perfectionis excellat, poteſt quidem fieri pro modulo hujus vitæ perfectus, ſed non eſt ſic de ſua perfectione ſecurus, ut non debeat eſſe de caſu ſollicitus.* Et Leo; *Quos viles fecit carnalis ſapientia, neſcimus quàm pretioſos Spiritalis factura ſit gratia. Siquidem plurimos novimus in optimos mores tranſiſſe de peſſimis, ex ebrioſis ſobrios, ex crudelibus miſericordes, ex ferocibus factos eſſe trãquillos.*

De vir. cõt. lib. 1. cap. 9. Ser. 10. de Quadr.

Sicuti autem reprehenditur Phariſæi ſuperbia, ita laudatur humilitas Publicani. Duplex eſt autẽ humiliandi noſtri ratio. Altera eſt, qua agnoſcimus unde accepimus quod nos habere ſentimus, dicentes cum Apoſtolo; *Nos enim non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus*

1. Cor. 2.

mus quæ à Deo donata ſunt nobis. Spiritus mundi eſt,quando quis ſibi tribuit, quod à Deo accipit: Spiritus Dei eſt, quando quis agnoſcit, bonum quod habet, à Deo ſe habere. Hoc modo auditis Divinis muneribus ſibi datis,humiliavit ſe virgo Maria,cùm ait; *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, quia fecit mihi magna qui potens eſt. Licet enim melior ſit,* inquit Aug. *qui novit à quo ſperet quod nondum habet,quam qui ſibi tribuit quod habet; attamen utrique horum præferendus eſt,qui & habet,& novit à quo habet.*Et rurſus; *Arguens ſuperbiam Apoſtolus, non ait; Non habes,ſed ait; Quid enim habes quod non accepiſti? Non argueris, quod dicebas te habere quod habebas; ſed quia ex te tibi volebas eſſe,quod habebas: imò & habere te agnoſce,& ex te nihil habere, ut nec ſuperbus ſis,nec ingratus.*

Luc. 1.

De Spir. & lit.cap.13.

In pſal.85.

1.Cor.4.

Altera eſt, qua nos veraciter agnoſcimus, & humiliter confitemur, non eſſe quod non ſumus; ſicut publicanus agnovit & humiliter confeſſus eſt, ſe iuſtitiam non habere, qua carebat, profitendo ſe peccatorem. Quam humilitatem etiam variis indiciis teſtatus eſt; ſtando à longè, quaſi non auſus templum ingredi, indignum ſe tam religioſo judicans loco. Deinde, non audendo, nec oculos, quos pudor illi & reverentia Divinæ Majeſtatis in terram defixerat,ad cœlum,ſive ad Deũ tollere.Denique percutiendo pectus ſuum, quaſi conſcientiam ſuam manu verberans,& pœnas de ea ſponte ſumens. *Tundere enim pectus quid eſt,* inquit Aug. *niſi arguere quod latet in pectore, & evidenti pulſu occultum caſtigare peccatum?* Sunt autem quidam,de quibus Apoſtol. *Exiſtimant ſe aliquid*

Serm.8 de verb.Do.

Galat.6.

Digitized by Google

Apoc.3. *quid eſſe cùm nihil ſint*. Et Ioannes in Apoc. de quodam, *Tu dicis, Quia dives ſum & locupletatus, & es miſer & miſerabilis, pauper & nudus. Superbus*, inquit D. Proſp. *vult ſe credi conſtantem, prodigus liberalem, avarus diligentem, temerarius fortem, guloſus humanum, ignavus quietum, timidus cautum, impudens fidentem, procax liberum, verboſus eloquentem, curioſus ſtudioſum. Et talis anima dupliciter rea eſt, quia & bonum non facit unde ſpiritualiter vivat, & boni ſimilitudinem appetit, ſub qua malè vivat & lateat*. Sic & S. Hier. *Aliud eſt virtutem habere, aliud virtutis ſimilitudinem: aliud eſt rerum umbram ſequi, aliud veritatem. Multò deformior eſt illa ſuperbia quæ ſub quibuſdam humilitatis ſignis latet. Neſcio enim quomodo turpiora ſunt vitia, quæ virtutum ſpecie celantur. Malum eſt*, inquit D. Aug. *cadere à propoſito, ſed peius eſt ſimulare propoſitum.*

Proſp. de vit. contẽpl. li. 3. c. 1.

In epiſt. ad Celant.

Serm. 2. de comm. vit. cleric.

Iuven. Sat. 14.

> *Fallit enim vitium*, ait Poëta, *ſpecie virtutis & umbra,*
> *Cùm ſit triſte habitu, vultuque & veſte ſeverum;*
> *Nec dubiè tanquam frugi laudatur avarus.*

Ibidem. *Similitudo autem virtutis*, inquit Proſp. *quæ videtur virtus eſſe, cùm virtus non ſit, nihil aliud eſt, quàm mendacium, & ideo non eſt virtus dicenda, ſed vitiũ.*

Sicuti igitur rectè commendatur publicani humilitas, qui ſe quod non erat, veraciter & humiliter non eſſe confeſſus eſt: ita vituperanda eſſet Sanctorum ingratitudo, ſi affectantes videri eſſe humiles, id ſe eſſe negarent, quod Deo miſerente acceperunt; ſed neceſſe eſt, ut & ſe habere confiteantur, quod habent, & ex ſe non habere, ne veritatem humilitatis in mendacio conſtituant. Utraque hæc humilitas in Chriſtiano eſſe debet, & maximè

maximè ſpiritali. Multa enim habet bona, quæ ſeſe à Deo habere confiteri humiliter debet, ne ſit ingratus; multa etiam ei adhuc deſunt, quæ ſe non habere confiteri humiliter debet, ne ſit ſuperbus. Sicque ſe ſemper in gemina hac operatione exerceat, laude videlicet Dei de acceptis, & invocatione Dei pro accipiendis. Sicut de filiis novi Teſtamenti prædixit Iſaias, cùm ait; *Dicetis in illa* Iſai. 12.
die; Confitemini Domino, & invocate nomen ejus.

MONITUM XLVII.

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.

Matth. 5.

MAlè intelligebant Scribæ & Phariſæi præceptum Domini, Non occides, putantes eo non prohiberi, *niſi eam corporis humani peremptionem, qua vita privatur*, ut dicit D. Auguſt. con- Lib. 19.
tra Fauſtum. Quorum falſam aut inſufficientem cap. 23.
doctrinam in Evang. redarguit Chriſtus, oſtendens; *etiam omnem iniquum motum ad nocendum* 1. Ioan. 3.
fratri, in homicidii genere deputari. Unde & Ioan- Matth. 5.
nes ait, *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Iſtis ergo dictum eſt, *Qui ſoluerit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum*, id eſt, qui ſic minima mandata Hieron. in
Dei violant, ut alios etiam violare doceant licere, comment.
& ad violandum ſua falſa doctrina inducunt, in Eccleſia, vel extremo reſurrectionis tempore, minimi

Chryſ. in 16. c. Mat. Aug. de Serm. Dom in monte. nimi, ſeu viliſſimi erunt futuri. Doctrinæ enim Chriſtianæ puritatem etiam in minima parte corrumpere, non leve crimen eſt. Tales erant Phariſæi; nam fratri iraſci, odiſſe introrſum, in animo latenter concupiſcere, peccata eſſe non putabant; qui verò ab externo actu temperaſſent, hos legi paruiſſe affirmabant. Quos Dominus corrigit, Matth. 5. dicens: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri ſuo, racha, reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.*

His quatuor modis committitur homicidium; ſed in culpa gradus ſunt, ſicut & in pœnis erunt. Lib. 21. Moral. c. 5. *Per gradus culpæ,* inquit D. Gregor. *crevit ordo ſententiæ, dum ira ſine voce, judicio; ira in voce, concilio, ubi cauſa ſententia definitur; ira verò in voce atque ſermone, gehennæ ignibus mancipatur.* Contra falſam Stoïcorum opinionem de paritate vitiorum, quam & Iovinianus hæreticus ſequebatur: Quam Lib. 2. in Iovinia. confutat D. Hieron. & ridet Horatius; dicens in li. 1. Satyr. 4. Sermonib.

Nec vincet ratio hoc tantumdem ut peccet, idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Divûm ſacra læſerit: adſit
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
Nec ſcutica dignum horribili ſectêre flagello. Iure ergo ridet eam Horat. alioqui enim omnia peccata paribus ſuppliciis punirentur.

Peccatorum autem imparitas naſcitur vel de propria cujuſque ſpecie, ut quæ eſt inter mendacium & homicidium, aut inter ebrietatem & adul

Digitized by Google

adulterium; vel ex circunſtantia, cujus eandem ſpeciem peccati eſſe contigerit, de qua D. Chryſ. Homil. 78. in Matth.
Non ſunt quippe, ait, *eadem in omnibus peccatis, ſed multa variaque ſupplicia; nam & ætate, & educatione, & dignitate, & ingenio, & uſu rerum atque prudentia, aliiſque compluribus variantur.* Et infra; *Vides quàm multa, variaque diſcrimina in uno peccato, id eſt, in una ſpecie peccati conſiderentur. Aliud ante legem, aliud poſt legem; aliud ſacerdotis, aliud laici; aliud ditiſſimi, aliud pauperrimi; aliud catechumeni, aliud fidelis, id eſt, jam baptiſati. Cæterùm magna etiam in cognitione differentia naſcitur. Qui novit voluntatem Domini, & non facit, vapulabit multis, alter paucis. Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi, ſcilicet grave & excellens. Locus etiam differentiam facit, quod ipſe Dominus ſignificavit, inter templum & altare, id eſt* in loco ſacro. Luc. 12. Iacob. 4. Matth. 23.

Ipſa quoque delicta modos quoſdam habent, quibus diverſificantur. Quò poteſt illud pertinere, *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*, tametſi hoc exemplo Chryſoſt. non utitur. Quamvis autem æquè rectæ ſint virtutes, cùm quæque in ſuo genere ſint abſolutæ, non tamen omnes æquè præſtantes. Quemadmodum contingit duas virgulas, auream & argenteam æquè rectas eſſe, tametſi aurea ſit præſtantior. Sic ſolvitur argumentum Ciceronis in Paradoxis. Ioan. 19. Cicero in Parad.

Sed redeamus ad dictos gradus. Primus gradus eſt iraſci, ita tamen ut eum motum retineat homo corde conceptum, ne foras ſe prodat. Et rectè adjicit Dominus (ut quidam Patres legunt) *Qui iraſcitur fratri ſuo temerè*, ſeu, *ſine cauſa*; eſt enim ira quædam bona ac ſalutaris, cui affectus læden- Aug. lib. 1. de Serm. Dom. c. 19. Irenæ. li. 4. cap. 27. Baſil. hom. cont. iracund.

Chryſoſt. & alii Græci.

di non adhæret,& quæ non pernitiem,ſed ſalutem proximi intendit: qua non homini, ſed vitiis ejus iraſcimur; odio habentes in homine, non quod fecit Deus,ſed quod fecit homo. *Non autem is hominem odit, qui vitia ejus odit*,inquit Aug.*Sic enim diligendi ſunt homines,ut eorum non diligantur errores; quia aliud eſt amare quod facti ſunt,aliud amare quod faciunt*.Hac ſalutari ira etiam Salvator noſter aliquoties commotus eſſe legitur. Sed *cùm nemini ſua ira videatur injuſta*, valdè cavendum eſt, *ne mentiatur iniquitas ſibi*, perſuadens ſe tantum odiſſe peccatum proximi, cùm hominem ipſum odio habeat. Ad hunc primum peccati gradum pertinent omnes malæ cogitationes,invidiæ,odia, diſſenſiones,æmulationes,ſuſpiciones malæ, amaritudines,deſideria mortis proximi, occulta gaudia de ejus miſeria,& ſimilia.

Apud Proſp. Sent.2. Vide ſup. Monit.22. Proſp. epigr.98. Pſal.26.

Aug.epiſt. 149.

Secundus gradus eſt, *Si extorſerit vocem indignantis ipſa commotio, non ſignificantem aliquid, ſed illum animi motum ipſa eruptione teſtantem, qua feriatur ille cui iraſcitur homo*. Hoc enim pejus eſt, quàm ſi ſurgens ira ſilentio premeretur.Hoc ſignificat Salvator per Racha: Eſt enim hæc vox Hebræis interjectio iraſcentis, ſicut Latinis eſt Hem; ſicut Heu eſt interjectio dolẽtis.Quò pertinẽt omnia irati animi ſigna,quibus homo indicat,in animo ſuo ſe fratri ſuo malè velle,ut mordere labra, caput quaſſare,attrahere frontem,vultu excandeſcere, naribus ſufflare, torvè intueri, non ſalutare, aut ſalutationes non reddere,& multa alia ſimilia.

Tertius gradus eſt,*cùm iratus in verborum vituperationem erumpit,& voce ſua certam vituperationem exprimit, manifeſtiſque convitiis fratrem proſcindit*.

Gradum

Gradum hunc ſignificavit Chriſtus,dicens;*Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Unde Aug.docet,*Quæ ſint mortifera,quæ venialia peccata; quæ levia,quæ gravia,non humano,ſed Divino penſanda eſſe judicio,ſunt enim quædam,quæ leviſſima putarentur,niſi in ſcripturis demonſtrarētur opinione graviora.Quis enim dicentem fratri ſuo,Fatue,reum gehennæ ignis putaret,niſi Veritas diceret?* Sed nonne ipſe Chriſtus diſcipulos ſuos *ſtultos* vocavit? Et Apoſtolus ejus Galatas *inſenſatos?* Intelligendum ergo & hic,temerè,ſeu ſine cauſa,ut in præcedentibus.Dixerunt autē ex ſpiritu charitatis,& ſtudio correctionis.*Dilige*, inquit Aug. *& dic quod voles. Nullo modo maledictū erit, quod ſpecie maledicti ſonuerit,ſi memineris,ſenſeriſque te in gladio verbi Dei liberatorem hominis eſſe velle ab obſidione vitiorum.* Matth.5. Enchirid. ca.78.79. Matth.5. Luc.24. Galat.3. In cap.6. ad Galat.

Sicut contrà rectè docet S.Baſil.omne verbum quod eo animo profertur, ut ex eo contumelia ſeu ignominia alter afficiatur, eſſe maledictum, licèt verbum ipſum per ſe non videatur contumelioſum, imò admodum in ſe ſit honorificum.Sic in Evangelio dicitur de Phariſæis, quod *maledixerunt cæco nato*,& dixerunt,*Tu diſcipulus illius ſis.* Nonne Chriſtianum eſſe,vel diſcipulum Chriſti, eſt glorioſum? ſine dubio.Unde de fratre ſuo Cæſario ſcribit Nazianzenus, *quod inter ſummas dignitates & honores,quibus apud Imperatorem pollebat, hoc præcipuum decus arbitrabatur, quod eſſet & haberetur Chriſtianus.* Sed quia illi hoc animo & ſtudio maledicendi objiciebant, ipſis maledictio erat ac contumelia. Ad hunc tertium gradum referendæ ſunt omnes minæ & convitia omnis generis, & univerſa tertiæ linguæ mala,de quibus aliàs. Reg.2.4.in brev.Aug. in pſal.39. Ioan.9. In orat. funeb.

Ultimus gradus eſt cùm quis corporaliter hominem occidit vel mutilat. Quod tantopere deteſtatur Deus, ut etiam *à beſtiis hominum cædis pœnam ſe repetiturum dicat: ac beluam, quæ hominem læſerit, occidi jubeat*, ad demonſtrandum quantum hominem diligat Deus, & homicidium deteſtetur: ſicut etiam præcepit interfici pecus impudicè ab homine cognitum, ut hoc pacto declararet, quàm illud flagitium execrari debeamus. Voluit etiam *hominem abhorrere à ſanguine*, non ob aliam cauſam, quàm ut omni ratione à nefaria cæde & animum, & manus abſtineret. Tollit enim homicida, quantum in ſe eſt, Dei opus univerſum, cùm hominem, cujus causâ omnia ſunt condita, è medio tollit: ac inſignem Deo infert injuriam, quaſique manus ei violentas adferre videtur, qui ejus tollit imaginem.

Geneſ.9. Exod.23. Levit.20. Gen.9.

D. Cyprianus & alii Patres graviter in eos invehuntur, qui opus Dei & facturam ejus, variis colorum fucis adulterare, & lineamenta nativa aliquo medicamine corrumpere non verentur, ut formoſiores videantur. *Manus*, ait Cyprian. *Deo inferunt, quando id quod ille formavit, reformare ac transfigurare contendunt*: quantò magis culpandi, qui idem Dei opus funditus evertunt? Hac conſideratione Macedonius Monachus compeſcuit Theodoſium Imper. à cæde quam cogitabat in Antiochenos ob deturbatam imaginem Placillæ uxoris, & cum ludibrio per urbem protractam. *Offendit*, inquit ad Imper. *opificem, qui ejus imaginem contumelioſè tractat. Offenderis iis qui uxoris imaginem contumelia*

Tertul. de cultu fœminar. Cypria. de hab. & diſcipl. Virg.

Theod. lib. 5. cap. 19. Hiſt.

affece

affecerunt; tu ipſe in Dei imaginem contumelioſus exiſtis. Et quanta inter illas differentia? illa inanimis, hæc viva & rationis compos; pro una ænea imagine, facile nobis eſt multas fabricare; tu autem ne pilum quidem unum eorum quos occidis, facere potes.

Ratio valentiſſima, qua deterreri debet homo ab iſto facinore, eſt quam addidit Dominus prohibens homicidium, *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*. Si imaginem Regis qui deturbat, cenſetur dignus extremo ſupplicio, quanto magis qui perdit Dei? *Ingens his verbis*, inquit Chryſoſt. *terror aſtructus eſt, q. d. ſi te non revocat à cæde hominis, quòd ejuſdem tecum naturæ*, &c. *cogita tamen quod omnis creaturæ dominatu donatus, quod ad imaginem Dei factus*. Ex eo etiam ſatis intelligitur, quantum diſpliceant Deo homicidæ, quod (præter damnationem æternam) in eos pœnam ſtatuit, ut & illi occidantur, nolens eis ullum locum eſſe clementiæ. *Ab altari meo*, inquit, *avelles eum, ut moriatur*. Tulit legem Valentinianus Imper. ſenior de relaxandis vinctis tempore Paſchali. *Nullum*, inquit, *iſto tempore teneat carcer incluſum, omnium vincula ſolvantur*. Sed excipiens aliquos; *Homicida*, ait, *ſemper exſpectet quod fecit*.

Gen. 9.
Hom. 17. in Gen.
Gen. 9.
Matth. 26.
Exod. 23.

Cum verò Apoſtolus *iram, odium, invidiam*, quæ ſunt in primo gradu, *pronuntiet homines excludere à regno Dei*, ut ad Galat. *numerat inter opera carnis etiam inimicitias, æmulationes, invidias*, &c. de quibus terribiliter ſubdit; *Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*: cenſendum eſt omnes iſtos gradus à Chriſto hic poſitos, æterni ignis ſuppliciis ſubjiciendos, ſed tamen differentias pœnarum

Galat. 5.

Digitized by Google

narum fore, ut gravius puniatur qui gravius deliquerit. In æternum ardebit, qui fratri ſuo temerè fuerit iratus; ſed profundius detrudetur in gehennam, graviuſque cruciabitur, qui fratri convitiatus fuerit, ſed multò profundiùs qui eum occiderit. *Neſcio*, inquit Hier. *quis poſſit regnum Dei poſſidere, cùm is qui iraſcitur, ſeparetur à regno.*

In cap. 5. ad Galat.

MONITUM XLVIII.

Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei.

1. Petri 5.

OFficium Epiſcoporum ac Paſtorum eſt, oves ſuas paſcere. Id enim à ſummo Paſtore Chriſtus exegit, ut ſe diligeret, eamque dilectionem erga Chriſti oves oſtenderet, eas diligenter paſcendo. Et ipſe ſummus Paſtor à Chriſto conſtitutus, reliquos Paſtores diligenter hortatur, *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei.* Paſcunt autem oves ſuas variis modis. Primò pro earum ſalute diligenter orando & ſacrificando, id eſt, pro ſuis, populique ſibi concrediti peccatis, pro donis & gratiis ad vitam æternam conducentibus. *Omnis Pontifex*, inquit Paulus, *ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis, &c.* Et Apoſtoli ſuum officium deſcribentes: *Nos*, inquiunt, *orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Ita paſcuntur oves; inde enim, id eſt, ex precibus & ſacrificiis Sacerdotum, magnus ad populum fru-

Joannis ultimo.

1. Petri 5.

Hebr. 5.

Actor. 6.

ctus

ctus redire ſolet. Unde de Sacerdotibus veteris teſtamenti loquens Dominus: *Invocabunt*, inquit, *nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis*. Et Celeſtinus Pontifex dicit, quod *Sacerdotes in precibus ſuis ac ſacrificiis humani generis agunt cauſam, petentes ut fides detur infidelibus, lapſis pœnitentia, catechumenis regenerationis Sacramentum, juſtis incrementa virtutum ac perſeverantia. Atque hæc*, inquit, *non perfunctoriè, neque inaniter à Domino peti, rerum ipſarum monſtrat effectus*, &c. Numer. 6. epiſt. 1. cap. 11.

Graviter ſanè peccant ij Paſtores ac Sacerdotes, qui nec gratias agunt, nec orant Deum pro ſe & populo, quique etiam non legitimè impediti rarò ſacrificant, qui nec horas quidem Canonicas devotè perſolvunt, aut qui perfunctoriè tantum, non verè ex animo, in ſacrificiis, precibus, & laudibus verſantur. Exigit à laicis Apoſt. ut quovis loco orent; & putabunt clerici ſufficere, ſi præſcriptas tantum horas recitent? De talibus Sacerdotibus conqueritur Dominus per Ezechielem; *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini*. Et rurſum; *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inveni*. De talibus in Evang. ait Dominus, *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias dicens; Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*. Et iterum; *Scribæ devorant domos viduarum, ſimulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem*. 1. Tim. 1. Ezech. 13. Ezech. 22. Matth 15. Iſai. 29. Luc. 20.

Secundò, paſcunt oves diligenti ac prompta Sacramentorum adminiſtratione, quæ tanquam Lib. 5. de Sacram. cap. 4.

remedia, ut ſcribit S. Ambroſ. atque Evangelici Samaritani medicamenta, ad animarum ſanitatem vel recuperandam, vel tuendam Dominus nobis reliquit. Virtutem enim, quæ ex Chriſti paſſione manat, id eſt gratiam, quam ille in ara crucis meruit, qua hominis anima ſanatur & confortatur, per Sacramenta, quaſi per quendam alveum in nos ipſos derivari oportet. Horum adminiſtratores ſunt Dei Sacerdotes: hinc eos Apoſt. vocat *diſpenſatores myſteriorum Dei*; Sacramenta enim rectè etiam Myſteria dicuntur, quòd reconditi aliquid contineant. Horum eſt curare, ne baptiſmus, confeſſio, vel communio alicui deſit, vel indigenti, vel petenti; & ſic in cæteris, quæ promptè ac diligenter, hilariter & benignè adminiſtrare debent.

1.Cor.4.

Quid detrimenti populus ex negligentia vel abſentia Paſtorum in Sacramentis adminiſtrandis accipiat, declarat D. Aug. in epiſt. ad Honoratum. Dicit quod *eos, qui pro baptiſmo & pœnitentia ad Eccleſiam currunt, & propter Paſtoris incuriam vel abſentiam habere nequeunt, conſequatur exitium, quodque in æterna vita requie cum cæteris fidelibus non ſint futuri.* Quod quidem eo ſenſu dicit Auguſt. quia quantum ad Paſtores attinet, eorumque culpabilem negligentiam, ad vitam æternam non ſunt perventuri, alioqui *Deus ſe quærentes non dereliquit.* Cura ergo primi Paſtoris non pereunt, qui promiſit, aliis Paſtoribus negligentibus, aut fugientibus, aut ſeipſos paſcentibus, *Ego paſcam oves meas*; tamen ipſi incuriæ ſuæ meritas pœnas dabunt. Querelam populi Africani cùm videret Paſtores & Sacerdotes ſuos agi in exilium, habet

Auguſt. epiſt. 180.

Pſalm. 9.

Ezech. 34

Victor

Victor Uticenſis. *Quinam deinceps*, dicebant, *baptiſaturi ſunt parvulos noſtros? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi, & à peccatorum vinculis ſoluturi? Qui nos morientes ſolemnibus orationibus ſepulturi? Quinã nobis Divini ſacrificii ritum conſuetũ exhibituri?* Vict. Vticẽſ in Hiſt. li. 2.

Tertiò, optimè paſcuntur oves doctrina ſana, quam iis Paſtores debent proponere, idque modis omnibus, qui ſaluti omnium expedierint. Quibuſdam enim lacte, aliis cibo ſolidiore opus eſt. 1. Cor. 3. Hebr. 5. Singulis ea doctrinæ alimenta præbere debent, quæ conveniunt, ac ſpiritum augeant. Dicebat Paulus, *Omnibus debitor ſum, ſapientibus & inſipientibus.* Rom. 1. Lamentabatur Propheta, *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Thren. 4. Opus eſt, ut nulli deſit neceſſaria doctrina, non parentibus, non conjugatis, non liberis, non dominis, non ſervis, non pauperibus, non divitibus, non infirmis, non afflictis, *&c.* Ad hoc enim pertinet quod per Ezechielem Dominus de diverſitate remediorum adhibendorum ovibus dicit, dum ſic queritur; Ezech. 34. *Quod infirmum eſt, non conſolidaſtis; quod ægrotum, non ſanaſtis; quod confractum, non alligaſtis; quod abjectum, non reduxiſtis; quod perierat, non quæſiſtis.* Ubi nihil aliud hæc omnia ſignificant, quàm diverſas eſſe neceſſitates ac infirmitates animarum, & diverſa eis adhibenda eſſe remedia. Quæ omnia promiſit ſe per bonos Paſtores facturum. Sunt enim *ſervi conſtituti à Domino ſuper familiam ejus, ut dent ei cibum in tempore,* Luc. 12. Malach. 2. ut vigilent ſuper eam, quò quiſque operi ſibi injuncto deſudet. Unde Malachias, *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt.* Et in actis dicunt

Apo

Actor.6. Apoſtoli; *Nos orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.*

2. Tim 4. Auguſt.de Paſtor. c.7 & in cap.6. ad Galat. Terribiliter in ſuo Timotheo adjurat Apoſtolus omnes Paſtores: *Teſtificor coram Deo & Chriſto* IESU, *&c. Prædica verbum, inſta opportunè, importunè; argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Actor.20. Ideo de ſe in hac parte loquens; *Scitis,* inquit, *quomodo nihil ſubtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè & per domos. Non enim ſubterfugi, quò minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* 1. Cor.9. Et iterum, *Væ,* inquit, *mihi eſt, ſi non evangeliſavero.* Diſtinct. 43. cap. Finali. Unde rectè Nicolaus I. *Epiſcopis,* ait, *diſpenſatio cæleſtis ſeminis iniuncta eſt; væ ſi non ſparſerint, væ ſi tacuerint, ſicut vas electionis formidat, & clamat.*

Tit. 1. Imò requirit Apoſt. ut Epiſcopus non tantùm *potens ſit exhortari in doctrina ſana, ſed eos etiam* Ser.19.de verb. Apoſt. *qui contradicunt (vel vita vel doctrina mala,* inquit Aug.) *revincere: & ſanam doctrinam commendare* 2.Timo.2. *etiam aliis fidelibus hominibus, qui idonei ſint etiam* Epheſ.4. *alios docere.* Graviter ergo illi Paſtores peccant, qui curam animarum ſuſcipiunt, & docere neſciunt. *Dedit,* ait Apoſt. *Paſtores & Doctores; Non dicit,* Hieron.in hunc loc. Pauli. Et Aug.Epiſt. 59.quæſt.4 *alios Paſtores, alios Doctores,* ut notat D.Hier. ut in præcedentibus dixerat; *ſed alios Paſtores & Doctores, ut qui Paſtor eſt, eſſe debeat & Magiſter; nec in Eccleſiis, quamvis ſanctus ſit, Paſtoris ſibi nomen debet aſſumere, niſi poſſit docere, quos paſcit.* Aut ſi ſciāt Ezec. 3. & 33 docere, tamen negligunt; quibus dicitur apud Ezechielem: *Speculatorem dedi te domui Iſrael, audiens ergo ſermonem ex ore meo, annuntiabis ex me.* Si vel impio ut convertatur, vel juſto ne labatur, non fue-

Digitized by Google

tis locutus, ſanguinem eorum de manu tua requi-
ram. Et damnantur apud Iſaiam, tanquam *Canes* Iſai. 56.
muti, non valentes latrare. Et Ierem. in Threnis; *Pro-* Threnor. 3.
phetæ tui, inquit, *non aperiebant tibi iniquitatem*
tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.

Nec excuſantur qui per alios Paſtoralia munia Epiſtola 4.
peragunt, ut rectè Damaſus Papa; quos dicit *me-*
retricibus ſimiles, quæ ſtatim ut pariunt, infantes ſuos
aliis nutricibus tradunt educandos, ut ſuam citiùs li-
bidinem explere valeant. Sic & iſti infantes ſuos, id
eſt, populos ſibi commiſſos, aliis educandos tradunt, ut
ſuas libidines expleant, id eſt, pro libitu ſuo ſæculari-
bus curis inhient, & quod unicuique viſum fuerit, libe-
riùs agant. Ipſe Chriſtus, inquit, *ovem perditam dili-*
genter quæſivit, ipſe invenit, ipſe propriis humeris re-
portavit, nôſque idipſum facere docuit. Ipſi ergo qui
curam ſuſcipiunt, ipſi peragant, & ipſi proprios mani-
pulos Domino repræſentent. D. Cypr. inter crimina Tract. de
numerat, quod Epiſcopi, *quos & hortamento eſſe* lapſ.
oportet cæteris & exemplo, Divina procuratione con-
tempta, procuratores rerum ſecularium fiant. Nemo 2. Timot. 2.
militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus, inquit
Apoſt. *Ut ei placeat, cui ſe probavit.*

Poſtremò, paſcunt oves Domini Sancta ſua con-
verſatione, & exemplo vitæ, ex quo plurimùm bo-
ni ad populum provenire ſolet. Incitantur enim
intuentes ad imitationem, ut ait Chriſtus de bono
Paſtore; *Ante eas vadit, & oves illum ſequuntur.* Ioan. 10.
Unde D. Hier. cuidam Epiſc. *Converſatio tua,* in- In epiſt. ad
quit, *quaſi in ſpecula conſtituta, magiſtra eſt publicæ* Heliodor.
diſciplinæ; quicquid feceris, id ſibi omnes faciendum
putant. Apoſtolus Timotheo; *Exemplum eſto fide-* 1. Timot. 4.
lium, in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, Tit. 2.
in

Digitized by Google

in caſtitate. Tito; *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum.* Et Petrus Paſtoribus; *Forma* 1. Petri 5. *facti gregis ex animo.* De bonis Levitis veteris Teſtamẽti dicit Propheta; *Lex veritatis fuit in ore ejus (Levi.) In pace & æquitate ambulavit mecũ, & multos avertit ab iniquitate. Tanta debet eſſe ſcientia & eruditio Pontificis Dei,* inq. Hier. *ut & greſſus ejus, & motus, & univerſa vocalia ſint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu reſo*[illegible] *ornatu, ut quicquid agit, quicquid loquitur, ſi*[illegible]*ctrina populorum.*

Malach. 2. Ad Fabiolã de veſt. Sacerd.

Malach. 2. De impiis Sacerdotibus dicitur: *Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandaliſaſtis plurimos in lege.* Talibus etiam apud Ezech. dicitur: *Quod craſſum erat, occidiſtis. Parum eſt,* inq. Aug. *quod infirmas & errantes non curant, etiam fortes & pingues necant. Quomodo, inquis, necant? Malè vivendo, malum exemplum præbendo. Fortè enim etiam fortes declinant oculos à regulis Domini, & intendentes in hominem, incipiunt dicere in corde ſuo; ſi præpoſitus meus ſic vivit, ego quid ſum, qui non faciam quod ille facit? Sed etiam ſi fortes ſint illæ oves in verbo Domini, & tenẽt illud quod audierũt à Domino ſuo; Quæ dicunt, facite; quæ autẽ faciũt, facere nolite. Tamẽ qui in cõſpectu populi malè vivit, quantum in illo eſt, occidit eũ à quo attenditur. Non ſibi ergo blandiatur, quia ille non eſt mortuus; & ille vivit, & iſte homicida eſt.*

Ezech. 34. De Paſtor. cap. 4. Matth. 23.

In Paſtor. part. 1. c. 2. Dicit D. Greg. *Nemo amplius in Eccleſia nocet, quã qui perverſè agẽs, nomẽ vel ordinẽ ſanctitatis habet. Delinquentẽ namque hũc nemo redarguere præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quãdo pro reverentia ordinis peccator honoratur.* Et rursũ; Hom. 17. in Evang. *Nullum puto ab aliis maius præiudiciũ tolerat Deus, quàm à Sacerdotibus; quãdo eos, quos ad aliorum correctionem*

rectionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit; quando ipſi peccamus, qui cõpeſcere peccata debuimus.

Grandis dignitas Sacerdotum, ait Hier. *ſed grandis ruina eorum, ſi peccant. Non eſt tanti gaudii excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de ſublimibus corruiſſe. Neque enim ſolùm pro noſtris delictis reddemus rationem, ſed pro omnium, quorum abutimur bonis, & nequaquam ſumus de eorũ ſalute ſolliciti.* Audet dicere S. Chryſ. *Non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe qui ſalui fiant, ſed multo plures qui pereant. In cauſa eſt, quoniam res iſta excelſum requirit animum, &c.* Gravis admonitio D. Pauli ad Paſtores; *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Eoſdem ad diligentem curam ovium hortatur Damaſus Pontifex, exemplo Patriarchæ Iacob, qui pro uxoribus diu ſervierat, dicens ſocero ſuo; *Viginti annis fui tecum, oves tuæ & capræ ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à beſtia oſtendi tibi; ego damnum omne reddebam; & quicquid furto perierat, à me exigebas: diu noctuque æſtu urgebar & gelu, fugiebat ſomnus ab oculis meis. Si ergo ſic laborat & vigilat qui paſcit oves Laban, quanto labori, quantiſque vigiliis debet intendere, qui paſcit oves Dei?* Sic Damaſus.

In cap. 44. Ezech. Hebr. 13. Homil. 3. in Acta. Actor. 20. Damaſ. epiſt. 4. Geneſ. 23.

Paſtores autẽ qui prædictis modis paverint gregem Dei, percipient, ut inq. Petrus, tãquam mercedem, *coronam gloriæ*; id eſt, valdè glorioſam coronã, *quæ nunquam marceſcet*. Percipient, inquam, tunc, *cũ apparuerit in gloria ſua ſummus Paſtorum Chriſtus* in die judicii. Quod verò dicit coronam gloriæ, non ſimpliciter ſignificat vitam æternam, ſed altiorem præ cæteris gradum. Quod pulchrè Daniel.

1. Pet. 5. Dan. 12. & ibi Hiero.

MONITUM XLIX.

Erudimini qui judicatis terram.

Pſalm. 2.

DIximus de officio Paſtoris, aliquid etiam dicendum de officio Principis. Quem inprimis fundatum eſſe oportet in timore Domini: ſicut David Rex ac nobilis Princeps admonet: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite diſciplinam.* In lege Moyſi jubebatur Regi, ut omnibus diebus vitæ ſuæ legeret Deuteronomium, ſumpto exemplari à ſacerdotibus. *Poſtquam*, ait Script. *Rex ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribus, legétque illud omnibus diebus vitæ ſuæ; ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba ejus.* Sic & Ioſue, cùm jam Dux factus eſſet populi, mandat Dominus: *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut cuſtodias & facias omnia, quæ in eo ſcripta ſunt.*

Pſalm. 2. Deut. 17. Ioſue 1.

Piiſſimus Rex David moriens filium Salomonem regni ſucceſſorem diligenter admonuit, ſic eum alloquens; *Ego ingredior viam univerſæ terræ, obſerva, ut cuſtodias mandata Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, & cuſtodias præcepta ejus*, &c. Cujus exemplum imitatus Theodoſius magnus, moriens, duos filios, quos reliquit Imperii ſucceſſores,

3. Reg. 2.

Digitized by Google

res, (teſte Theodoreto) *veram pietatem colere hortatus eſt; ea enim & pacem conſervari, bellum extingui, hoſtes in fugam verti, trophæa erigi, & victoriam denique conſtare.* Ac Valentiniano juniori inculcavit, ideo illum à Maximo Tyranno imperio exutum, quòd fidem ac veram pietatem deſeruiſſet, ſeductus à Iuſtina matre; *Imperatoriam enim aciem non armis ſtare, ſed juſtis cauſis*, &c. Sic dicitur de Ioſaphat Rege, quod *ſumpſit cor ejus audaciam, propter vias Domini.* Lib. 5. c. 15. Hiſtor. Suidas in Hiſt. 1. Para. 17.

——— ——— *Optima facta*, inquit Poëta,
Dant animum, majórque piis audacia cœptis.

Trajanus ſub Valente Imp. Ariano Magiſter militum adverſus Barbaras Gothorum gentes miſſus, cùm victus confuſuſque rediiſſet, ob eamque rem mollitiem ei Valens timiditatemque objiceret, ille ingenti libertate; *Non*, inquit, *Imperator, ego ſum victus, ſed tu victoriam perdidiſti, cùm Deo reſiſtis, & illius auxilia Barbaris potiùs facis opportuna.* Eidem Imperatori ad pugnam eunti, ait Iſaacius Monachus, *Quò vadis, Imperator, qui pugnas adverſus Deum, quem non habes adjutorem? Ipſe enim contra te Barbaros movit, quoniam & tu adverſus eum blaſphemas linguas incitaſti*, &c. Clariſſimum fuit in Regibus Iudà, quandocunque timebant Dominum, in eóque ſpem collocabant, in omnibus agebant proſperè. Rectè Prudent. explicās ſententiam Platonis; Li. 8. Trip. Hiſt. ca. 13.

Publica res eſſet tunc fortunata ſatis, ſi
Vel reges ſaperent, vel regnarent ſapientes. —— Initio lib. 1. cōtra Symmach.

Sed peculiarius officium Principis explicemus. Imprimis debet eſſe humilis, & magnopere ſibi cavere, ne cor ejus in ſuperbiam elevetur ſuper fratres ſuos. Ita enim mandat lex Domini, Deut. 17.

Digitized by Google

ac Sapiens legis mandatum repetens: *Rectorem te*
Eccleſ. 32. *poſuerunt? noli extolli; eſto in illis quaſi unus ex ipſis.*
De Civit. *Inter linguas ſublimiter honorantium*, inquit S. Aug.
lib. 5. c. 24. *& obſequia nimis humiliter ſalutantium, non ſe extol-*
In Paſtor. *lere, ſed ſe homines eſſe meminiſſe debent.* Et D. Greg.
part. 2. c. 6. *Studeant ſine intermiſſione qui præſunt, ut eorum po-*
tentia, quantò magna exterius cernitur, tantò apud
eos interius deprimatur: ne cogitationem vincat, ne in
delectationem ſui animum rapiat; ne iam ſub ſe mens
eam regere non poſſit, cui ſe libidine dominandi ſup-
In Vita c. 3 *ponit.* Laurentius Juſtinianus, inter labores publi-
cos bellorum dicebat Senatoribus; *Si vultis Do-*
minum veſtri miſereri, nihil vos ex vobis aut eſſe, aut
Eccleſ. 10. *poſſe iudicetis.* Superbiam Principum graviſſima
ſequuntur mala; *Sedes ducum ſuperborum deſtru-*
xit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium
ſuperbarum areſecit Deus, & plantavit humiles ex ip-
ſis gentibus. Membriam ſuperborum perdidit Deus, &
reliquit memoriam humilium ſenſu. Propter ſuper-
Daniel. 4. biam dictum eſt Regi Nabuchodonoſor, *Regnum*
tuum tranſibit à te, donec ſcias, quod dominetur ex-
celſus in regno hominum, &c.

Deinde præ ceteris Temperantiæ ac ſobrieta-
Prover. 31. ti ſtudere debet. Unde Salomon; *Noli Regibus, ô*
Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum ſecretũ
eſt ubi regnat ebrietas; ne fortè bibant & obliviſcantur
iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis. Et
Eccleſ. 10. iterum; *Væ tibi, terra, cuius rex puer eſt, & cuius prin-*
cipes manè comedunt. Beata terra cuius rex nobilis eſt,
& cuius Principes veſcuntur in tẽpore ſuo, ad reficien-
Iſai. 28. *dũ, & non ad luxuriam.* Hinc & Iſaias conqueritur
de Principibus bellatoribus; *Hi quoque præ vino*
neſcierũt, & præ ebrietate erraverũt. Plato Philoſo-
phus

phus gentilis Moderatoribus Rerumpublicarum ſuadet, ut ſummopere ebrietatem caveant. Quin & Carthaginenſes Lege Magiſtratibus uſum vini interdixerunt, quod in ipſis probat idem Plato. Lib.3. de Repub. Sup.Mon. 21

De Auguſto Cæſare traditur, quod fuerit cibi minimi, & ferè vulgaris; vini quoque parciſſimus, ter, non amplius ſuper cœnam bibens, dum in caſtris eſſet. Unde & Sapiens quidam Alexandrum magnum vino deditum ſic admonuit, ejus temperantiam cohibens; *Vinum potaturus, Rex, memento te bibere ſanguinem terræ, ac venenum cicutæ. Sicut cicuta homini venenum eſt, ita & vinum.* Quod præceptum ſi ſervaſſet, non tam atrociter, temulentus, in amicos ſæviiſſet. De ejus temperantia ita Seneca, *Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas, victa temporum locorumque difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt, intemperantia bibendi, & ille Herculanus ac fatalis ſcyphus condidit.* Illum tamen affirmat Hier. ad Lætam, babylonio interiiſſe veneno. *Valde turpe eſt*, inq. Aug. ad Bonifacium comitem, *ut quem non vincit homo, vincat libido: & obruatur vino, qui non vincitur ferro.* Lib.2. de Legibus. Sueton. in Octav. Auguſt 76.77. Plinius lib. 14. Hiſt. c. 5. Epiſtol. 83. Epiſt. 205.

Si tantopere præcipitur Principibus temperantia, magis pudicitia. Sicut ait mater Salomonis Regis: *Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam, & vias tuas ad delendos Reges.* Significatur mulieribus non dandam fortitudinem & robur, tum mentis, tum corporis: perduntur enim vires animi & corporis nimio mulierum abuſu; nec cogitationes & actiones ad id quod delet & perdit Reges, alienans eos à Deo & intentione regiorum negotiorum. Dicit Poëta; Prover. 31.

Digitized by Google

Virg. in appendice. *Nec veneris, nec tu vini capiaris amore,*
Ut Venus enervat vires, ſic copia Bacchi.

Georg. 3. Et rurſum: *Et non ulla magis vires induſtria firmat,*
Quàm Venere & cæci ſtimulos avertere amoris.

Lib. 5. de Civit. c. 24. *In principibus,* inquit Aug. *quantò liberior poſſet eſſe libido, tantò in eis debet eſſe caſtigatior; debentque malle cupiditatibus pravis, quàm quibuſlibet gentibus imperare.* Alexandrum magnum tantæ continentiæ initio Imperii fuiſſe ſcribit Q. Curtius, ut omnes ante ſe reges longè vinceret. Captivas virgines & Reginas excellentis formæ tam ſanctè habuit, quàm ſi eodem quo ipſæ parente genitæ forent; & adeò ipſe non violavit, ut ſummam adhibuerit curam, ne quis earum corporibus illuderet. (Q. Curt. lib. 3.)

Flor. lib. 2. De Scipione Africano refert Florus, quod captivos puellos puellaſque præcipuæ pulchritudinis, ne in conſpectum quidem ſuum paſſus ſit adduci, ne quid de virginitatis integritate delibaſſe ſaltem vel oculis videretur. Pericles Athenienſis Princeps, Sophocli in prætura collegæ, pueri prætereuntis formam impenſius laudanti, intemperantiam ejus increpitans, dixit; Prætoris non ſolùm manus à pecuniæ lucro, ſed etiam oculos à linidinoſo aſpectu continentes eſſe debere. (Valer. Max li. 4. cap. 3.) Apud Chriſtianos verò non defuere Imperatores ac Reges, tam alieni ab omni incontinentia, ut etiam cum ſuis uxoribus perpetuam caſtitatem, imò Virginitatem colerent.

Præcipuè verò mandatur à Deo Principibus, ut juſtitiam adminiſtrent. Unde mater Salomonis; *Aperi os tuum muto*, id eſt, qui pro ſe neſcit, aut non audet loqui; *& cauſis omnium filiorum,* (Prov. 37.)

qui

qui pertranſeunt, id eſt, mortalium. Et Sapiens: *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſſimum; aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur juſtitia thronus ejus.* Themiſtocles Simonidi petenti quiddam injuſtum: *Nec tu*, inquit, *bonus poëta fueris, ſi præter numerum canas; nec ego bonus Princeps, ſi præter leges judicem.* Agis rex à parentibus rogatus, ut ad injuſtum quid adjutor eſſet, reſpondit: Non, *Iuſtitiam enim potius quàm vos ſequar.* Notum eſt exemplum Cambyſis regis, qui iniqui cujuſdam Iudicis pellem detractam, ſellæ intendi, in eaque filium ejus, judicaturum conſidere juſſit: atroci ac nova pœna Iudicis, ne quis poſtea judex corrumpi poſſet, providit.

Prov. 25.
Plutarch. de vitioſ. verecundia.
Valer. Max. lib. 6. cap. 5.

Clariſſimum eſt ex Scripturis, pios Reges circa judicia ſemper fuiſſe diligentiſſimos: obque neglectum aut perverſum judicium, ita increpantur apud Iſaiam impii; *Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.* Et, *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo. Væ, qui condunt leges iniquas, & ſcribentes, injuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis & calamitatis?* &c. *Iuſtitia elevat gentem, miſeros autem facit populos peccatum. Regnum à gente in gentem transfertur, propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos. Ea civitas*, inquit Valer. Max. *id regnum æterno in gradu facilè ſteterit, ubi minimum virium Veneris, pecuniæque cupido ſibi vendicaverit; nā quò iſtæ generis humani certiſſimæ peſtes*

Iſaiæ 1.
Iſai. cap. 5.
Iſai. 10.
Prov. 14.
Eccleſ. 10.
Lib. 4 c. 3.

Digitized by Google

penetraverint, injuria dominatur, infamia flagrat.

Denique Chriſtianorum Principum eſt, dilatare ac muneribus amplificare Dei cultum, honorare Sacerdotes Dei, fovere Catholicos doctores, contra hæreſes & ſchiſmata leges ferre. *Diſſipat impios rex Sapiens, & incurvat ſuper eos fornicem;* triumphum, videlicet, de iis feliciter reportans. Et, *Abominabiles regi qui agunt impiè, quoniam juſtitia firmatur ſolium. Aliter quis ſervit Deo, quia homo eſt, aliter quia etiam rex eſt,* inq. D. Aug. *Quia homo eſt, Deo ſervit, vivendo fideliter; quia verò etiam Rex eſt, Deo ſervit, leges juſta præcipientes, & contraria prohibentes, convenienti vigore ſanciendo. Quis enim mente ſobrius Regibus Chriſtianis dicat, Nolite curare in regno veſtro, à quo tueatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri; non ad vos pertineat in regno veſtro, quis quid velit eſſe, ſive religioſus, ſive ſacrilegus; quibus dici non poteſt, non ad vos pertineat in regno veſtro, quis pudicus velit eſſe, quis impudicus. Cur enim cùm datum ſit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur? An fidem non ſervare levius eſt animam Deo, quàm fœminam viro?*

Prov. 20. Prov. 16. Epiſt. 50. Ibidem.

Et rurſum; *In hoc Reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt tanquam Reges, ſi in regno ſuo bona jubeant, mala prohibeant, non ſolùm quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verùm etiam quæ ad Divinam religionẽ. Fruſtra dicis,* inq. *relinquar libero arbitrio. Cur enim non & in homicidiis, & in ſtupris, & in quibuſque aliis facinoribus, & flagitiis libero arbitrio dimittendum te eſſe proclamas? Quæ tamen omnia juſtis legibus comprimi, utiliſſimum ac ſaluberrimum eſt. Dedit quidem Deus homini liberã voluntatem, ſed nec*

Cont. Creſcon. lib. 3. cap. 31.

nec bonam infructuoſam , nec malam voluit eſſe impunitam. Cum ad Valentinianum Iuniorem ad recuperanda templorum jura & ſacerdotum prophana privilegia cultuſque ſacrorum,ſuos miſiſſet Roma legatos,ſimulque,quod gravius eſt,Senatus nomine niterentur,univerſis qui in cõſiſtorio aderant Chriſtianis pariter & gentibus reddenda eſſe cenſentibus,ſolus ille velut Daniel , excitato in ſe fidei ſpiritu, Chriſtianos quidem perfidiæ arguebat,Gentilibus verò referebat,*Quod pius frater eripuiſſet,hoc à ſe reddi nõ poſſe:quod in eo religio lęderetur & frater.* Denique,*poſtulet*,inq.*Parẽs Roma alia quæcunque voluerit,debeo affectum parenti : ſed magis obſequium Deo, parentis authori*. Ita S. Ambroſ. In orat.funeb. Valent.

Poſtremò meminerint Principes non ſe omnia pro arbitratu ſuo facere poſſe , & quibuſcumque humanis legibus ſolutos , ac liberos. Sed audire debent illud Ambroſii ; *Leges fert Imperator, quas primus ipſe cuſtodiat.* Unde & illud tritum, *Patere legem , quam ipſe tuleris.* Laudatus eſt hoc nomine Lycurgus, quod nihil lege ulla in alios ſanxit,cujus non ipſe primus in ſe documenta daret. Theodoſius quidem dignam Principe vocem eſſe dixit,*ſe legibus ſubditum eſſe profiteri.* Et Trajanus cùm Tribuno militum nudum enſem porrigeret , etiam in ſe uti ipſum voluit , ſi perperam imperaret. L. Divina vox,C.de Legibus.

Plato ait, *In qua civitate lex ſubdita eſt,ibi video pernitiem ei paratam eſſe; in qua verò lex dominatur, & Principes ſervi ſunt legis,ibi video ſalutem & omnia bona.* Lib.4. de Legibus.

Has virtutes ſi Principes habeant , tunc eos felices dicemus ; ſi juſti,inquit Aug.*imperant, ſi ſuam pote-* De Civit. lib.5.c.24.

ſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, Majeſtati ejus famulam faciunt; ſi Deum timent, diligunt, colunt. Si tardiùs vindicant, facilè ignoſcunt; ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ Reipubl. tuendæque, non pro ſaturandis inimicitiarum odiis, exerunt; ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent; ſi quod aſperè plerumque coguntur decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compenſant, &c. *Et ſi hæc omnia faciant, non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem felicitatis æternæ; ſi pro ſuis peccatis humilitatis & miſerationis & orationis Sacrificium Deo ſuo vero immolare non negligant; felices, inquam, interim ſpe, poſtea reipſa futuros, cùm id quod exſpectamus advenerit.*

MONITUM L.

Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.

Ioan. 20.

DIcitur Chriſtus inſufflaſſe, qui quidem flatus ex corpore Domini, non erat ſubſtantia Spiritus Sancti, ſed *ſignificatum eſt, ſic etiam ab ipſo procedere Spiritum Sanctum, quomodo ab ejus corpore flatus ille proceſſit,* inquit Sanct. Auguſt. Sic prima inſpiratione, de qua in Geneſ. ſimul naturam volunt, ſimul naturæ gratiam divinitus datam, D. Baſil. & Ambroſ. Proprium eſt Spiritui Sancto, quod non gignatur, ſed ineffabiliter ex Patre

Lib. 10 de Gen. ad lit. c. 5. & 13.
Geneſ. 2.

Patre & filio, tanquam uno principio procedit. *Et oſtendit mihi* (angelus) ait Ioan. *fluvium aquæ vivæ* (Spiritum Sanctum qui fons eſt omnis voluptatis, bonitatis, felicitatis) *Splendidum tanquam Chryſtallum*, (ob immenſam ejus puritatem; hinc enim ſanctis dicitur, quia omninò purus, alienus ab omni malo, immenſeque bonus) *procedentem de ſede Dei* (Patris) *& agni* (filii Dei.) Nota eſt diſputatio cùm Græcis de proceſſione Spiritus Sancti, & eorum accuſatione, propter additum Symbolo Nicæno, *filióque procedit*; quod & in Conc. Florentino, Græcis unà cum Latinis conſentientibus confirmatum. Hinc & in Script. non ſolum à Patre dicitur mitti, ſed & à filio, quòd videlicet ab utroque tanquam uno principio procedat. Unde D. Cyrillus: *Nobis firmiter credéndum eſt, non eſſe alienum à filio Spiritum Sanctum; nam cùm ei conſubſtantialis ſit, ex patre per ipſum procedit. Quod non eſt aliud, quàm à Patre filioque procedere.*

De Spiritu Sanct. c. 6. In pſal. 118 Conc. 10. Apoc. 22. Ioa. 14. 15. Lib. 12. in Ioan. c. 56.

Donatio autem Spiritus Sancti facta eſt bis: *Fortaſſis*, inquit Auguſt. *propter duo præcepta charitatis, id eſt, proximi & Dei, ut commendaretur ad Spiritum Sanctum pertinere dilectionis utriuſque donatio.* Sic & Gregor. *Quid eſt*, ait, *quod Spiritum Sanctum Dominus noſter & ſemel dedit in terra conſiſtens, & ſemel in cælo præſidens? Niſi quod duo præcepta charitatis ſunt: In terra datur Spiritus, ut diligatur proximus; è cælo datur ſpiritus, ut diligatur Deus. Et ſicut charitas una in gemino eſt præcepto, ita unus idemque Spiritus in gemino dono; & tamen præcedit ibi charitas proximi, quia quiſquis quem videt nō diligit fratrem, Deum quē non videt, quomodo poterit diligere?*

Tract. 74. in Ioan. & Serm. 17. in Nov. Hom. 26. in Evang. Ioan. 20. Actor. 2. 1. Ioan. 4.

Quæſt.9. ad Hedib. *diligere?* Alium habet ſenſum D. Hieron. qui rogatus ab Hedibia, quomodo det Spiritum Sanctum, cùm jubeat eum exſpectari? Reſpond. *Spiritus Sancti varia ſunt dona, ex iis hodie aliquid datum Apoſtolis; aliquid in Pentecoſten reſervatum.* Deinde gratia Spiritus Sancti habet numeros & gradus ſuos, ut creſcere, augerique poſſit. Ac diverſis Sacramentis datur gratia plus minuſve copioſa; pro authoris voluntate & inſtitutione; hinc Pſal. 103. ſemper clamandum, *Emitte Spiritum tuum, &c.* ut aut det gratiam quæ non habetur, aut ut confirmet & augeat eam quæ habetur.

Accipitur autem Spiritus Sanctus pro ipſo dono ſeu gratia; quæ duplex eſt; una gratum faciens; altera gratis data. Prior homini datur propter ſe, & eſt charitas, humilitas, patientia, manſuetudo, *&c.* Poſterior, ferè propter alios, ut eſt ſermo ſapientiæ & ſcientiæ, gratia ſanitatum, poteſtas ligandi & ſolvendi, *&c.* Prior quidem à Sacerdote exigitur, tamen poſterior ſine priore conſtare poteſt: nam & mali conſecrant, abſolvunt, prædicant, *&c. Memento*, ait S. Auguſtin. Cont. Petil. lib. 2. c. 47 Cont. Creſ. lib 4. c. 20 Cont. Donat. lib. 4. cap. 4. *Sacramentis Dei obeſſe nihil mores malorum hominum, quo illa vel omninò non ſint, vel minùs ſancta ſint. Illa namque per ſeipſa vera & ſancta ſunt, propter verum & Sanctum Deum, cujus ſunt.* Deinde Deus reſpicit ſanctitatem Eccleſiæ, cujus illi ſunt miniſtri; ſicut grata eſt eleemoſyna, quæ datur à bono domino per famulum nequam. Eadem eſt figura ſigilli, ſive aureo, ſive ferreo annulo inſculpta ſit, inquit Nazianzen. ita idem eſt miniſterium, ſive boni, ſive mali teneant; ſed tamen mali dum proſunt aliis, ſibi nocent; veluti candela

dela ardens alios illuminat, ſeipſam conſumit.

Chriſtus autem eo ipſo quo Apoſtolis, & in eis aliis Sacerdotibus, poteſtatem dedit remittendi & retinendi peccata, ipſos Iudices conſtituit. *Ecce*, inquit D.Greg. *qui diſtrictum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt; & alios damnant vel liberant, qui ſemetipſos damnari metuebant. Horum profectò nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent: Ligandi atque ſolvendi poteſtatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Grandis honor, ſed grave pondus honoris iſtius eſt. Durum quippe eſt, ut qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, iudex vitæ fiat alienæ. Et plerumque contingit, ut hic iudicii locum teneat, cui ad locum vita minimè concordat, &c. Proinde ſæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipſe ligatus ſolvat. Sæpe in ſolvendis & ligandis ſubditis ſuis voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur. Unde fit, ut ipſe hac ligandi & ſolvendi poteſtate ſe privet, qui hanc pro ſuis voluntatibus, & non pro ſubjectorum moribus exercet, &c.* Hom. 26. in Evang.

Si judices ſunt, ergo diſcernere debent, quæ & quorum peccata remittenda ſunt, vel retinenda. Iudicium autem illud voluit eſſe non temerarium, ſed benè libratum ac maturum. Ideóque non poteſt judicium illud ferri ſuper incognitis. Quiſquis igitur cupit ſuper peccatis ſuis ferri ſententiam remiſſionis, neceſſe eſt, ut ea ipſa proprio ore prodat, cùm aliter nullius peccata cognoſci poſſint. Unde D.Hier. dicit: *Sacerdotem cùm peccatorũ audierit varietates, ſcire quis ligandus ſit, quiſve ſolvendus.* Et in Conc. Carthag. 3. *pœnitentibus ſecundum peccatorum differentias, Epiſcopi arbitrio pœniten* In cap. 19. Matth. Conc. Carth. 3.

pœnitentiæ tempora decernebatur. Notam igitur oportebat eſſe differentiam peccatorum, nec poterat eſſe nota, niſi ex propria confeſſione reorum, niſi in quibuſdam publicis, quæ pauca ſunt comparatione cæterorum.

Epiſt. 91. *Multiplex* (inquit Leo magnus) *miſericordia Dei ità lapſibus ſubvenit humanis, ut nõ ſolùm per baptiſmi gratiã, ſed etiã per pœnitẽtiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, & qui regenerationis donũ violaſſẽt, proprio ſe judicio condemnãtes, ad remiſſionẽ criminũ pervenirẽt. Sic divinæ voluntatis præſidiis ordinatis, ut indulgẽtia Dei, niſi Sacerdotũ ſupplicationibus nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominũ homo Chriſtus* Jesus, *hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatẽ, ut & cõfitẽtibus ſatisfactionẽ pœnitentiæ darent, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Ipſe etiam Chryſ. apertè docet, fidelibus baptiſatis, etiam qui publicè non peccaverunt, nec ſunt excommunicati, neceſſariam eſſe Confeſſionem ad eum finem, inquit, *ut ad Dominicam menſam munda conſcientia, ſecuraque conveniant.*

Hom. 10. in Matth. Aniano interprete.

Nota autem miniſterium hoc remittendi vel retinendi peccata diſpenſatorium eſſe: Diſpenſatoris autem eſt non proprium ſequi arbitrium, ſed legem ſibi à Domino præſcriptam, ut videlicet non remittat niſi confitenti, pœnitenti de præteritis, & proponenti cavere futura, eorumque pericula, reconciliato cum proximo, volenti aliena reſtituere, *&c.* Alioqui ratum non habebit Dominus, ſed ut D. Cyprianus ait, *Sententiam ſervi corrigit Dominus*; loquens de iis qui nimis facilè lapſis pacem dabant. *Pax iſta*, inquit, *pericu-*

Lib. 4. epiſt. 2. Tract. de lapſ.

loſa

Digitized by Google

laſa dantibus, accipientibus nihil omninò profutura.

Agit S.Cypr.non contra hanc poteſtatem, ſed contra hujus poteſtatis abuſum,quo tum à multis Sacerdotibus peccabatur, qui erat,quod putarent pro ſuo arbitratu ſe remittere poſſe peccata cui velint,quaſi domini eſſent,non miniſtri,ſine pœnitẽtia,& nimis facilè.Poteſtatem autem,niſi in Sacerdotibus agnoviſſet,non diceret;*Confiteantur ſinguli delictum ſuum,dum adhuc qui deliquit in ſaculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio per Sacerdotes facta apud Dominum grata eſt.Nemo quidem poteſt remittere peccata, niſi ſolus Deus,ſed ille per eos quoque dimittit,quibus dimittẽdi tribuit poteſtatem*,inq.S.Ambr.*Quidam Epiſcopi & Sacerdotes*,ait Hier. *aliquid ſibi de Phariſæorum ſupercilio aſſumunt, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur; cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur.* Tract.de Lapſis. Lib. 5. in Lucam,in cap. 5. In cap.16. Matth.

De quibus Propheta;Mortificabant animas,quæ non moriuntur,& vivificabant animas, quæ non vivunt. Non morientem mortificat, ait S. Greg. *qui juſtum damnat. Et non victurum vivificare nititur,qui reum à ſupplicio abſolvere conatur. Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum ergo eſt quæ culpa, aut quæ ſit pœnitentia ſecura poſt culpam: ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt abſolutio præſidentis,cùm æterni ſequitur arbitrium judicis, &c.* Hinc Origenes: *Circumſpice*,inquit,*diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum; proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere.* Et D. Baſil. *Omninò*,ait, *in peccatorum cõfeſſione eadem ratio eſt,* Ezech..3. Homil.26. in Evang. Hom.2.in pſalm. 37. In reg.brev. q.229.

quæ

quæ in apertione vitiorum corporis, & ut hæc nequaquam quibuſvis temerè homines aperiunt, ſed iis tantùmmodò, qui rationem ea curandi tenent, ſic peccatorum Confeſſio fieri debet apud eos qui ea poſſunt curare. Et Chriſti ſermo, inquit D. Aug. *optimè terret non ſolùm cæcum ducentem, ſed etiam cæcum ſequentem. Neque enim dicit, cadit in foveam ducens, & non cadit in foveam ſequens, ſed cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadunt.*

Math. 15. Tract. de Paſt. ca. 10.

Non ſtatuit autem Conc. Later. ut fideles confiteantur, ſicut mentiuntur hæretici, quod jure divino neceſſarium eſſe ſciebant, ſed ut præceptum de confeſſione jure divino fundatum, ſaltem ſemel in anno ab omnibus & ſingulis, cum ad annos diſcretionis veniſſent, impleretur. Vide in Conc. Cóplut. juſſu Eugenii 4. congregato, & Concil. Trid. Atque hoc fidei eſſe, non opinionis, habes in Conc. Conſtant. ſub Martino 5. Nectarius autem Epiſc. Conſtant. non ſuſtulit uſum Confeſſionis auricularis, ſed unicum illud Presbyterum pœnitentiarium; quem adiri oportebat ab omnibus qui graviter deliquiſſent, cuique permittens, quem vellet pœnitentiarium adiri confeſſionis cauſa.

Vide Hiſt. Trip. lib. 9. cap. 35.

Cum enim Novatus hæreſiarcha tempore perſecutionis Decii plurimos fideles ab Eccleſia ſepararet, docens non poſſe Sacerdotes eos qui poſt baptiſmum Chriſtum in perſecutione negaſſent, abſolvere, aut Chriſto reconciliare, nec ſic lapſis eſſe ſpem veniæ per miniſterium Sacerdotum, quidam tunc Sacerdotes, velut in diverſum ab hæreſi decedentes, largâ & diſſoluta diſciplina, temerè lapſis in Chriſti negationem pacem dediſſe, ante condignos fructus pœnitentiæ, ut patet ex Cypr.

Quòd

Digitized by Google

Quod videntes ſancti Epiſcopi, iſtius temporis Canonem fecerunt,ut in Eccleſiis ordinetur unus Presbyter, qui ſolus lapſorum cauſas dijudicaret, & neminem abſolveret ante condignam ſatisfactionem,& pœnitentiam oſtenſam.Hic pœnitentiarius gravis populo erat, qui maluiſſet confiteri & abſolvi indifferenter à quolibet Sacerdote, quàm ad certum illum aſtringi. Occaſione autem ſceleris commiſſi in Eccleſia Conſtant. Nectarius Epiſcopus illius Eccleſiæ, hanc reſtrictionem ad certo Sacerdoti confitendum amovit, & permiſit quemlibet fidelem libertati ſuæ, quam habebat ante Sacerdotem illum pœnitentiarium inſtitutum, ut poſſit videlicet,cuilibet Sacerdoti probato confiteri, & ab eodem abſolvi. Sed inde non ſequitur, eum legem & neceſſitatem ſecretæ confeſſionis, quæ ex jure divino eſt, ſuſtuliſſe; quam ejus ſucceſſor D. Chryſoſt. agnovit, & obſervare præcepit. Hom.10. in Matth. Aniano interprete.

Magna ſanè conſolatio fidelium, quod Chriſtus reliquerit in Eccleſia Remiſſionem peccatorum,per miniſterium Sacerdotum conferendam; cùm *juſtitia hujus vitæ*, (ut idem Aug.) *potiùs conſtet remiſſione peccatorum, quàm perfectione virtutum*; & rarus ſit in Eccleſia,qui,ſi diligenter eum examinet Deus, & ſcrutetur, & appendat facta ejus, non habeat unde poſſit damnari. Sed ad remiſſionem peccatorum, tanquam tutiſſimum azylum (*cuius umbram aliquam habebat illud Azylum Romulenm*, inquit Aug.*quò multitudinem,ut civitas illa conderetur, quorumlibet delictorum congregabat impunitas*) confugimus,ibi ſecuri abſcondimur ab ira Dei. Hinc Propheta David. *Beati quorum remiſſæ*

Lib.19. Civit.c.27. Serm.74. in Nov.

De Civit. li.2.ca.29. & li.5.c.17

Pſalm.31.

Digitized by Google

miſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.
Enchirid. cap. 64. *Per remiſſionem peccatorum,* inquit S. Aug. *ſtat Eccleſia, quæ in terris eſt; per hanc non perit, quod perierat & inventum eſt.*

Serm. 85. in Ioan. Rectè ergo Chryſoſt. *Magna eſt Sacerdotum dignitas, cui dimittit peccata, huic ſunt dimiſſa.* Et alibi; *Ubi sũt qui per homines hominibus remitti peccata nõ poſſe præſcribunt?* Et rurſum; Lib 3. de Sacerdotio. *Habẽt terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm. Sacerdotum autem vinculum ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos uſque pervadit.* Et de Sacerdotibus veteris legis locutus; *Corporis leprã purgare, ſeu ut veriùs dicã, nõ purgare quidẽ, ſed purgatos probare, Iudæorũ Sacerdotibus ſolis licebat; at verò noſtris Sacerdotibus, nõ corporis leprã, verũ animæ ſordes, nõ dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſũ eſt.*

Miranda eſt ergo ſocordia Chriſtianorum, qui tam rarò iſta poteſtate Sacerdotum utuntur. Si eſſet medicus à Deo poſitus in civitate, qui poſſet omnes morbos ſanare corporum, quomodo ægri ad illum concurrerent? Poſuit Deus in Eccleſia medicos animarum, ad ſanandos omnes earum morbos, id eſt, peccata, quantumvis multa & gravia; & negligunt. Sed major eorum malitia, qui medicos à Chriſto conſtitutos rejiciunt, Medicinam ipſam ſpernunt, inſani adverſus antidotum, quo ſani eſſe poterant. Hoc fecit Aug. ante converſionem, quod converſus graviter deplorat; Lib. 5. conf. cap. 9. *Conſilia,* inquit, *medicinæ tuæ,* Deus, *demens irridebam.* Sequenda ſententia Sapientis, Eccleſ. 38. *Da locum medico* (etiam ſpirituali, id eſt, Sacerdoti) *etenim illum Dominus creavit; & non diſcedat à te, quia opera ejus ſunt neceſſaria,* videlicet, ad ſanitatis conſecutionem

tionem & conſervationem. *Rogo vos,* ait D. Aug. *quam habere poterit ſpem ſalutis, creber in morbis, piger in remediis?* Serm. 14. in Nov.

MONITUM LI.

Venite ad Nuptias.

Matth. 22.

C*Onjunctio nuptialis,* inquit S. Aug. *Verbum & caro, Chriſtus & Eccleſia. Hujus conjunctionis thalamus, Virginis uterus: Caro enim ipſa Verbo eſt unita; unde etiam dicitur, Iam non duo, ſed una caro. Aſſumpta eſt Eccleſia ex genere humano, ut caput eſſet Eccleſiæ ipſa Caro Verbo coniuncta, & cæteri credentes membra eſſent illius capitis.* Epithalamium harũ nuptiarum eſt Canticum Canticorum Salomonis; *Nõ eſt aliud,* ait Aug. *quàm ſpiritalis quædã voluptas mẽtiũ, in cõiugio Chriſti & Eccleſiæ; & hæc voluptas allegoricis tegminibus involuta eſt, ut deſideretur ardẽtius, videaturque iucundius, & appareat Spõſus, cui ibi dicitur, æquitas dilexit te, & Sponſa quæ ibi audit, Charitas in delitiis tuis. Sic enim uno modo intelligẽdũ eſt, quod dicitur, litera occidit, ſpiritus autẽ vivificat, ut aliquid figuratè ſcriptum, cuius eſt abſurda proprietas, nõ capiamus,* inq. idẽ Aug. *ſicut litera ſonat, ſed aliud quod ſignificat intuentes, interiorẽ hominem ſpiritali intelligẽtia nutriamus. Quoniã ſapere ſecũdũ carnẽ, mors eſt; ſapere autẽ ſecũdũ ſpiritũ, vita & pax. Velut ſi quiſquam multa, quæ ſcripta ſunt in Canticis, carnaliter accipiat, non ad luminoſæ charitatis fructũ, ſed ad libidinoſæ cupiditatis affectũ. Bonæ ſũt in ſcripturis ſanctis myſteriorũ profunditates,* ait idem Auguſtin. *quæ ob hoc teguntur, ne viléſcant: ob hoc quarun*

In Pſal. 44. Matth. 19. Lib. 17. Civit. cap. 20. Cant. 1. 2. Cor. 3. De ſpir. & lit. cap. 4. Rom. 8. Apud Proſp. Sent. 77.

quærunt ur ut exerceant, ob hoc aperiuntur, ut paſ-
Apud Proſ. *cant.*
Sent. 67. Sæpè Chriſti nuptiæ celebratæ ſunt, primò cùm homo factus eſt, quæ veluti ſponſalia fuerunt: Deinde celebrabuntur, cùm reddet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut
Epheſ. 5. rugam. Quod tunc propriè fiet, cùm eam ſibi
Aug. de ab omni mundatam macula in cœlo copulabit.
perfect. iuſtitiæ. Ad utraſque nuptias homines invitati ſunt, ad priores ut ad Eccleſiam veniant, & Dei verbo ac Sacramento paſcantur; ad poſteriores, ut ſalvi fiant, & manducent ac bibant ſuper menſam Chri-
Luc. 22. ſti in regno Dei. De prioribus hîc agitur. De
Geneſ. 2. nuptiis corporalibus dicitur, *Relinquet homo pa-*
Matth. 19. *trem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Sic fecit Chriſtus.

Proſp. Sér. 328. *Reliquit patrem*; id eſt, magnificentiam patris, non quia deſiit eſſe æqualis, ſed quia non ſe geſſit æqualem patri, ſed humiliter inter homines eſt converſatus, tanquam miſer peccator; *reliquit & matrem* Synagogam, de qua carnaliter natus eſt,
Iſai. 50. qüia eam repudiavit, *& adhæſit uxori ſuæ*, Eccleſiæ ex gentibus congregatæ. 1. Per incarnationem, quia ejuſdem carnis & mortalitatis, ac infirmitatis factus eſt particeps, per omnia ei ſimilis, exce-
Hebr. 4. pto peccato. 2. Per dilectionem, & curam, quia eam dilexit, ejuſque curam geſſit: hinc dicitur,
Epheſ. 5. *Salvator corporis ejus*, non ſolùm in remiſſione pec-
Aug. lib. 1. catorum, ut Pelagiani volebant, ſed & in opera-
Retract. c. 7. tione virtutum; Et *pro ipſa ſe tradidit in mortem, ut*
Epheſ. 5. *exhiberet ipſe ſibi Eccleſiã glorioſam & immaculatã*,
Irenæ. li. 5. quod fiet in futuro ſæculo. 3. Per corporalẽ com-
cont. hæreſ. mixtionem. *Sunt etiam duo*, Chriſtus & Eccleſia,

in

in carne una, per ſumptionem Euchariſtiæ, per quam Chriſti carne paſcimur, eique corporaliter commiſcemur, & unimur, ejuſque membra efficimur. Chryſoſt. hom 45. in Ioã. c. 5. Cyril. l. 10. in Ioan. ad illud, Ego ſum vitis.

Duobus autem modis conantur ſervi homines adducere ad has nuptias. Primò, demonſtrando aliorum exempla, etiam peſſimorum, qui vocati venerunt, quorum ipſi exempla debent imitari. *Dicite illis*, ait Paterfamilias, *tauri mei & altilia mea occiſa ſunt*; id eſt, etiam peſſimi homines converſi ſunt, & Eccleſiæ, ubi hoc prandium nuptiale eſt, membra effecti; convenit ut vos ſequamini. Tauri enim ſignificant homines ſuperbos, pertinaces in ſuo errore, obduratos in malitia, ut Paulus, Auguſtinus, & ſimiles: Paulus, *blaſpemus, perſecutor, contumelioſus*: Auguſtinus, *latrator amarus & cæcus adverſus veritatem*, ut ipſi de ſeipſis. Dicit Eccleſiaſticus c. 6. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, ut taurus*. Altilia ſunt, quæ aluntur ut pingueſcant; & ſignificant homines voluptuoſos, in cute curanda plus æquo intentos, quærentes ſatisfacere ventri, & iis quæ ſub ventre. Illi occiduntur, quando convertuntur, quando deſinunt eſſe impii: occiditur in eis impietas; felix mors, felix occiſio. *Toties peccatis morimur*, inquit S. Leo, *quoties in nobis peccata moriuntur; & pretioſa in conſpectu Domini etiam iſta mors ſanctorum eſt, ubi homo occiditur mundo, non terminatione ſenſuum, ſed fine vitiorum.* Matth. 22. 1. Tim. 1. Li. 9. Conf. cap. 4. In Serm. de Natal. 7. Machabæ. Pſalm. 115.

Dictum eſt Petro, quando mittebatur à Domino ad convertendas gentes, *Surge, occide, & manduca*. Occidit illas, quando illarum errores & peccata evertit; manducavit, quando eas ſibi ſi- Actor. 10. Auguſt. in Pſalm. 149.

 miles

Digitized by Google

Coloſſ. 3. miles fecit, fideles & Deo devotas. Sic quiſque
1. Petri 2. monetur ſe mortificare, id eſt, peccata ſua & af-
Pſalm. 123. & ibi Aug. fectus pravos. De qua morte Paulus: *Mortui eſtis,*
Pſalm. 78. *& vita veſtra abſcondita eſt*, &c. Et Petrus: *ut peccatis*
& ibi Aug. *mortui, juſtitiæ vivamus*. Et Aug. *Moriatur homo ne moriatur, id eſt*, inquit, *mutetur, ne damnetur*. Sic quidam dicuntur *vivi deglutiri*, qui malis, ne patiantur, conſentiunt, & illis ſimiles fiunt. Et queritur Propheta; *Comederunt Iacob, quia multos in ſuum malignum corpus, id eſt, ſocietatem ſuam ter-*
Li. 2. Conf. cap. 2. *rendo, tranſire coëgerunt*. Et in confeſſ. *Percutis, Domine, ut ſanes; & occidis nos, ne moriamur abs te.*

Vult autem Rex proponi exempla aliorum, maximè eorum qui aliquando valdè mali fuerunt, quòd ea plurimùm movere ſolent: quod in ſe expertus eſt Aug. in ſua converſione; loquens
Li. 9. Conf. cap. 2. enim de ſe & ſociis converſionis: *Carbones vaſtatores*, inquit, id eſt, *exempla ſervorum tuorum, quos de nigris lucidos, de mortuis feceras vivos, congeſta in ſinum cogitationis noſtræ, urebant & abſumebant gravem torporem noſtrum, & accendebant nos validè*. Et
In Pſ. 119. alibi; *Mirantur homines, & dicunt; Ego illum, aut illum novi, quàm ebrioſus fuit, quàm ſceleratus, modò quomodo Deo ſervit, quàm innocens factus eſt! Noli mirari, carbo eſt. Vivum gaudes, quem extinctum plangebas. Sed quando laudas vivum, adhibe illum mortuo, ut accendatur, id eſt, quicunque adhuc piger eſt ſequi Deũ, admove illi carbonẽ prius mortuũ, jã vivũ, ut & ille accendatur, & in eo deſoletur cogitatio terrena.*

Li. 8. Conf. cap. 2. Sic Simplicianus, ut Auguſtinum acriùs inflammaret, adhibuit exemplum Victorini Rhetoris doctiſſimi, *qui ob inſigne præclari magiſterii, ſtatuam in foro Romano meruerat, & acceperat; venerator idolorũ*

uſque

Digitized by Google

uſque ad magnam ſenectutem, quomodo ille non veritus offendere amicos ſuos, nobiles Romanos, ſuperbos, dæmonicolas, quorum ex culmine Babylonicæ dignitatis, quaſi ex Cedris Libani, ruituras in ſe inimicitias ſciebat, non erubuerit eſſe puer Chriſti tui (ait Aug. Deo) *& infans fontis tui, ſubjecto collo ad humilitatis jugum; & edomita fronte ad crucis opprobrium. Quæ ubi Simplicianus narravit*, inquit, *exarſi ad imitandum, ad hoc enim & ipſe narraverat*, Similiter accenſus eſt, quando Potitianus retulit illi converſionem duorum aulicorum ex lectione vitæ D. Antonii. *Quantò*, inquit, *ardentiùs amabam illos, de quibus audieram ſalubres affectus, quod ſe totos tibi* (Deo) *ſanandos dederant; tantò execrabilius me comparatum eis oderam*, &c. Lib. 8. c. 6. & 7.

Secundò conantur ſervi homines adducere ad has nuptias, demonſtrando eis infelicem exitum errorum, & peccatorum. *Ite*, ait Rex ſervis, *ad exitus viarum*, id eſt, oſtendite, quis ſit cujuſque viæ ac ſtudii finis, quàm infelix ac infauſtus. Dicitur apud Iſaiam; *Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit*; non ſolùm peccando, ſed & errando; unus ſequitur doctrinam Arii, alius Pelagii: unus Lutheri, alius Calvini: Sic unus deditus avaritiæ, alius libidini, alius ambitioni. Via cujuſque eſt cujuſque ſtudium, inſtitutum, vita. Exitus viæ eſt, quò via ducit; & eſt æterna damnatio. Dixit quidam in hæreſi diu ſectatus libertatem carnis, & jam moriturus; *Satis ſit*, inq. *vos quod audivi hactenus:* Amicos hæreticos alloquēs, carpentes quod ſacerdotem vocaſſet, ad crimina ſua ritè confitenda, perſentiſcēs acerba mortis tela, & acerbiora inferni tormenta perferenda

Iſaiæ 53.

In Epigrā. Fruſii 232.

cogitans. *Lex iſta vivis commoda eſt, non mortuis.* Et ait Aug. *cibus iniquitatis temporaliter cum ſuavitate comeditur, ſed æternaliter cum amaritudine digeritur.*

Ad. in Pſal. 48. conc. 2. *Quicquid agas, prudenter agas, ſed reſpice finem.* Li. 1. Moral. cap. 26. *Sapiens,* inquit Greg. *diligenter circumſpicit, ne ex re quæ agitur, adverſus finis ſurrepat; ideo hunc prius molliter poſito pede cogitationis palpat.*

Claudian. Lib. 2. in Eutrop.

Sed quia cæcus ineſt vitiis amor, omne futurum
Deſpicitur, ſuadentque brevem præſentia fructũ,
Et ruit in vetitum damni ſecura libido.

De conſol. l. 2. proſ. 1. *Non quod ante oculos ſitum eſt, ſufficit intueri, rerum exitus prudentia metitur,* inquit Boëthius. Rom. 8. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini,* ait Paulus: *ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Duo ſunt, quibus plerumque homines peccatores ad converſionem, ſeu bonam frugem adduci ſolent; Pudor, & Timor. Quod in ſe expertus eſt Auguſtinus, qui ita ad Dominum; Lib. 8 conf. cap. 11. *Inſtabas tu in occultis meis ſevera miſericordia, flagella ingeminans timoris & pudoris, ne ceſſarem.* Cùm enim conſiderantur aliorum exempla, eorum maximè, qui antea vitiis dediti, Diabolo ſervierunt, Vide Proſp. de vit. cōt. l. 3. c. 12. 16 & poſt *in eadem, qua nos fragilitate carnis, in carne viventes, & fragilitatem carnis in carne vincentes,* Deo jugiter ſervierunt, & conſtanter adhæſerunt, confundunt nos ipſis longè diſſimiles; hinc Eccleſ. 4. *pudor bonus adducens gloriam,* & confuſio magnum habens ad vitæ mutationem in melius incitamentum & calcar. In Meditationib. c. 4. *Tot,* inquit Auguſt. *Iudicibus inops aſtabo, quot me præceſſerunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt benè vivendi exemplar.*

Cùm etiam attentè cogitantur horrenda ignis

ignis æterni ſupplicia, peccatis & erroribus hominum debita, timor concipitur, qui quidem *ſtimulat*, inquit Auguſt. *ſed noli timere, introducit charitatem, quæ ſanat quod vulneraverat timor. Oportet primò intret timor, per quem veniat charitas; timor, medicamentum; charitas, ſanitas.* Hinc David, *Confige timore tuo carnes meas*; carnalia enim deſideria timore domini frenantur & extinguuntur. Et de eo dicitur, *Initium Sapientiæ timor Domini. Vera Sapientia eſt noſſe & diligere Deum; ſed ad hunc gradum de timore conſcenditur; quia ſicut deſideranda ſunt ejus munera, ſic metuenda ſunt ejus judicia,* inquit D. Proſp.

Tract. 9. in Canonic. Ioan.

Pſal. 118.

Pſal. 110.

D. Proſp. in illum Pſal.

MONITUM LII.

Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?

Matth. 22.

TRia ſunt hominum genera, qui ad nuptias, & prandium nuptiale vocantur. Quidam, vel erroribus implicati, vel pravis cupiditatibus immerſi, iiſque velut compedibus ligati, venire contemnunt, vel negligunt, ut infideles, hæretici, & ſimiles; qui veritatis prædicatores rident, detrahunt, perſequuntur, occidunt. De quibus Iſai. *Tota die expandi manus ad populum non credentem & contradicentem.* Sed quid illis futurum? *Eis qui ſunt ex contentione, & non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio,* inq. Apoſt.

Iſai. 65.
Rom. 10.
Rom. 2.
2. Theſſ. 1.

Digitized by Google

Et iterum; quod *veniet Chriſtus in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, & non*
Matth. 11. *obediunt Evangelio.* Et ipſe Chriſtus in Evang. quod *remiſſius erit terræ Sodomorum, quàm Civitati, quæ veritatem non recipit.* Nulli ſalus ſine fide Dei qui juſtificat & ſalvat; Mediatoris Chriſti, cujus merito juſtitia & ſalus datur; & Eccleſiæ, in qua Deus Chriſti merito juſtitiam & ſalutem in hominibus operatur.

Alii veniunt quidem, credunt, baptiſantur, ſignant ſe, Eccleſias intrant, Sacramentis communicant, *&c.* Sed veſtem nuptialem (quâ Charitas ſignificatur) non habent; quos ille ſignificat, cui dictum, *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Per unum enim hominem, unum corpus*
In Pſal. 61. *intelligit*, inquit Auguſt, *quod ex multis conſtat; in uno ergo illo, multi: Omnes qui terrena ſapiunt, omnes qui felicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui ſua quærunt, non quæ* JESU *Chriſti, ad unam illam Civitatẽ pertinent, quæ Babylonia myſticè dicitur, & habet Regem Diabolum. Qui etſi de opinionũ varietate ſunt diverſi, de vanitate tamen unum ſunt. Diverſi quidem errores, & multiformes, ſed ſimul in omnibus voluntas vana & mendax, pertinens ad unum regem; cum quo*
Pſal. 106. *in ignem æternum præcipitanda eſt.* Hi obmuteſcen-
Proſp. l. 3. de vit. contemp. c. 14. tes ligabuntur, quia ibi nullus erit excuſationi locus, *omnis iniquitas*, inquit David, *oppilabit os ſuum;*
Pſalm. 6. *conſcientia propria quemque accuſabit, & damnabit;*
Aug. cont. Julia. l. 6. c. 5. in fine. deinde *in inferno nemo confitetur Deo.* Ligantur autem, quia licèt in damnatis mala voluntas perſeveret, tamen *actione privantur*; hîc indulgent voluptatibus, opprimunt bonos, &c. *In illa die*
Pſal. 145. *peribunt omnes cogitationes eorum,* quibus videlicet

inten

intenti erant ad complenda hujus mundi deſideria. Et *mittuntur in tenebras exteriores, quia à Deo, qui lumen eſt mentium, expelluntur*. Vel dicuntur extremæ tenebræ, quæ nunquam illuminantur. *Fletus autem & ſtridor dentium, acerrimos eorum dolores oſtendunt*, inquit Proſp. Ibidem.

Alii denique ſunt, qui vocati veniunt, membra Eccleſiæ fiunt, Sacramenta participant, & veſtem nuptialem, id eſt, charitatem habent; illi perpetuò cum ſponſo & ſponſa ſunt manſuri. Talis ergo quiſque eſſe laboret. Unde D. Aug. *Quiſquis cupit pœnas evadere ſempiternas, non ſolum baptiſetur, ſed & juſtificetur*, id eſt, juſtè & ſanctè vivat. *Nam quid cuiquam prodeſt, quod baptiſatur, ſi non juſtificatur? Qui enim dixit; Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei; ipſe etiã dixit, Niſi abundaverit iuſtitia veſtra pluſquã ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnũ cælorum.* Juſtitia autem & Charitas, eadem ſunt. Unde D. Aug. *Charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt; charitas provecta, provecta iuſtitia eſt; charitas magna, magna iuſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt*, &c. *Multi mali*, inquit idem Aug. *intus & foris habent Scripturas, Sacramenta, jejunia, linguas angelorum, ſcientiam myſteriorum, gratiam miraculorum, eleemoſynas, martyria*, &c. *Flores ſunt, quos & ſpinæ proferunt: ſed fructum, id eſt, charitatem non habent, de quo dicitur: Fructus ſpiritus, charitas, à qua tanquam ab apice & radice cætera contexuntur, Gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Unde iſte botrus pulcher eſt? quia pendet à charitate.*

De Civit. l. 21. c. 16. & 27.
Ioan. 3.
Matth. 5.
De nat. & grat. c. 70.
Serm. 31. in Nov.
Galat. 5.

Digitized by Google

Sic dicitur Eccleſiæ in electis; *Multæ filiæ con-*
Prov.31. *gregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas, quia*
Aug.ibid. *non ſolùm flore, ſed & fructu gravida abundas.* Sic
iterum Paulus poſt enumerata varia & magna Dei
1.Cor.12. dona; *Et adhuc*, inquit, *excellentiorem vobis viam de-*
Sent.317. *monſtro*, id eſt, charitatem. *Verè ipſa eſt via*, inquit
Proſperi. Proſp. *quæ ducit per ſe ambulantes ad patriam.* Lib.3.
1.Cor.13. de vit. cont. c.13. *Quanta eſt charitas! quæ ſi deſit,*
fruſtra habentur cætera; ſi adſit, habentur omnia. Ge-
mina autem opus eſt charitate, Dei & proximi;
Prov.31. hinc Sapiens de Eccleſia loquens; *Omnes domeſtici*
ejus veſtiti duplicibus, quia gemina charitate orna-
ti, maximè illi qui viva Eccleſiæ ſunt membra. Et
Eccleſ.9. monet idem Sap. *Candida ſint ſemper veſtimenta*
tua; quo jubet, ut pura ac ſincera noſtra ſit chari-
tas, Dei quidem nulla prava cupiditate permiſta;
proximi verò ſine aliqua amaritudine iræ, indig-
nationis, odii, invidiæ, *&c.* Sic & in Apocal. dici-
Apoc.3. tur, *Veſtimentis albis induaris, ut non appareat confu-*
ſio nuditatis tuæ.

Facilè autem intelligetur, quare charitas veſti comparetur, ſi quis varium ac multiplicem veſtis uſum conſideret. Primus ac præcipuus eſt, hominem tegere ne vel frigeat, vel nudus erubeſcat. Minus principalis uſus, ſi vel ad ornatum aſſumatur, vel ad diſtinctionem ejus qui ea induitur. Alia ſiquidem eſt veſtis virilis, alia fœminea; alia militis, alia agricolæ; alia ſervorum Regis hujus, alia illius. Et quidem ne erubeſcamus, tegit nos Chari-
1.Petri 4. tas, dum peccata remittit: *Charitas enim operit*
Luc.7. *multitudinem peccatorum*, ut in Magdalena, de qua
dicitur, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dile-*
xit multum. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,
&

& quorum tecta ſunt peccata. Merito enim operum Charitatis Deus ignoſcit peccatis hominum, & ſic teguntur,ut Deus ea non videat,id eſt,non puniat,non vindicet.Magna conſolatio fidelium,qui cùm ſentiant ſe ſine peccato non poſſe vivere, ejus remedium inveniunt in charitate. Secundùm hanc legem charitatis judicantur,& propter hanc legem audent exſpectare judicium Domini.

Pſalm. 31. Ambroſ. in Apolog. David,c.9. Iacob. 2. Pſalm.129.

Deinde ſicut protegit nos veſtis ne lædamur à frigore, pluvia, & aliis cœli injuriis: ſic charitas defendit nos contra iram & indignationem Dei, ne ab ea feriamur. *Et in hoc ingemiſcimus,* ait Apoſt. *habitationem quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes,ſi tamen,*inquit,*veſtiti* (videlicet charitate) *non nudi inveniamur.* Iram Domini merebatur Joſaphat, quia impio præbebat auxilium, & iis qui oderant Deum amicitiâ jungebatur; ſed bona opera (charitatis, inventa ſunt in eo, propter quæ illi pepercit Deus.Et in judicio defendent electos ab igne æterno, & auditione mala: *Ite maledicti in ignem æternum, &c.* opera charitatis & miſericordiæ, quæ præſtiterunt. *Venite* (ait Judex) *percipite regnum. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere*, &c. *Eleemoſyna* (quæ opus eſt charitatis) *ab omni peccato & à morte liberat,* inquit Tobias c.4.*& non patietur animam ire in tenebras.*

2.Cor.5. 2.Par.19. Matth.25.

Deinde homo maximè ornatur charitate ejuſque operibus, Sunt enim *juſtificationes ſanctorum byſſinum ſplendens & candidum,* ut dicitur in Apoc. *Verus ornatus Chriſtiani,* ait Aug. *non ſolum nullus fucus mendax, ſed nec auri, veſtiſque pompa, ſed boni mores ſunt,* maximè qui ex charitate proficiſcuntur.

Apoc.19. Epiſt.73.

tur. *Filiæ Babylonis*, inquit Bern. *quarum gloria verè confuſio eſt, induuntur purpura & byſſo, & ſubinde conſcientia pannoſa jacet; fulgent monilibus, & ſordent moribus: E contra tu foris pannoſa, intus ſpecioſa, reſplẽdens, ſed divinis aſpectibus, non humanis, &c.* Unde & D. Baſil. dicit, *omnem curam in opera bona conferri debere; hunc enim verum atque germanum Chriſtianorum ornatum eſſe exiſtimat. Decor enim, qui cum veſte induitur, & cum veſte deponitur*, ait Bern. *veſtis eſt non veſtiti; & non tam ornat, quàm onerat; nec tam tegit corpus, quàm nudat*, inq. Hieron. ejus ſcilicet, impudicitiam, ſuperbiam, laſciviam, mollitiem, *&c.*

Epiſt. 113. ad Sophiã

In Morali, cap. 5.

Bernard. ibidem.

Hiero. ad Lætam, & ad Principiam.

1. Ioan. 3.

Poſtremò, charitas, ejuſque opera diſtinguunt inter filios Dei, & Diaboli. Unde Ioannes; *Qui facit peccatum ex Diabolo eſt; & omnis qui facit juſtitiam, ex Deo eſt. Dilectio ſola facta hominum diſcernit. Tradidit Chriſtum in mortem & Deus pater, & Iudas; Deus cogitavit ſalutem noſtram; qua redempti ſumus; Iudas cogitavit pretium quo vendidit Dominũ: diverſa ergo intentio diverſa facta fecit, cùm ſit una res. Hoc diximus in ſimilibus factis. In diverſis invenimus hominem ſævientem factum de charitate, & blandum factum de iniquitate. Puerum cædit pater, & mango blanditur. Videte quid commendamus, quia non diſcernuntur facta hominum, niſi de radice charitatis. Nam multa fieri poſſunt, quæ ſpeciem habent bonam, & non procedunt de radice charitatis. Habent enim & ſpinæ flores: quædam verò videntur aſpera, videntur truculenta, ſed fiunt ad diſciplinam, dictante charitate. Semel ergo breve præceptum tibi præcipitur, Dilige, & quod vis fac; ſive taceas, dilectione taceas; ſive clames, ſive emendes, dilectione emendes; ſive par-*

Tract. 7. in Canon. Ioan.

Vide Aug. in cap. 6. ad Galat.

cas

cas, dilectione parcas. Radix ſit intus dilectionis, non poteſt de iſta radice niſi bonum exiſtere. Sic Aug.

MONITUM LIII.

Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini.

Ioan. 16.

DIcit Apoſtolus, *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.* Dicuntur autem Sancti, quaſi triſtes, quia eorum triſtitia temporalis eſt, gaudium autem æternum. Id ſimpliciter eſt, quod æternum eſt; quod autem temporale eſt, quaſi eſt. Deinde Sancti, quaſi triſtes ſunt, quia exteriùs coram hominibus habent triſtantium ſimilitudinem, quia in fame, in ſiti, in nuditate, in aliis afflictionibus ſunt; intus autem ſemper gaudent. Sicut gaudebant Apoſtoli, quando *ibant à conſpectu concilii, quoniam digni habiti erant pro nomine* IESU *contumeliam pati. Gloriantur ſancti in tribulationibus*, & in omni opere Dei.

2. Cor. 6. Auguſt. in Pſalm. 48. Conc. 2.

Actor. 5.

Multis autem modis præcellit gaudium ſanctorum gaudio impiorum: Primò, quia continuum eſt, quia habent mentem ſecuram: *Secura autem mens quaſi juge convivium.* Gaudium mundanorum venit de foris, & facili occaſione impeditur, & interrumpitur. *Vel una febricula aufert omnia mundana gaudia,* ait S. Auguſt. Et idem adhuc carnalis, *Si quid arriſiſſet proſperum,* inquit, *tædebat apprehendere, quia penè priuſquam teneretur, avolabat.*

Prover. 15. De Catech. rudib. c. 17. In Conf. lib. 6. ca. 6.

Digitized by Google

In Confeſ. lib. 6. cap. 6. Iob 20. Li. 3. c. 18.

avolabat. Et Propheta Job; *Laus impiorum brevis, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Mali hypocritæ ſunt, nemo enim tam malus, quin velit videri bonus, & benè agere, etiam ſæpè in rebus peſſimis. *Vanum eſt & breve omne humanum ſolatium*, ait Kemp. *Beatum & verum ſolatium, quod intus à veritate percipitur. Bonus homo ubique ſecum fert ſuum conſolatorem* IESUM.

Iuven. Sat. 11. Aug. in Pſalm. Lib. 5. Tuſc. quæſt.

Homo autem carnalis, non ſemper aſſidet menſæ lautæ atque opiparæ qua delectatur; non ſemper adeſt fœminæ, quam diligit, & cum qua voluptuatur. Imò tales *voluptates commendat rarior uſus*, alioqui ſtatim ſequitur tædium, faſtidium, & defatigatio. Refert Cicero de Xerxe Rege Perſarum, voluptatibus addictiſſimo, quod præmium proponebat iis, qui novam aliquam voluptatem invenirent, quòd priores facilè abirent in faſtidium. *Inter temporalia & æterna hoc intereſt*, inquit Auguſt. *quod temporale aliquid plus diligitur, antequam habeatur; vileſcit autem cùm advenerit. Non enim ſatiat animum, cui vera & certa ſedes eſt æternitas. Æternum autem ardentiùs diligitur adeptum quàm deſideratum. Nulli enim deſideranti conceditur plus de illo exiſtimare, quàm in ſe habet, ut ei vileſcat cùm minus invenerit: ſed quantum quiſque veniens exiſtimare potuerit, plus perveniens inventurus eſt.*

De doct. Chriſt. l. 1. cap. 38.

De Conſol. l. 2. proſ. 4.

Secundò excellit in puritate, *Dulcedo enim felicitatis humanæ, multis amaritudinibus reſperſa eſt*, inquit Boëth. Carnales enim amaritudinem habent in dilatione terrenorum quæ appetunt, & in labore ac cura ea acquirendi: Secundò ex defectu in eorum uſu; *ubicunque enim caro quærit refectionem,*

nem, ibi invenit defectionem, ait Aug. & plerumque carnales, unde ſibi concipiunt delectationem, inde recipiunt doloris pœnam; Deo ita juſtè diſponente, quia inordinatè delectationes quærunt. Unde & D. Aug. *Amarum erit juſtè, quia injuſtè amatur, deſerto illo*(Deo)*quicquid ab illo eſt*. Deinde, ſi in eorum uſu excedant, ſequitur & remorſus conſcientiæ, & gravamen naturæ. Denique amaritudinem habent, ex timore ne amittantur, quod facilè fieri docet ipſa experientia. Kemp. l. 3. cap. 13. In Confeſ. lib. 4. c. 12.

Gaudium verò ſanctorum purum eſt, non tot amaritudinibus reſperſum; aut ſi quæ ſint, vi gratiæ Dei dulceſcunt. *Non contriſtabit juſtum, quicquid acciderit ei*; ait Sap. quia etiam in tribulationibus gloriatur. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, ait David. *Omnis diſciplina*, inquit Apoſt. *in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris* (maximè mundanis, qui Sanctorum cruces vident, ſed non unctiones:) *poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam, reddet juſtitiæ. Tu, Domine*, inquit Aug. *ſemper aderas miſericorditer ſæviens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas jucunditates meas, ut ita quærerem ſine offenſione jucundari, & ubi hoc poſſem, non invenirem quicquam, præter te, Domine*. Prov. 12. Rom. 5. Pſal. 22. Heb. 12. In Conf. lib. 2. c. 2.

Tertiò, præcellit in dignitate. Gaudium enim Sanctorum eſt de Deo, de veritate, de juſtitia, de æterna gloria, quam habent in ſpe, & de aliis Divinis rebus, de quibus dignum eſt gaudere. Dicebat Sanctiſſima Virgo, *Exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo*. Et Abacuc; *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo, Ieſu meo*. Et David, *Memor fui Dei, & delectatus ſum. Spe gaudentes,* Luc. 1. Abac. 3. Pſalm. 76.

ait

ait Apoſt. Et rurſum; *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorũ Dei.* Ad hoc gaudium hortatur idem; *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete.* Gaudete in donis Dei, gaudete in promiſſis Dei. Imò *regnum Dei eſt juſtitia, gaudium, & pax in Spiritu Sancto.*

Rom. 12. Rom. 5. Philip 4. Rom. 14.

Gaudium autem malorũ eſt de indignis, de vanitatibus, impudicis choreis, ebrietatibus, luxuriis, &c. *Eorum gloria, in confuſione ipſorum.* Gaudent de iis, de quibus debebant erubeſcere. Unde Aug. *Seculi lætitia, eſt impunita nequitia; ſcilicet luxuriari, fornicari, in ſpectaculis nugari, ebrietate ingurgitari, turpitudine fœdari, & nihil mali pati: hoc gaudium omni dolore deterius eſt, & nulla pœna, grandis pœna.* D. Fulgentius hiſce cogitationibus ſe ad converſionem excitabat; *Cur, obſecro, ſine ſpe futurorum bonorum laboramus in ſeculo? Quid nobis poterit aliquando præſtare mundus? Si gaudere deſideramus (licet ſit melius benè flere, quàm malè gaudere) quantò melius tamen gaudent, quorum in Deum eſt tranquilla conſcientia? qui nihil timent, niſi peccata; nihil agunt, niſi unde poſſunt Divina implere mandata?*

Philip. 3. De verb. Dom. ſer. 37. In Vita c. 2.

Deinde præſtantius eſt, quia ſalubrius: facit enim vana gaudia contemni. *Guſtato ſpiritu, deſipit omnis caro,* ait D. Bern. Et *qui de fluvio paradiſi bibit, in eo ſitis hujus mundi extinguitur,* inq. S. Aug. Id clarum eſt in S. Ignatio, qui; *Nunc,* ait, *diſco nihil hujus mũdi concupiſcere.* Et rurſum; *non gaudeo corruptibili nutrimento, nec volutpatibus hujus vitæ; panem Dei volo, panem cœleſtem.* Et Monica Auguſtini Mater; *Nulla re jam delector in hac vita, quid hic facio?* Et ipſe Aug. de ſe; *Convertiſti ita me ad te* (Domine) *ut nec uxorem quærerem, nec aliquam ſpem ſeculi.* Prius inhiabat lucro, honoribus, conjugio, ut ipſemet teſtatur.

Epiſt. 111. In epiſt. ad Rom. Li. 9. Conf. cap. 10. l. 8. cap. 12. Lib. 6. Conf. cap. 6.

ſtatur. Facit etiam hominem triumphare de Diabolo. *Unica enim ratio vincendi inimicum*, dicebat S.Antonius, *eſt lætitia ſpiritualis.* Unde & Sapiens; *Iucunditas cordis, hæc eſt vita hominis*; *& theſaurus ſine defectione ſanctitatis*, id eſt, Sanctitatem conſervans. *In mærore autem animi dejicitur ſpiritus*, videlicet, ab altitudine virtutum, & languidus ac ineptus fit ad opera ſpiritualia. In vita. Eccle.30. Prov.15.

Gaudium verò mundi noxium eſt, nec mirum, quia à Deo maledictum. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Et, *Væ vobis divitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram. Væ, qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris.* Infatuat etiam hominem; *Sapientia enim*, ait Iob, *non invenitur in terra ſuaviter viventium.* Patet in Salomone, qui *non prohibuit cor ſuum, quin omni voluptate frueretur. Sapientiam enim quam ſpiritali deſiderio adeptus erat*, inquit S.Aug. *carnali amore amiſit. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt Sapientes*, ait Eccleſiaſticus. Et Propheta: *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* Luc.6. Amos 6. Iob 28. Eccleſ.2. 3.Reg.11. De doct. Chriſt.lib. 3.cap.21. Eccleſ.19. Oſeæ 44.

Poſtremò, gaudium Sanctorum excellit in æternitate. Hic inchoatur, perficitur in futuro ſeculo. Dicit Apoſt. nos hic accepiſſe *pignus ſeu arram hæreditatis æternæ*, quæ conſiſtit in juſtitia, gaudio, pace. Sicut enim arra eſt pars pretii ſeu ſtipendii: ita iſta ſunt pars vitæ æternæ. Et ut ſtipendio tributo, non aufertur arra, ita veniente plenitudine felicitatis, iſta non tollentur, ſed perficientur, & durabunt in æternum. Unde Chriſtus de Magdalena; *Optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Docet D. Bernard. *Triplex eſſe Sanctorum gaudium; ante mortem, de bono conſcientiæ teſtimonio;* Epheſ. 1. Luc.10. Serm.2.& 3.de omnibus Sanct.

monio;in morte,quia eripiuntur de præſenti ſeculo ne-
1.Mach.2. *quam ; poſt mortem,quia intrant in gaudium Domini ſui, quod nemo tollet ab eis.*

Prov.14. Pſalm.48. *Gloria autem viri peccatoris ſtercus & vermis,hodie extollitur, & cras non invenietur. Riſus dolore miſcebitur,& extrema gaudii luctus occupat.Cùm interierit,non ſumet omnia,neque deſcendet cum eo gloria ejus.Ducunt in bonis dies ſuos,& in puncto ad inferna deſcendunt.* Unde clamant in inferno impii; Iob 21. Sap.5. *Quid nobis profuit ſuperbia,aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra. Quicquid luminibus vides, & quicquid manibus tangis amabile, cuncta hæc pulvis & umbra ſunt, & noctis brevis hujus mera ſomnia.Verè nimiùm miſeranda & plangenda conditio eſt*, inquit S. Auguſt. De honeſt. Mulier.c.3. *ubi citò præterit quod delectat, & permanet ſine fine quod cruciat. Sub momento enim, libidinis impetus tranſit, & permanet ſine fine infelicis animæ opprobrium.*

Heu,quæ proſperitas fine clauditur non luctuoſo? ait Poëta.

MONITUM LIV.

Reſplenduit facies ejus ſicut ſol; veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.

Matth. 17.

MIrari aliquis poſſet, cur Evangelium de transfiguratione Domini, quæ magnam habet lætitiam ac voluptatem, & qua ipſe mu-

Digitized by Google

tatus eſt in eam figuram, in qua videbitur poſt reſurrectionem,& quam in æternum retinebit, inchoata. Quadrageſima proponatur, quod tempus eſt pœnitentiæ ac luctus ſpiritualis. Cùm dicat Sapiens; *Muſica in luctu importuna narratio.* Et ait Poëta: Eccleſ.22.

Non eſt conveniens luctibus ille color. Ovid. in Triſt.

Sed ſi perſpiciamus intentionem ac prudentiam hac in re Eccleſiæ matris, ceſſabit admiratio. Ponit enim ante oculos inſignem mercedem, paratam ac debitam illis, qui in triſtitia & labore verſantur, qui abſtinentia ac jejunio corpus ſuum caſtigant & macerant,& ſimilia pietatis opera pœnalia aſſumunt; ut hac ratione eorum labores ac luctus mitiget ac conſoletur, ſimulque hortetur,ut in opere incepto viriliter progrediantur, aſpicientes in futuram remunerationem, cujus aliquam imaginem conſpiciunt in his tribus; Chriſto,Moyſe,& Helia; qui omnes quadraginta diebus & noctibus jejunarunt.*Chriſti facies reſplenduit ſicut ſol,veſtiſque eius alba facta,ſicut nix.*Sancti etiam *viſi ſunt in Maieſtate.*Quanta autem ſit dulcedo felicitatis æternæ, ex eo aliquo modo intelligi poteſt, quod *eius unam ſtillam cùm guſtaſſet Petrus*, inquit S. Auguſt. *omnem aliam dulcedinem faſtidivit,& omnium inferiorum oblitus, quaſi ebrius dixit: Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Conſideratio præmii,minuit vim flagelli,* ait D.Gregor.& commune dictum eſt; *ſpes præmii ſolatium eſt laboris.* Ita agricolæ ſub iniquo ſole laborant, currunt per ignes mercatores, ſpe lucri ac fructus percipiendi. Matth.42. Exod.34. 3.Reg.19. Luc.9. In Soliloq. cap.22.

Hoc etiam ex D. Auguſtino notandum, nu- Epiſt 119. cap.15.

mero quadraginta dierum, tempus hujus vitæ deſignari, quod eſt tempus pœnitentiæ & luctus, uti dictum eſt: hinc omnibus dicitur, *Pœnitentiam agite*, tametſi diverſimodè, ut eſt apud D. Auguſt. & omnibus dicit Chriſtus, *Beati qui lugent*: in iſto autem tempore opus eſt conſolatione per ſpem futuræ felicitatis & gloriæ, quam in ſuis laboribus ſancti ante oculos habere ſolent, cujus ſpecimen aliquod hic edidit Dominus. In facie enim Domini ſignificata eſt gloria capitis; in ſplendore veſtis, Eccleſiæ.

Matth. 3. Matth. 5. Aug. hom. 50. inter 50.

In Scripturis Chriſtus ſæpe caput dicitur Eccleſiæ, quæ ejus eſt corpus. 1. Quia caput reliquis membris ſupereminet, ſic Chriſtus *Specioſus forma præ filiis hominum, & unctus oleo* ſpiritali, *præ conſortibus ſuis*, iis qui ejuſdem mortalitatis ac infirmitatis ſunt participes. Accepit enim ſpiritum, *non ad aliquam menſuram*, ait Baptiſta, uti nos, ſed in omni plenitudine. *Excellebat nos*, inquit D. Leo, *non diverſitate naturæ, ſed ſublimitate virtutis*. 2. In capite ſenſus eſt & ſapientia, & totum corpus debet ductu & ſenſu capitis gubernari: Sic in Chriſto *abſconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, & ſecundum ejus ſapientiam, ac voluntatem debet tota Eccl. gubernari. *Qui aguntur ſpiritu Dei, hi ſunt filii Dei*. 3. Vires omnes & ſpiritus ex capite in reliqua membra derivantur; ita omnes gratiæ ſpirituales ex ſpirituali capite, Chriſto, in Eccleſiam, ejuſque membra. Ipſe plenus eſt, *de plenitudine ejus omnes nos accipimus*. *Sine me*, inquit, *nihil poteſtis facere*. Et Iſaias: *Haurietis aquas* (ſpiritualium gratiarum) *in gaudio, de fontibus Salvatoris*, id eſt, ex ipſo Salvatore.

Epheſ. 5. Pſalm. 44. Joan. 3. Aug. lib. 1. Retr. c. 19. Fulgent. quæſt. 3. Leo epiſt. 11. Coloſ. 2. Rom. 8. Joan. 1. Joan. 15. Iſaias 12.

Sic

Sic veſtis Chriſti, Eccleſia eſt, quam ipſe induit, quia eam ſibi ſimilem fecit; ſicut veſtimentum homini aſſimilatur, & adaptatur. Dicitur in Pſalm. *Confeſſionem & decorem induiſti*, id eſt, ait S. Auguſt. induiſti Eccleſiam, quæ per confeſſionem depoſuit fœditatem, & accepit decorem: *Amictus lumine ſicut veſtimento.* Ipſa eſt veſtis ejus, ſplendida facta per gratiam, quæ & lux vocatur: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* De illa ſimilitudine & Apoſt. ait; *Vocavit nos Deus in ſocietatem filii ejus, Domini noſtri* Iesu *Chriſti.* Et, *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui.* Hîc in juſtitia, poſteà in gloria. Et; *Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratũ corpori claritatis ſuæ.* Et; *Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Scimus*, inquit Ioannes, *quia cùm apparuerit, ſimiles ei erimus*. Pulchrè S. Aug. *Caput & corpus, Chriſtus & Eccleſia; duo in carne una, in voce una, in paſſione una, & cùm tranſierit iniquitas, in requie una.*

Pſalm. 103. In illum Pſalm. & D. Proſp. Epheſ. 5. 1. Cor. 1. Rom. 8. Philip. 3. Coloſſ. 3. 1. Ioan. 3. In Pſ. 61. & 86.

Tria autem dicuntur de veſte Chriſti. 1. *Non ſcindamus eam.* Unitas eſt in Eccleſia fidei, doctrinæ, religionis, Sacramentorum, &c. iſta dividi non debent. Diviſionem faciunt hæretici & ſchiſmatici. Trinitatem credunt, Euchariſtiam nolunt credere; Baptiſmum recipiunt, non Confirmationem; conjugium prædicant, Virginitatem contemnunt; ſobrietatem probant, reprobant abſtinentiam, &c. 2. Veſtis Domini *deſuper contexta eſt*; iſta enim conjungit, & unitas de ſurſum eſt, à Deo eſt; Charitas quæ membra Eccleſiæ inter ſe conjungit, & conjunctos ſervat, ex Deo eſt. *Imò uſque adeò donum Dei eſt, ut etiam Deus dicatur. Nemo*

Ioan. 19. Aug. Serm. 13. de verbis Apoſt.

autem ſe ſperet aliunde Deum habere poſſe, quàm à
1. Ioan. 4. *Deo*, inquit Auguſt. Concordia autem in errore &
In Pſal. 30. conc. 2. peccato à Diabolo eſt. 3. *Sorte data eſt*, quia cur hic Eccleſiæ inſeratur, non ille, cauſa ignoratur. Id dicitur ſorte dari, cujus cauſa occulta eſt. Occulta Dei voluntas tibi ſors eſt. Videmus alios venire ad Eccleſiam, in ea perſeverare, & ſic ſalvari; alios verò aut omninò non venire, ut Judæos, Turcas, gentiles; aut exire, & ab ea deficere, & ſic perire, ut hæreticos & ſchiſmaticos.

Cauſa, cur iſte potiùs filius ſit Eccleſiæ & permaneat, quàm iſte, ignoratur: non eſt ex humano opere & ſtudio, ſed ex Divina electione, quæ gratuita eſt. Cur autem hunc potiùs quàm illum eli-
Pſal. 100. 1. gat, quis dicet? *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine.* Hîc fatendum eſt veritatis judicium,
Chryſ. in cap. 9. ad Rom. ibi gratiæ beneficium. Sic D. Chryſoſt. tractans illud Pauli ad Rom. *An non habet poteſtatem figulus luti?* &c. *Non ſis*, inquit, *curioſus, ſollicituſque cauſæ inveſtigator, nullaque de re à Deo rationem exigas; ſed quemadmodum lutum figuli manus ſequitur, non contradicens, non quærens, ſed tacens: ita & tu ſententiam Dei: nihil enim temerè, nec fortuitò facit, ut etiam ignores ſapientiæ arcanum.*

Pſalm. 50. Dicit Eccleſia apud Pſalmiſtam; *Super nivem dealbabor*; atque ut hæc dealbatio rectè intelligatur: Notandum duobus modis aliquem turpem dici, malitia, & miſeria. Unde & Dominus Chriſtus *veſtimenta inquinaſſe* dicitur, *& de luto fecis*
Iſaias 63. Pſalm. 39. *eductus*; tametſi enim ab omni omninò peccato fuerit purus, miſeriis tamẽ ſubjectus fuit: unde *viderunt eum Iudæi tanquam leproſum, virum dolorum,*
Iſaias 58. *ſcientem infirmitatem, & non erat ei neque ſpecies, ne-*

que

que decor; ob ſimilitudinem carnis peccati,quam aſſumpſit. Utroque modo jam turpis dicitur Eccleſia, & quia peccatis, & quia miſeriis ſubjacet. Peccatis quidem non ſolùm in malis, quos continet,eoſque duplices;habet enim immundos,fornicatores,ebrioſos,injuſtos,*&c.*Qui ſunt iniquitatis macula; & falſos fratres,*ambulantes in aſtutia,* qui ſunt duplicitatis ruga.Etiam in bonis,qui conantur quotidie in via vitæ proficere,& tamen tenentur quotidie orare, *Dimitte nobis debita noſtra,* id eſt, peccata noſtra; quæ tamen cùm venialia ſint, ſanctitatem Eccleſiæ non auferunt. D.Leo ſer. 3.de Quad.

Quod autem dicitur in Script. de Eccleſia immaculata, ad futurum ſeculum pertinet, quando *juſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum.* Unde D.Auguſt.*Cùm tota dicat Eccleſia quamdiu hic eſt, Dimitte nobis debita noſtra, non utique hic eſt ſine macula & ruga; ex eo tamen quod hic accipit, ad illam gloriam quæ hic non eſt, perfectionemque perducitur.* Et alibi idem Auguſt. *Tunc* (in die judicii) *plena & perfecta erit Eccleſia, non habens maculam aut rugam,aut aliquid ejuſmodi, quia tunc etiam erit verè glorioſa. Cùm enim non tantùm ait, non habentem maculam aut rugam,ſed addidit,glorioſam; ſatis ſignificavit,quando erit ſine macula & ruga, aut aliquid hujuſmodi; tunc utique quando glorioſa. Non enim modò in tantis malis,in tantis ſcandalis,in tanta permiſtione hominum peſſimorum, in tantis opprobriis impiorum dicendum eſt eam eſſe glorioſam, ſed tunc potiùs quando fiet,quod ait idem Apoſtolus,Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra,tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Matth. 13. Lib.1.Retract.cap.7 De perfect. juſtit. Epheſ.5. Coloſſ.3.

Quod etiam ſignificatum videtur in viſione Zach.3.

Zachariæ Prophetæ, de Iesu Sacerdote magno, qui priùs indutus erat veſtibus ſordidis, quæ ab eo ablatæ ſunt; & indutus eſt mutatoriis, & poſuerunt cydarim mundam ſuper caput ejus, &c.
Li.12.cont. *Poteſt intelligi ipſa Eccleſia*, inquit S. Auguſt.
Fauſt.c.36. *quæ corpus eſt Chriſti, quæ adverſario in fine temporum per judicium ſuperato, à luctu peregrinationis, in gloriam ſempiternæ ſalutis aſſumetur. Quod etiam in Pſalmo dedicationis domus apertiſſimè cani-*
Pſalm.29. *tur: Convertiſti luctum in gaudium mihi.* Sic Auguſt.

MONITUM LV.

Sic pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis, &c.

Matth. 18.

VAria ſunt hominis debita erga Deum: debet ei dilectionem, quia Pater eſt; obedientiam, quia Dominus; gratitudinem, quia benefactor ejus eſt. Ab his debitis liberari non poſſumus, ſemper debemus, ſemper reddimus: etiam in futuro ſæculo, ubi perfectiùs reddemus; quia ibi perfectiùs amabimus, obediemus, & gratias age-
Matth.6. mus. Verùm in Scripturis ſacris ſæpè per debita, peccata intelliguntur, & debitori pecuniæ peccator comparatur; quia ſicut hic debet alteri pe-
Luc.7. cuniam, ita & ille reus eſt pœnæ. Debitori verò non habenti unde ſolvat, ideo comparatur, quia
Matth.18. peccator ex ſe non poteſt, ſicut Dei juſtitia requirit, pro peccato ſuo ſatisfacere, quo debitam pœnam

pœnam evadat. Nihil igitur aliud ei reſtat, quàm ut à Deo miſericorditer peccatorum veniam impetret.

Quod tamen, quia juſtitiæ tenaciſſimus eſt Deus, ſine Chriſti paſſione, quæ ſola pro omnibus peccatis plena & exacta eſt ſatisfactio, neminem ſperare voluit. *Sanguis ejus*, inquit Joan. *emundat nos ab omni peccato, quod* (ut inquit D. Hier.) *tam in confeſſione baptiſmatis, quàm in clementia pœnitudinis accipiendum eſt*. Et tam de levibus peccatis, quàm de criminibus. Unde D. Aug. *Reatus peccatorum manet in occultis legibus Dei, quæ conſcripta ſunt quodammodo in mentibus angelorum, ut nulla ſit iniquitas impunita, niſi quam ſanguis Mediatoris expiaverit. Dominus retribuet pro me*, ait David. Et ipſe Dominus, *Quæ non rapui, tunc exſolvebam.*

1. Ioan. 1.
Li. 2. cont. Pelagia.
Lib. 6. in Iulia. cap. 8.
Pſal. 138.
Pſalm. 68.

Dicitur autem oratio noſtra, & pœnitentia, & charitas emundare nos à peccato, impetrando ſanguinis Chriſti participationem: non, ut ille, promerendo remiſſionem, & ſatisfaciendo pro peccatis. Non ergo hæretici imitandi, qui dicunt, Chriſtus ſoluit omnia, ergo à nobis nihil requiritur amplius. Sed ea agere neceſſe eſt, per quæ beneficii Chriſti participes efficiamur. Malagma enim non ſanat vulnus, niſi ei applicetur: & *poculum immortalitatis*, ait Proſp. *habet quidem in ſe ut omnibus proſit, ſed ſi non bibitur, non medetur.*

Articulo 1. falſo impoſito Aug.

Debita ergo, peccata; & debitores, peccatores. Tales omnes ſunt, ideo ab omnibus etiam ſanctis quotidie clamatur, *Dimitte nobis debita noſtra.* Qua oratione etiam filii Dei, dum quotidie ignoſci ſibi ſua debita Deo jubente precantur, ſeſe peccatores eſſe fatentur; Non

Matth. 6.

Digitized by Google

imitantes ſuperbum Phariſæum, qui *in ſe confidebat*
Luc. 18. *tanquam iuſtus*; ſed humilem Publicanum, dicentem Domino: *Deus, propitius eſto mihi peccatori.*
Nec ſequentes Pelagium hæreticum, docentem filios Dei non poſſe vocari, qui omni peccato non
1. Ioan. 1. careant: Sed Joannem Apoſtolum dicentem, *ſi dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Multum enim nobis*
De Civit. lib. 12. c. 22. *in hac carne tribueremus*, inquit Aug. *niſi uſque ad eius depoſitionem ſub venia viveremus. Iam olim con-*
De perfect. juſtit. ratioc. 15. *tra ſuperbos clamatum eſt*, dicit idem Aug. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*. Non qui non habet, quia talis nemo eſt, ſed cui non imputatur. Non imputatur autem his, qui ei fideliter dicunt, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus*. Et monet Sapiens, *Noli eſſe iuſtus*
Eccl. 7. *multum. Talis eſt*, inquit D. Proſp. *qui dicit ſe non*
Sent. 365. *habere peccatum; non enim eſt ſapientis iuſtitia, ſed præſumentis ſuperbia.*

Omnes ergo debitores ſumus; ſed unus plus, alius minùs debet. Qui crimen committit, ut ſunt ebrietas, fornicatio, odium, *&c.* debet pœnam æternam, & eo majorem, quo plura & graviora committit. Qui autem veniale, temporalem, & eo majorem ac longiorem, quo plura & graviora: qualia ſunt immoderatè ridere, raptim inania cogitare, aliquantum temporis fabulis terere, *&c. Stoïcorum eſt*, inquit Hiero. ad Celant. *peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria judicare, nec ullum inter ſcelus & erratũ diſcrimen facere.* Quod dogma etiam Jovinianus ſequebatur, ut idem Hier. lib. 2. contra eundem teſtatur. Sed egregiè ibi confutat; & jure ridet Horat. in Satyris, alioqui omnia peccata

cata paribus ſuppliciis punirentur, ut antè dictum, Mon.47.

Eſt igitur Remiſſio peccatorum gratia omnibus neceſſaria, & hic articulus fidei de remiſſione peccatorum, noſtra eſt conſolatio: ſine qua omnia peccata tenentur, & puniuntur, nulla bona remunerantur; quia per peccatum à ſua mercede fruſtrantur, & impediuntur: qua obtenta, peccata, quamvis multa & enormia, non nocent, bona opera plenam mercedem accipiunt. Angeli rapientes D. Antonium ad ſublimia, cum dæmones impedire ejus tranſitum conarentur, objicientes ei antiqua peccata; dixerunt Angeli, ea cùm jam bonitate Dei & monaſtica converſione delata eſſent, ei nocere non poſſe. Promittit Dominus per Ezechiel. *Quando impius conuerſus fuerit à via ſua mala, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Remiſſio peccatorum *eſt Azylum*, in quo tuti ſunt ab ira Dei peccatores. *Per hanc ſtat Eccleſia, quæ in terris eſt*, inquit Aug. *per hanc non perit, quod perierat, & inuentum eſt.*

D. Athanaſ. in ejus vita.

Ezech.18.

De civit. lib.2.c.29. lib.5.c.17. Enchirid. cap.64.

Sed quomodo hoc donum conſequemur? Remedium ponitur in Evangelio: ſi videlicet, ex animo dimittamus ea, quæ alii in nos peccaverunt. Sed quid eſt, proximo injuriam dimittere? eſt eam pro infecta habere, proximoque non imputare. Iniquus ergo eſt, qui peccatum dimiſſum poſtea vindicat, exigens quod non debetur. Imò qui propter illud beneficia etiam indebita ſubtrahit, ea alioqui largiturus. Quando præcipit Dominus iſtam dimiſſionem? Quando veniam petit proximus. *Attendite vobis,* (inquit Chriſtus.) *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; & ſi pœnitentiam*

Luc.1.17.

Digitized by Google

nitentiam egerit, dimitte illi; & ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi. Sed quid ſi ſint perſonæ humiles quas læſimus, à quibus ſi petamus veniam, extolluntur in ſuperbiã, ut ſi Dominus peccet in ſervum injuſtè litigando, cædendo: *Durum videtur*, inq. Aug. *ut jubeã, dicat illi, ignoſce mihi, non quia non debeat facere, ſed ne ille incipiat ſuperbire, ſi pœniteat eum. Quid ergo? ante oculos Dei pœniteat eum, puniat cor ſuum, & blandè ſervum alloquatur; blanda enim appellatio eſt veniæ petitio.* Quid ſi læſus petẽti veniam nolit dimittere? *Noli eſſe ſollicitus,* inq. Aug. *Servi eſtis ambo, habetis dominum. Conſervo tuo debes, noluit tibi dimittere: interpella Dominum amborum. Quod tibi dimiſerit Dominus, ſi poteſt, exigat ſervus.* Sed quid ſi proximus pergat injuriari, nec veniam velit rogare: *Nolo*, inq. Aug. *adeas illum, & mentiendo dicas illi, da mihi veniam. Si paratus es dimittere, jam dimiſiſti. Habes adhuc quod facias; ora pro illo ut petat, & ut Deus illi ignoſcat. Debent etiam eſſe alii pacifici, qui illum objurgent, ut à te priùs veniam petat: tu tantum paratus eſto ignoſcere.*

Serm. 26. in Nov.

Serm. 62. in Nov.

Ibidem.

Tenemur ergo in præparatione animi ei ignoſcere, id eſt, nullo odio vel amaro affectu eum proſequi; ſed potiùs parati eſſe cedere vindictæ, quam zelo juſtitiæ poſſumus exigere, ſi injurius in nos eſſe deſtiterit, petatque reconciliari nobis. De tali dimiſſione loquitur Dominus apud Marcum, dicens; *Cùm ſtabitis ad orandum, dimittite; ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & pater veſter qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra; quia ſi vos non dimiſeritis, nec Pater veſter dimittet vobis.* Quiſquis autem non malo inimici odium animi

Vide Aug. Ench. c. 73. 74. & ſer. 11. & 62. in Nov. qui eſt 40. inter 50. hom.

Marc. 11.

Digitized by Google

» eum paſcere cupiens, ſed ſuo honore commotus, ſibi debitam vindictam exigit de eo, qui injuſius eſſe pergit, paratus pœnitenti, ſeu veniam petenti ignoſcere, item & honorem ſuum negligere, ſi putaret id fore utile & neceſſarium ad illius converſionem, poteſt dicere: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus, quia etiam ſibi roganti vult utique dimitti, cùm orat, & dicit, ſicut & nos dimittimus debitoribus, id eſt, dimitte nobis debita rogantibus nobis, ſicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus noſtris.* Hic præſtat quod mandavit Dominus dicens, *ſi peccaverit in te frater tuus*, &c. ut ſuprà.

Aug. Ench. 73.

Luc. 17.

Nihilominus quod tanti ſuum honorem faciat, ut illum ſaluti inimici non impendat, honoris ſui contemptu & peccati condonatione eum ad pœnitentiam provocando, præveniens; quod peculiari oratione emendationem inimici non roget, eſt animi terrena adhuc magnifacientis. Non eſt id niſi mediocriter boni, non perfecti filii Dei, qui bonum quod poteſt, facit ei, à quo injuriam patitur, & omnibus ſuis ad inimici correctionem pertinentibus, libenter cedit. *Quò quiſque fidelium ſe debet extendere, animumque perducere, orando Deum, ſecumque luctando*; non quòd iniquum ſit, ut recipiat unuſquiſque ultionem, prout alteri injuriam irrogarit: alioqui lex vindictam nequaquam conſtitueret, ſed *quia ulciſcendi libido vitioſa eſt*, magiſque ad Judicem pertinet, inter malos hoc dignoſcere, quàm bonum hominem id ſibi expetere.

Aug. ibid. & l. 3. c. 5. cont. 2. epiſt. Pelag. In Pſal. 108. verſu Et poſuerunt.

Qui autem vindictam ſibi jure debitam exigit, ad ſalutem peccatoris, & aliorum, quorum ſalus eſt lædentis impunitati anteponenda, non

propterea inter imperfectos recenſendus eſt: imò propriè loquendo, peccatum ejus à quo læſus eſt, ex animo dimittit, præſtans inſuper & aliam miſericordiam. Dum enim plectit pœna emendatoria ipſius aut aliorum, animo paratus eſt injuriæ ſuæ penitus obliviſci, nec quæ ſua ſunt quærit, ſed quæ J ſu Chriſti. *Ipſa enim patientia & benevolentia, ne reddatur malum pro malo,* inquit D. Auguſt. *ſemper in voluntate complenda eſt; in manifeſto autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe poſſe, quibus benè velle debemus. Agenda ſunt etiam multa cum invitis benigna quadam aſperitate plectendis, quorum potiùs utilitati conſulendum eſt, quàm voluntati.*

Aug. epiſt. 5.

Epiſt. 109. Notanda eſt ſalutaris doctrina D. Aug. ad omnes omninò Chriſtianos pertinens, quam habet in Regula; *Quicunque verbo vel facto aliquem læſerit, meminerit ſatisfactione quantocyus curare quod fecerit, & ille qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere. Si autem invicem ſe læſerint, invicem ſibi debita relaxare debebunt, propter orationes veſtras, quas utique quantò crebriores habetis, tantò ſaniores habere debetis. Proinde vobis à verbis durioribus parcite; quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, unde facta ſunt vulnera.* Item & alia. *Quid,* inquit, *eſt vindicare? niſi malò alieno paſci? Quotidie homines etiam ſpeciem pietatis habentes, veniunt, & dicunt, Domine, vindica me, occide inimicum meum. Planè ora ut occidat inimicum tuum, & ſalvet fratrem tuum. Occidat inimicitias, ſalvet naturam. Sic ora, ut vindicet te Deus; pereat qui te perſequebatur, ſed maneat qui tibi reddatur.*

Serm. 26. in Nov.

MON I.

MONITUM LVI.

Vos Patres educate filios veſtros in diſciplina & correptione Domini.

Epheſ. 6.

DEbent filiis parentes diſciplinam, id eſt, ut eos erudiant in recta fide, & moribus Chriſtianis. Unde Apoſtolus; *Et vos patres educate filios in diſciplina, &c.* Et Moyſes præcepta Domini filiis diligenter inculcanda docet. *Docete,* inquiens, *filios veſtros verba mea, ut illa meditentur, quando ſederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque ſurrexeris.* Quod diligenter præſtitit Abraham, unde etiam Deum ſibi tam amicum habuit, ut ei ſecreta ſua revelaret, quia *ſcio* (inquit Dominus) *quod præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini, & faciant judicium & juſtitiam.* Sic & Tobias filium ſuum *docuit ab infantia timere Deum, & abſtinere ab omni peccato.* De eo dicit D. Aug. *Clauſis oculis iſtis filium docebat vitæ viam, & ei præibat pede charitatis, nuſquam errans.* De parentibus etiam Suſannæ dicit Script. quod *erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi.* Unde tam bene inſtituta ac educata, tantam poſtea oſtendit conſtantiam in tuenda pudicitia.

Vide ſupra Mon. 26. Epheſ. 6. Deuter. 11. Gen. 18. Tob. 1. Lib. 10. Conf. c. 34. Daniel. 13.

Ad quod inſtitutionis & educationis officium frequenter parentes hortatur Sapiens: *Doce,* inquit, *filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. Qui docet filium ſuum, laudabitur* Eccl. 30.

Digitized by Google

in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur, &c. *Non parvi apud Deum eſt meriti*, ait Hier. *benè liberos educare*. Et de Matre quadam quæ multos bonos filios genuerat, & educaverat, dicit quod *verè ejus venter aureus dici poteſt*. *Urſa*, inq. D. Ambroſ. *fertur informes edere partus, ſed natos lingua fingere, atque in ſpeciem ſui, ſimilitudinemque formare. Non miraris in fera tam pii oris officia, cuius naturam pietas exprimit? Urſa igitur partus ſuos ad ſui ſimilitudinem effingit, & tu filios tuos inſtituere ſimiles tui non potes? Si*, inquit S. Hier. *ſollicitè provides ne filia, aut filius percutiatur à vipera, cur non eadem cura provideas, ne feriatur à malleo univerſæ terræ, ne bibat de aureo calice Babylonis?*

In epiſt. ad Salvinam. Ad Chromatium, Jovin. &c. Lib. 6. Hexam. Ad Lætam.

Quod ſi parentes ipſi, aut non norunt, aut aliis impediti non poſſunt inſtituere filios, debent eis providere tales Magiſtros, qui Chriſtianam fidem ac vitam eos optimè doceant. Quod graviter admonet Conc. Mogunt. *Dignum eſt*, inquit, *ut filios ſuos donent ad Scholam, ſive ad Monaſteria, ſive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam rectè diſcant, ut domi alios edocere valeant*. Dignum eſt obſervatu, quod Ioan. ſcribat, non tantùm ſenibus & juvenibus, ſed etiam pueris jam ratione uti incipientibus, in quo non parum accuſatur oſcitantia multorum, qui tam negligentes ſunt in formanda pueritia, & doctrina fidei, piiſque moribus inſtituenda: parum memores quod *ſenſus & cogitatio hominis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*, quodque *ſtultitia colligata ſit in corde pueri*, quæ niſi diligenti cultura & diſciplina eradicetur, peſſimos fructus ſit allatura, quos amputare poſtea nequeant. Solent enim quæ rudibus annis percepta

Can. 45. 1. Ioan. 2. Gen. 8. Prov. 22.

Digitized by Google

cepta ſunt, inhærere altiſſimè, & in omnem uſque vitam retineri; juxta illud Sapientis, *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Et, *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua.* Ibidem. Thren.

Contra quæ veritatis verba obganniunt quidam, illud à Sathana profectum falſiſſimum carmen,

Angelicus juvenis ſenibus ſathaniſat in annis: non timentes illud Saluat. *Qui ſcandaliſaverit unum de puſillis iſtis, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Hi ſunt qui calumniantur eos, qui puerulos ad Chriſtum adducere conantur, ſimiles Scribis & Phariſæis dolentibus, quòd pueri Chriſto canerent Oſanna, quodque *ex ore lactentium & infantium perficeret Chriſtus laudem ſuam.* Matth. 18. Luc. 19. Matth. 21. Pſal. 8.

In filiorum autem diſciplina atque regimine, prudentia opus eſt, ut videlicet nec auſterior, nec indulgentior ſit parens. Auſteritate imperii fit, ut pueri diſciplinam fugere & odiſſe incipiant, priuſquam ejus guſtarint utilitatem; hinc puſillanimes fiunt. Unde mandat Apoſtolus; *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant, id eſt,* ut ait D. Hieron. *nec parvulos, & lactentes irritetis; nec adoleſcentibus & maturioris ætatis gravia imperetis: moderatum ſit imperium veſtrum: non quaſi ſervis, ſed ut filiis vos præeſſe noveritis. Si quando delinquunt, ſic objurgandi ſunt, ut correctos malitis, quàm punitos, & magis à futuris peccatis eos abducatis, quàm pro præteritis puniatis.* Epheſ. 6. Coloſ. 3. Hieron. in illud cap. 6. Epheſ.

Hinc peſſimè agunt illi parentes, qui magis ira quã ratione in filios ſæviunt, & etiã correctis im-

placabi

placabiles ſunt, item qui filiis ſuis maledicunt; timendum, ne ſæpè eorum maledictiones exaudiãtur à Domino, in magnam eorum & filiorum perniciem. Habet exemplum D. Aug. *de decem fratribus, qui maledicto matris, recenti patris eorum obitu deſtitutæ, quæ injuriam ſibi ab eis factam acerbiſſimè tulit, tali pœna ſunt divinitus coërciti, ut horribiliter quaterentur tremore membrorum; in qua fœdiſſima ſpecie oculos ſuorum civium non ferentes, quaquaverſum cuique ire viſum eſt, toto penè vagabantur orbe Romano. Diſcant* (inquit D. Auguſt. hoc exemplum referens) *filii obſequi, timeant parentes iraſci: diſcite filii, quod dicit Scriptura, reddere honorem parentibus debitum; ſed & vos parentes, quando offendimini, parentes vos eſſe recordamini.* Sapiens in Proverbiis admodum blandè erudit filium ſuum; ſic & Tobias, & reliqui Sancti. *Pudore & liberalitate liberos retinere, ſatius eſſe credo, quàm metu,* ait Comicus. Et; *Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium ſua ſponte rectè facere, quàm alieno metu. Hoc pater ac Dominus intereſt; hoc qui nequit, fateatur, neſcire imperare liberis.*

De Civit. l.22.c.10.

Serm.95. in Nov.

Terent. Adelph. Act.2.ſce.1

Contrà, indulgentia æquo majori corrumpuntur; *Deteriores enim ſumus omnes licentia.* Et,

> *Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos:*
> *Iuge, ſed impigros reddit, vigileſque flagellum.*

Terent. in Heaut. Act.3.ſce.1

Qui enim à puero diſciplinæ non fuerunt ſubjugati, grandiores facti, non ſuſtinent eam. Proverbium enim eſt, teſte Sapiente, *Adoleſcens enim juxta viam ſuam*, &c. ut ſuprà. Sunt parentes quos maximè putes diligere proles ſuas, dum nil deſideriis earum negant, flagello & verbere nunquam attingunt. Verùm præclarè de his quidam;

Prov.22.

quidam; *Nutrices corporum, ſed novercæ animarum.* Sunt hi parentes ſimiis ſimiles, quæ fœtus ſuos arctiùs conſtringendo ob amorem; necant. Et quia hoc nimiæ indulgentiæ vitium admodum frequens eſt in parentibus, & vehementer noxium filiis, ideo Scriptura ſæpe illud deteſtatur.

Qui parcit virgæ, ait Sap. *odit filium ſuum; qui autem diligit illum, inſtanter erudit.* Et; *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam; ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Et, *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, ut lætetur in noviſſimo ſuo, & non palpet proximorum oſtia. Equus indomitus evadet durus, & filius remiſſus evadet præceps. Lacta filium tuum, & paventem te faciet; lude cum eo, & contriſtabit te. Non corrideas illi, ne condoleas, & in noviſſimo obſtupeſcent dentes tui. Non des illi poteſtatẽ in juventute, & ne deſpicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute; & tunde latera ejus dum infans eſt, ne fortè induretur; & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Ut aqua in areola digitum ſequitur præcedentem; ita ætas mollis & tenera, in utramque partem flexibilis eſt, & quocumque duxeris, trahitur,* ait Hier. *Et quẽadmodũ ſigilla mollibus facilè imprimuntur ceris, ita animis puerorum diſciplinæ inſculpuntur,* ut ait Plut.

Prov. 13. Ibidem. Eccleſ. 30. In epiſt. ad Gaudent. de educand. liberis.

Inter negligentes diſciplinæ filiorum, illi parentes habendi ſunt, qui ex avaritia, vel quavis alia cauſa, non curant filiorum ſuorum peſtilentem, & in poſterum periculoſam libidinem coërcere termino conjugalis affectus, quando ad vivum reſecare nequeunt. Queritur Auguſt. *Quis mihi moderaretur ærumnam meam, ut uſque ad conjugale littus exæſtuarẽt fluctus ætatis meæ, ſi trãquillitas* in

Li. 2. Conf. c. 2. & 3.

Digitized by Google

in eis non poterat ſine procreandorum liberorum eſſe Hom.61. in Matth. *contenta ?* Objurgat D.Chryſ.parentes graviter, quòd filios ſuos ſcortari ſinant, nec eos tempeſtivè jungant prudentibus uxoribus, quæ ab omni mala conſuetudine maritos eripiant, & tanquam fræno pullum, facta ſalutari domatione, Vide Baro. tom.3. contineant. In laudibus Conſtantini Magni ponitur, quod ab ipſo fine pueritiæ illico Matrimonii legibus ſe tradiderit, ut primo ingreſſu adoleſcentiæ, formaret animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de conceſſis ætati voluptatibus in ſuum pectus admitteret.

Similiter diſciplinæ negligentes ſunt, qui filiorum ſuorum pudicitiam ſegniter cuſtodiunt; Eccleſ.7. unde Sapiens; *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos à pueritia eorum. Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da il-* 1. Reg.4. *lam.* Negligentiam paternæ in filios diſciplinæ, in Heli Sacerdote, judice alioqui juſto, graviſſimè vindicavit Deus; dum & ipſe de ſella miſerè ruens, fractis cervicibus, expiravit, & poſteritas ejus valdè afflicta fuit; *eo quòd noverat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos.* Et tamen dixerat; *Quare facitis res hujuſcemodi, quas ego audio res peſſimas, ab omni populo? Nolite filii mei, non eſt bona fama, quam ego audio, ut tranſgredi faciatis populum Domini. Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus; ſi autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo ?* Verùm, ob criminum enormitatem non tantùm verbis cum eis agere debuit, ſed & amovere ab officio, quod indignè adminiſtrabant. In Paſt. part.2.c.6. *Quia falſa pietate ſuperatus*, ait Greg. *ferire Heli delinquentes filios*

Digitized by Google

filios noluit, apud diſtrictum Iudicem ſemetipſum cum filiis, crudeli damnatione percuſſit. Et D. Leo; *Meruit, eorum delicta tolerando; divinæ juſtitiæ unà cum filiis ſententiam experiri, propterea quòd ſegni indulgentia diſſimulavit plectere peccatores.* Fortè & ideo vindicatum in Samuelem; quòd filios ſuos Iudices avaros & iniquos non amoverit; ſed leniùs agens ſicut Heli, malè tolerarit. Epiſt. 76. Pſalm. 98. 1. Reg. 8.

Si tam graviter puniuntur, qui filiorum ſuorum diſciplinam negligunt; quid illis parentibus exſpectandum, qui nullam teneræ adhuc & innocenti ætati reverentiam deferentes, conſcientiam ejus necant; obſcœnis & flagitioſis factis & verbis corrumpunt, inficiunt, ac perdunt? Quibus Poëta gentilis; Iuven. Sat. 14.

Nil dictu fœdum, viſuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt, ——— &c.
Maxima debetur puero reverentia, ſi quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos:
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

Sicut autem non decet in familia audiri ſermonem laſcivum, ita nec tabulas convenit habere impudicas. Loquax enim res eſt pictura tacita, & ſenſim irrepit in animos. Turpitudinis delitiis quidam ornant ſua conclavia, quaſi juventuti deſint irritamenta nequitiæ. Membra quæ verecundiæ gratia celas ne videantur, cur in tabula nudas, & nunquam pateris ea abeſſe à conſpectu liberorum? Scitè Propert.

Quæ manus obſcœnas depinxit prima tabellas, Propertius.
Et poſuit caſtâ turpia viſa domo;
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæque ſuæ noluit eſſe rudes.

Lib. 7. Polit. cap. 17. Ariſtoteles adeò putat, picturas, laſciváſque ſtatuas ad morum corruptelam facere, ut hoc velit per Magiſtratus publicis legibus caveri, ne quid imaginum ſit in civitate, quod admoneat turpitudinis. Lingua loquitur auribus, pictura oculis; multóque loquacior eſt pictura, quàm oratio, & ſæpè altiùs diſcendit in pectus. Unde & Poëta.

Horat. in arte Poët.

Segniùs irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Quæ verò pœna manet illos parentes, qui impiiſſimæ Athaliæ matris Ochoſiæ exemplo, 2. Par. 22 filios ſuos impellunt ad malè agendum, hæreſim inſtillant, docent mentiri, fallere, fraudare multis eos beneficiis Eccleſiaſticis, & Crucifixi opibus, etiam per Simoniam procuratis, onerant: invitos ad monaſticam vitam adigunt: Denique priuſquam ſapere valeant, compluribus eos laqueis implicant, è quibus nunquam ſe extricare queant. Agrippina Neroni filio, medio diei, cùm id temporis Nero per vinum & epulas incaleſceret, offerebat ſe ſæpius temulento comptam, & inceſto paratam: ſuum cubiculum ac ſinum offerebat, contegendis iis quæ prima ætas ac tanta potentia expeteret: refert Tacitus. Sed ab eo poſtea occiſa. Sicut & Semiramis à filio Nino, cum ejus concubitum expeteret. Ut refert Iuſtin.

De liber. educ. *Ante omnia opus eſt*, inquit Plut. *ut Patres non ſolùm nihil peccando, verùm etiam honeſta ſingula peragendo, manifeſtum ſeſe filiis exemplar exhibeant, ut in eorum vitam quaſi in ſpeculum quoddam intuentes, ab operum ſimul & ſermonum turpitudine ſe penitus avertant*. Et D. Hieron. ad Lætam; *Nihil in te, &*

Patre ſuo videat (filia) *quod ſi fecerit, peccet. Memento magis eam exemplis doceri poſſe, quàm voce. Citò flores pereunt, citò violas, & lilium, & crocum peſtilens aura corrumpit.* Cato è Senatu civem movit, quòd præſente filia uxorem deoſculatus eſſet. De inſtitutione filiæ. Plutarch. in Catone.

Reprehendit & D. Hieron. illos miſeros parentes, & non plenæ fidei Chriſtianos, qui deformes, & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, virginitati tradunt. *Tanti, ut dicitur, vitrum, quanti margaritum?* Item illos qui religioſiores videri volentes, parvo ſumptu, & qui vix ad alimenta ſufficiat, dato virginibus; omnem cenſum in utroque ſexu, ſecularibus liberis largiuntur. Quod nuper, inquit, in hac urbe dives quidam Presbyter fecit, ut duas filias in propoſito virginali inopes relinqueret, & aliorum ad omnem copiam filiorum luxuriæ atque delitiis provideret. In epiſt. ad Demet.

Hoc etiam conqueritur Salvianus: *Qui à parentibus,* ait, *filii offeruntur Deo, omnibus filiis poſtponuntur oblati; indigni judicantur hæreditate, qui digni fuerint conſecratione: ac per hoc una tantum re parentibus viles fiunt, quia cœperunt Deo eſſe pretioſi. Ex quo intelligi poteſt, quod nullus penè apud homines vilior eſt quàm Deus: cujus utique fit deſpectione, ut eos præcipuè parentes filios ſpernant, qui ad Deum cœperint pertinere,* &c. Vide ibi: *Parentes Demetriadis, Virgini tradiderunt quidquid nuptiis fuerat præparatum, ne ſponſo fieret injuria; imò ut dotata priſtinis opibus veniret ad ſponſum,* (quod Hieron. celebratum dicit omnium laude Chriſtianorum) *ut quod in rebus mundi periturum erat, domeſticorum Dei ſuſtentaret inopiam.* Lib. 3. ad Eccleſiam. In epiſt. ad Demetriad.

Amb. lib. 1. de Virgin. in fine. Vide Parte 4. Mo. 8.

Quam graviter autem puniti ſint, qui liberos impediunt à meliori bono. Hieron. & Ambroſ exemplis oſtendunt.

MONITUM LVII.

Qui timet Dominum, honorat parentes.

Eccleſ. 3.

MUlta parentibus debentur à liberis. In primis, Honor; qui quidem teſtimonium eſt excellentiæ, vel ſolo corde, vel ſigno externo exhibitum. Maxima autem excellentia præditi ſunt parentes, quod aliorum hominum ſint cauſa & origo. Hanc excellentiam maximè agnoſcere & teſtari debent liberi, qui ex parentibus acceperunt totum quod ſunt, corpus, atque membra, nobilem rationis uſum, ſanitatem, educationem. *Memento*, inquit Sapiens, *quoniam niſi per illos* (patrem & matrem) *natus non fuiſſes, & retribue illis, quomodo & illi tibi.* Et iterum; *Deus honoravit patrem in filiis; & judicium matris exquirens, firmavit in filios.*

Eccleſ. 7. Eccleſ. 3.

Graviter ergo peccant illi liberi, qui debitum parentibus honorem bono animo non exhibent, de iis erubeſcunt, eos eſſe negant. Nobile eſt exemplum Benedicti XI. Pontificis, qui ex humili tandem ad eam dignitatem evectus, matrem pauperem ſplendida, ſed aliena veſte ad ſe venientem, agnoſcere noluit; vili, & propria indutam agnovit, & complexus eſt. Offendunt & illi graviter

Anton. Senenſ. in Biblioth. ſua.

graviter, qui parentes derident, imitantes impium Cham, qui non fuit veritus conſpicere verenda patris ſui,& fratribus ſuis indicare illius nuditatem. Unde & à patre cum ſua poſteritate maledictus eſt. Quærit D. Ambr. *Cur Scriptura non ſimpliciter dixerit, Vidit Cham verenda patris eſſe nudata; ſed, vidit Cham pater Chanaam, qui utique natus non erat: cur ergo nomen addidit filii? Niſi,* ait Ambroſ. *ut & vitio authoris deformaretur hæreditas, & author filii nequitiâ gravaretur? Et pater igitur in filio, & in patre filius redarguuntur, habentes ſtultitiæ, nequitiæ, impietatis quoque commune conſortium. Nec poterat fieri, ut bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius, & naturæ & eruditionis degener extitiſſet.* Geneſ.9. De arca & Noë, c.30.

Ab hoc peccato vehementer deterret ſcriptura. *Ne glorieris,* inquit Sap. *in contumelia patris tui; non eſt enim tibi gloria, ſed confuſio: gloria enim hominis ex honore patris ſui, & dedecus filii, pater ſine honore.* Et, *Oculum qui ſubſannat patrem, & deſpicit partum matris ſuæ, ſuffodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eũ filiæ aquilæ.* Et Propheta Ezechiel: *Patrẽ & matrem,* inquit, *contumeliis affecerunt in te; verecundiora patris diſcooperuerunt in te.* Et poſt pauca: *Congregabo vos, & ſuccendã vos in igne furoris mei.* Eccl.3. Prover. 30. Ezech.22.

Maledicentes autem parentibus lege Domini morte plecti jubentur. *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Et, *Qui maledicit Patri ſuo, vel matri, extinguetur lumen ejus in mediis tenebris.* Spernentes quoque, atque exaſperantes eos, admodum præcepto Domini adverſantur, imitantes prophanum Eſau, qui duxit duas uxores, quæ ambæ offenderant animum Iſaac Levit.20. Exod.21. Prov.20. Geneſ.26. Eccleſ.3.

& Rebeccæ. Contra quæ peccata, ait Sapiens; *In opere & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum. Suſcipe ſenectam patris tui, & non contriſtes eum in vita illius; & ſi defecerit ſenſu, veniam da; & ne ſpernas eum in virtute tua. Quàm malæ famæ eſt, qui derelinquit patrem; & eſt maledictus à Deo, qui exaſperat matrem.* Et, *Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominioſus & infelix eſt.* Dicebat Monica Auguſtini mater, in ultima, qua defuncta eſt, ægritudine, magno animi affectu, *nunquam ſe audiſſe ex ejus ore, jaculatum in ſe durum, aut contumelioſum ſermonem; unde & pium eum vocabat.* Optimum matris de filio teſtimonium. *Matris ferre injurias pietas jubet*, inq. Terent.

Prov. 19. Li. 9. Conf. cap. 12. In Hecyra

At patricidæ & matricidæ, aut percuſſores parentum ſuorum, qui imitantur impium Abſalon, omnino beſtiales ſunt, & immanes. Rogatus Solon, cur nullam legem tuliſſet in parricidas: *Non expectabam*, inquit, *tale ſcelus unquam in hac civitate poſſe committi:* Refert Cicero. Monſtro ſimilior quàm homini Nero, qui matrem occidit. De qua Seneca;

2. Reg. 15. Cicero pro Roſcio. Senec. in Octavio.

Cædis moriens illa miniſtrum
Rogat infelix, utero dirum
Condat ut enſem.
Hic eſt, hic eſt fodiendus, ait,
Ferro, monſtrum qui tale tulit.

Debentur à liberis etiam parentibus, vitæ ſubſidia, quando inopia, vel neceſſitate premuntur. Ac ſæpè, honor in Script. donum intelligitur; ut, *Viduas honora, quæ verè viduæ ſunt*, id eſt, ſuppedita eis vitæ neceſſaria. Et rurſum; *Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore*, id eſt, ſubſidio, *digni habeantur*; ut

1. Timot. 5 Ibidem.

ut videlicet, ſine ſollicitudine temporalium, melius ſtudio, lectioni, doctrinæ, aliiſque ſpiritalibus operibus vacare poſſint. *Dominus ergo conſiderans,* inquit D.Hieron. *vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum, præcipit ut liberi parentes ſuos honorent, etiam in vitæ neceſſariorum ſubminiſtratione.* *Quod ſolo naturæ ductu etiam faciunt alites,* inquit Baſil. *nulla ratione prædita*; ut maximè pudere debeat homines, ſi hac in re illis ſint inferiores. Ciconiæ enim parentes ſenio confectos, plumis nudatos, fovent, paſcunt, ac portant invalidos. Unde & Romanorum uſu *pia avis* dicta eſt Ciconia, teſte D.Ambroſio. *Pudeat ab animalibus non trahere mores,* ait Seneca.

In cap. 15. Matth. — Hom. 8. hexam. — Lib. 5. Hexa. c. 19. — Lib. 1. de Clem. c. 19

Illuſtre eſt exemplum quod refert Valer. Max. *Sanguinis ingenui mulierem Prætor apud tribunal ſuum damnatam crimine capitali, Triumviro in carcere necandam tradidit. Quò receptam, is qui cuſtodiæ præerat, miſericordia motus, non protinus ſtrangulavit. Aditum quoque ad eam filiæ, ſed diligenter excuſſæ, ne quid cibi inferret, dedit; exiſtimans futurum ut inedia conſumeretur. Cùm autem jā plures dies intercederent, ſecum ipſe quærens, quidnam eſſet quo tamdiu ſuſtentaretur, curioſius obſervata filia, animadvertit illam exerto ubere famem matris lactis ſui ſubſidio lenientem. Quæ tam admirabilis ſpectaculi novitas, ad concilium Iudicum perlata, remiſſionem pœnæ mulieri impetravit.* Eadem fuit pietas Perus, quæ patrem ſuum conſimili fortuna affectum, parique cuſtodiæ traditum, jam ultimæ ſenectutis, velut infantem pectori ſuo admotum aluit. Iſta gentiles: quid non oporteat facere Chriſtianos? *Saltem præſtet fides,* ait Hieronymus, *quod exhibuit infidelitas.*

Lib. 5. c. 4. — Valer. ibidem. — In epiſt ad Heliod.

Sed

In cap. 15. Matth. *Sed hanc providentiſſimam Dei legem*, ait idem Hieron. *qua præcipiuntur liberi ſublevare neceſſitates parentum, volentes Scribæ & Phariſæi tempore Chriſti adventus ſubvertere, ut impietatem ſub nomine pietatis inducerent, docuerunt peſſimos filios, prætextu religionis, & oblationum quæ Deo offerebantur, parentum inopiam negligere.* Contra quos inquit Dominus in Evangelio; *Bene irritum feciſtis præceptum Dei, ut traditionem veſtram ſeruetis.* Quæ enim voluntariè aſſumuntur ad colendum Deum, non poſſunt aſſumi cum violatione præceptorum legis naturæ, quorum unum eſt, Subveni parenti egeno. Filius igitur vel filia, ſi patrem vel matrem egenam habeant, cui in Religione conſtituti non poſſent ſubvenire; vel differre, vel omittere debent religionis ingreſſum, ut illius ſuccurrant egeſtati. Unde & Conc. Gangrenſe conformiter Evangelio; *Si qui filii*, inquit, *parentes maximè fideles deſeruerint, occaſione cultus Dei, hoc juſtum judicantes eſſe, & non potiùs debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipſum in eis venerentur, quod fideles ſunt, anathema ſit.*

Marc. 7.

Exod. 20. & 21.

Canon. 16.

Clarum eſt igitur, graviter eos peccare, qui parentum ſuorum inopiam pro viribus ſuis nō ſublevant, & qui bona ipſorum furantur. Quod furtum gravius eſt, quàm ſi in perſonam extraneam committeretur. De quibus Sapiens: *Qui ſubtrahit aliquid à patre & matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt*; ſi, videlicet, ita ſpoliet, ut ad inopiam redigat. Gravius autem peccant, qui jam diviſa ſibi parentum hæreditate, parentes ſinunt ingratiſſimi egeſtate premi. Quæ impietas ne cui contingat, admonet Sapiens: *Filio.*

Prov. 28.

Eccl. 33.

lio & mulieri, fratri, & amico, non des poteſtatem ſuper te in vita tua, & non dederis aliis poſſeſſionem tuam; ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis. Dum adhuc ſuperes & aſpiras, non immutabit te omnis caro. Melius eſt enim ut filii tui te rogent, quàm te reſpicere in manus filiorum tuorum. In die conſummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui, diſtribue hæreditatem tuam.

Sicut autem liberi ſubvenire tenentur corporalibus neceſſitatibus parentum; ita & ſpiritualibus: Si mali ſint, obſecrando eos, ut à peccatis ſe convertant; ſi ignorantes ſint, docendo eos, quæ ad fidem rectam & mores bonos pertinent; in rebus ambiguis eis dando recta conſilia; ſi infirmitates habeant vel animorum vel corporum, eos patienter ſufferendo; denique orando pro eis, ſive vivant, ſive vita functi ſint.

MONITUM LVIII.

Filii, obedite parentibus per omnia.

Coloſſ. 3.

EST aliud, quod liberi parentibus debent exhibere, nempe, Obedientia; unde Apoſtolus: *Filii, obedite parentibus veſtris in Domino. Hoc enim juſtum eſt, Honora patrem tuum & matrem tuam.* De qua obedientia Sapiens: *Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Et, *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi Dominus*

Epheſ. 6.

Prov. 1. & 6.

Eccl. 3.

Philip. 2.

minis ſerviet his qui ſe genuerunt. Hujus obedientiæ Chriſtus Dominus in ſe præbuit exemplum, non tantum *patri factus obediens uſque ad mortem crucis*; ſed & *matri ſuæ ſubditus* legitur, imò & ipſi Joſeph, tanquam parenti, quia matri conjux erat. *Dominus Ieſus*, inquit D. Hieron. *ſubjectus erat parentibus ſuis: venerabatur matrem, cujus ipſe erat pater: colebat nutritium, quem nutriverat; geſtatumque ſe meminerat alterius utero, alterius brachiis. Unde & in cruce pendens, commendat parentem diſcipulo, quam nunquam ante crucem dimiſerat.* Grandis fuit obedientia Iſaac erga patrem ſuum Abraham, inquit D. Proſper, *qui ſe ligno, quod ipſe portaverat, ſuſpendi non eſt reluctatus, qui patiens ac ſine voce, filius patri, ut percuteret, pia colla præbuit.* Cujus hiſtoriæ effigiem S. Gregor. Nyſſenus ſine lachrymis videre non poterat, obſtupeſcens inſignem obedientiam, tum filii erga patrem, tum patris erga Deum.

Luc. 2. D. Bern. hom. 1. ſup. Miſſus. Gen. 22. De prædict. part. 1. cap. 17. In epiſt. ad Matrem & filiam. Citat. Act. 4. Conc. Nicæn. 2. In actis Luciani.

Talis fuit obedientia duorum nobilium fratrum, penè infantum, qui nec blanditiis, nec minis Imperatoris adduci potuerunt, ut comederent idolothyta; *Non enim*, inquiebant, *ita à parentibus didicimus.* Laudatur etiam obedientia nobilis pueri, qui educatus à Catholico parente in religione Catholica, & defuncto patre tranſlatus ad aulam Regiam, ſed hæreticam, cùm juſſus eſſet ut die prohibito carnibus veſceretur; *Prohibuit*, inquit, *Pater, ideo facere non licet.* At cùm illi diceretur, quid tibi cum patre jam mortuo? Reſpondit puer; *Pater quidem mortuus eſt, ſed illius adhuc*

hæc apud me vivit mandatum, quod tranſgredi nefas.

Graviter ergo illi liberi peccant, qui parentibus ſuis ſunt inobedientes; quos Apoſtolus inter ſceleratos recenſet, & æterna morte dignos pronuntiat, & lex Moſayca lapidibus obrui jubet. Deplorat vehementer inobedientiam ſuam erga matrem Auguſtinus. Cùm enim adoleſcens ab ea moneretur cum ſollicitudine ingenti, (ut ipſemet refert) ne fornicaretur, maximeque ne cujuſquam uxorem adulteraret; *Videbantur,* inquit, *mihi monitus muliebres, quibus obtemperare erubeſcerem; illi autem tui erant, Domine,* ait, *& neſciebam, & te tacere putabam, & illam loqui; per quam mihi tu non tacebas; & in illa contemnebaris à me filio ejus, filio ancillæ tuæ, ſervo tuo.* Rom. 1. Deuter. 25. L. 2. Conf. cap. 3.

Hæc tamen obedientia in iis tantùm neceſſariò exhibenda eſt, in quibus liberis ſuis ſunt ſuperiores, utputa in cura domeſtica, & diſciplina vitæ. In iis autem quæ ad naturam pertinent, aut corporis ſuſtentationem, aut prolis generationem (ubi parentibus ſunt pares) obedire non tenentur. Unde ſi pater mandet filio, ne ducat uxorem, vel ne hanc vel illam ducat, ipſe ei parere, niſi velit, non tenetur. Hunc nihilominus honorem filius debet patri, ut cum eo conſultet, quam expediat uxorem accipere, ut ille præſciat, quam pro nuru, ſeu loco filiæ habiturus ſit. Commendat D. Ambroſ. pietatem Siſinnii, quòd filio ignoviſſet, qui ſe inconſulto uxorem duxerat: *Juſta, inquit, fuit indignatio tua, & ideo plus laudatur paterna indulgentia. Debuiſti enim venturam in locum filiæ tuæ eligere judicio, cui pater fieres,* Ambroſ. epiſt. 43.

res, &c. Veriſimiliter enim melius filio pater, quàm ipſe filius ſibi conſulet. Sic fecerunt Iſaac & Jacob, malè contrarium agente ſcelerato Eſau.

Gen.24.28.

1.Cor.7.

Et hac in re plurimùm voluntati parentum deferendum eſſe, Apoſtolus videtur iis verbis indicare: *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit; Et qui non jungit, melius facit.* Et licet in veteri teſtamento animadvertere, filios à patribus ſemper in matrimonium collocatos eſſe. Atque hoc etiam à gentilibus ſervari conſueviſſe, ne ſine parentum aſſenſu Matrimonium inire tur, teſtis Apuleius; & Iureconſulti, ac Principum placita de his plenius. *Impares nuptiæ,* inquit Apuleius, *& præterea in villa, ſine teſtibus, & patre non conſentiente facta, legitima non poſſunt videri.*

Lib.6. P.de rit. nupt. & Cod.de nupt.

Iercm.35.

Admodum verò laudabile eſt, obtemperare parentibus ad meliora exhortantibus, ut ad perpetuam caſtitatem, vitam religioſam. Id oſtendit Dominus apud Ieremiam, dum egregiè laudat, & inſigni promiſſione ornat Rechabitas, quòd patri ſuo Jonadab, præcipienti ne biberent vinum, & ne ædificarent domum, obedierint. *Unuſquiſque tamen proprium donum ex Deo habet, unus quidem ſic, alius verò ſic,* inquit Apoſt. 1.Cor.7. *Videbam,* ait Aug. *plenam Eccleſiam, & alius ſic ibat, alius autem ſic,* lib.8. Conf. c. 1. At cùm parentes jubent aliquid Divinis mandatis aut conſiliis contrarium, locum habet illud Evangelicum, *Si quis non odit patrem & matrem (quando impediunt nos à regno Dei,* ait D.Aug.) *non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et; *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me*

Luc.14. Matth.10. Lib 4.Retract. c.19. Actor.5.

me dignus. Et illud Petri Apoſtoli; *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

Sicut enim in poteſtatibus ſocietatis humanæ, major poteſtas minori ad obediendum proponitur, ita Deus omnibus, ait S. Aug. Et Moyſes Propheta; *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro illos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum* (Domine) *ſervaverunt*. Ac plus tribuendum eſſe Divinis monitis ac inſpirationibus, quàm paternis aut maternis affectibus, oſtendit Chriſtus in Evang. dicens parentibus ſe quærentibus; *Neſciebatis; quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Et quando dicit, *quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Oſtendit officium ſpiritale præponendum carnali, & propinquitatem ſpiritalem carnali. Li. 3. Conf. cap. 8. Deut. 33. Luc. 2. Matth. 12.

Licèt ſparſo crine, inquit D. Hieron. *& ſciſsis veſtibus, ubera, quibus te nutrierat, oſtendat mater; licèt in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem: ſiccis oculis ad vexillum Crucis evola. Summum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem.* Et alibi; *Honora patrem tuum, ſed ſi te à vero patre non ſeparet; tamdiu ſcito carnis copulam, quandiu ille ſuum noverit creatorem. Alioqui David protinus tibi canet; Obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Rapit te*, inq. S. Aug. ad Lætam; *ſtudium veritatis agnoſcendæ, rapit Evangelicæ prædicationis officium; rapit militem Chriſti tuba cœleſtis ad prælium, ſed retinet mater. Non planè talis, qualis Machabæorum fuit, nec ſaltem ſimilis Lacedæmoniis matribus. Fortè allegat decem illos menſes, quibus viſcera ejus onerasti, & dolores parturitionis, ac labores educationis. Hoc, hoc interfice verbo ſalutari;* In epiſt. ad Heliodor. In epiſt. ad Furiam. Pſal. 44. Epiſt. 38. ad Lætam. 2. Mach. 7. Iuſt. lib. 1.

tari; hoc oderis in ea, ſi diligas eam. Carnalis affectus eſt iſte, & adhuc veterem hominem ſonat. Quem ut & in nobis, & in noſtris perimamus, militia Chriſtiana hortatur. Non ut quiſque ingratus ſit parentibus: ſervet ubique pietatem. Habeant hæc locum, ubi majora non vocant, & alii parentes, ut mater Eccleſia, quæ periclitatur; ipſe Chriſtus; ſpiritalis pater, graviora pro nobis paſſus.

Quis non laudet ac miretur conſtantem animum in Ermenegildo Regis Vviſigothorum in Hiſpania filio, qui (ut refert D. Gregorius) regno boniſque omnibus, & vita ipſa privari maluit, quàm juſſionem patris implere, qua ille volebat eum hæreſi Arianæ communicare, ſumendo Euchariſtiam de manu Ariani Epiſcopi. D. Fulgentius ex nobili genere procreatus, matris ſuæ viduæ domum gubernabat, & jam ad aliquam in ſeculo dignitatem evectus erat; majora adepturus, ſi in eo manſiſſet. Sed lectione Pſalmi 36. & expoſitionis ejus, D. Auguſt. commotus & compunctus, ad Monaſterium Dei cauſa confugit. Cùm verò matrem ſuam, quam ſemper amaverat, & cui maxima devotione ſervierat, ante fores Monaſterii, deſolationem ſuam miſerabiliter allegantem, ac cœlum clamoribus pulſantem audiret, *ſurſum corde poſitus, ne quidem ad illius preces advertere dignum putabat, qua pietatem ſolitam religioſa crudelitate vincebat, & ſimilis ebrio per ſpiritalem gratiam factus, utrum mater eſſet, quodammodo ignorabat.*

Lib. 3. Dialog. cap. 31.

In vita, c. 5.

Adjungam exemplum Ageſilai gentilis regis. Hic in cauſa quadam, jubente patre, ut contra leges pronuntiaret: *Imò*, inquit, *abs te, Pater, à puero*

Plutarch. de vitioſa verecundia.

puero didici, parere legibus. Quamobrem nunc quoque tibi obtempero, cavens ne quid faciam contra legem. Et Agis rex, à parentibus rogatus, ut ad injuſtum quid adjutor eſſet: Reſpondit, *Non. Iuſtitiam enim potius, quàm vos ſequar.* Quod ergo dicit Apoſtol. *Filii, obedite parentibus per omnia,* ſanè intelligendum. In omnibus enim iis obediendum, quæ ſunt ipſorum juris & poteſtatis: ſi ergo aliquid jubeant contra Deum, dicendum cum D. Aug. *Honorandus eſt genitor, ſed præponendus eſt creator.* Si aliquid non quidem malum, ſed ſupra poteſtatem, ut conjugium, religionem, *&c.* niſi velim, obedire non obligor. Habet enim filius eligendi ſtatum, quem voluerit, plenam libertatem. Sunt tamen aliquæ cauſæ, propter quas religionis ingreſſum vel omittere, vel differre debet, ut parentum inopia, ſive extrema ea ſit, ſive etiam gravis, ſive præſens, ſive imminens.

Coloſ. 3. De verb. Dom. ſer. 7. Vide Leſſ.

MONITUM LIX.

Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.

Pſalm. 36.

UT ſpes in animis noſtris erigatur ac foveatur, ſæpè ac diligenter expendendæ ſunt promiſſiones Dei, quibus ſe nobis quodammodò debitorem obſtrinxit. *Dignatur enim Deus,* inquit S. Aug. *quoniam in ſæculum miſericordia ejus, etiā iis quibus omnia debita dimittit, promiſſionibus ſuis debitor*

L. 5. Conf. cap. 9.

tor fieri. Quatuor autem nobis à Deo ſperanda ſunt.

Primum, venia commiſſorum ſcelerum; peccant enim graviſſimè, qui magnitudine vel multitudine peccatorum ſuorum territi, veniam à Deo obtinere deſperant, ita ſe gerentes cum fratricida Cain, & Dei traditore Iuda, tanquam major eſſet iniquitas eorum, immenſa Dei bonitate. *Nihil ita repugnat Deo*, ait D. Hier. *quàm cor impœnitens: ſolum crimen eſt, quod veniam conſequi non poteſt. Solum deſperationis crimen eſt, quod mederi nequeat*. Erigendus eſt ergo oculus mentis fide in Dei omnipotentiam, & miſericordiam, cujus potentia ac bonitas tanta eſt, ut nulla ſint peccata, tam magna ac numeroſa, quæ non poſſit ac velit pœnitentibus & invocantibus ſe ignoſcere. *Nolo*, inquit, *mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur ac vivat*. Et, *Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*. Et apud Pſalmiſtam; *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*. Quibus, videlicet, vocati ſunt ebrioſi, adulteri, blaſphemi, hæretici, &c. Conſideranda item mors filii Dei, quæ abundè ſufficit ad ſolvendum quæ nos rapuimus. Dicit Chryſoſt. quod *multò plura Chriſtus pro nobis exſolvit quàm debeamus; tãtoque plura, quantò guttulam exiguam pelagus immenſum excellit*. De eodem Aug. *Meritò mihi in illo ſpes valida eſt, quod ſanabit omnes languores meos, alioquin deſperarem. Multi enim & magni ſunt iidem languores mei, multi & magni, ſed maior & amplior eſt medicina tua*.

[Margin: Gen. 4. Matth. 27. In epiſt. ad Sabinia. Ezech. 33. Pſalm. 15. Pſalm. 68. In cap. 5. ad Rom. Lib. 10. Conf. cap. ultim.]

Quis deſperet de venia? *Etiam interfectores ſuos*, inquit D. Cypr. *non ſolùm ad indulgentiam criminis, ſed etiam ad præmium regni cœleſtis admittit*.

Quid

Quid poteſt dici benignius? Vivificatur Chriſti ſanguine, etiam qui ſanguinem Chriſti effudit. Quid gravius peccato ægri, quàm medici interfectio? inquit Aug. *Sed quando etiam hoc dimittitur, quid non dimittitur?* Et Leo; *Sic ad omnium redemptionem utebatur malitia perſequentium, ut in mortis eius reſurrectioniſque ſacramento, etiam interfectores ſui poſſint ſalvi eſſe, ſi crederent.* Et, *Remedium Salvatoris nec te, Iuda, tranſiret, ſi ad eam pœnitentiam confugiſſes, quæ te revocaret ad Chriſtum, non quæ inſtigaret ad laqueum. Prima ergo ſalus eſt, declinare peccatum,* inquit S. Aug. *Secunda, non deſperare de venia. Nam ipſe ſe in æternum perimit, qui apud miſericordem iudicem ad pœnitentiæ remedia non recurrit.* Qui *multum miſericors dicitur, cui nec menſuras poſſumus præſcribere, nec tempora præfinire,* ait D. Leo. *Omne enim peccatum finitum eſt,* inquit D. Baſil. miſericordia autem Dei infinita.

De bono patient.

Sent. 192. et pſal. 45.

Serm. 3. de paſſ.

Serm. 1. de paſſ.

Sent. 100.

Epiſt. 91.

Inter bre. 23.

Secundò, ſperandum eſt Dei auxilium ad deinceps benè vivendum: peccant enim graviſſimè, qui conſiderata vehementia cupiditatis ſuæ pravæ, ac ad benè agendum imbecillitate, ſuperare eam per Dei gratiam deſperant. De qualibus dicit Apoſt. *Qui deſperantes tradiderũt ſemetipſos impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Quales dicunt apud Prophetam, *Deſperavimus; poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatẽ cordis ſui mali faciemus. Nihil tã offendit Deum, quã deſperatione meliorum, hærere pejoribus,* inquit Hier. Hic etiam erigendus eſt oculus mentis fide in Dei omnipotentiam & miſericordiam, cujus potentia & bonitas tanta eſt, ut nullius ad benè agendum tanta ſit infirmitas, quam non poſſit ac pa-

Epheſ. 4.

Ierem. 18.

Ad Ruſtic.

ratus ſit ſedulò invocatus ſublevare & erigere, ut homo rectè vitam ſuam inſtituat. *Ecce*, inquit Propheta, *non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat; neque aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat*. Clamat Apoſtolus: *Omnia poſſum in eo qui me confortat*. Et ad alios; *Confortamini in domino, & in potentia virtutis ejus*. Si viribus veſtris diffiditis, & in iis non niſi lapſus, periculique facilitatem inveneritis, confortamini in Domino, *&c*.

Iſai. 59. Philip. 4. Epheſ. 6.

Lib. 6. Conf cap. 11. Quæ cauſa Auguſtino nondum converſo fuit, ut ſibi continenter vivere impoſſibile putaret? Ipſe dicat; *Medicinam miſericordiæ tuæ, Domine, ad eam infirmitatem ſanandam non cogitabam, ſed propriarum virium credebam eſſe continentiam. Utique dares eam ſi gemitu interno pulſarem aures tuas, & fide ſolida iactarem in te curam meam*. Idem & ſibi ante converſionem contigiſſe ſcribit Cyprian. *Impoſſibilis, aiebam, tanta converſio eſt, ut exuatur vel quod genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel uſurpatum diu ſenio vetuſtatis inolevit. Sed poſtquam in expiatum pectus deſuper ſe lumen infudit, mirum in modum cœperunt protinus confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri poſſe quod impoſſibile putabatur*. Idem & aliis multis uſu venit, qui in ſordibus delictorum volutantur, quibus ſe extricare poſſe planè diffidunt.

In epiſt. ad Donatum.

Ideo tot nobis exempla proponuntur eorum, qui jam venerant in profundum malorum, & Dei gratia ad optimam vitæ rationem traducti ſunt; iſta enim exempla benè expenſa, *excitant cor, ne dormiat in deſperatione, & dicat non poſſum; ſed evigilet in amore miſericordiæ Dei, & in dulcedine gratiæ*

Li. 10. Conf cap. 3.

tiæ eius, qua potens eſt omnis infirmus, qui per ipſam ſit conſcius infirmitatis ſuæ. Ita enim deſperantibus dici poteſt, quod Auguſtino dicebat Continentia, varia ei aliorum exempla demonſtrans. *Tu non poteris quod iſti & iſtæ? An verò iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo? Projice te in eum, noli metuere, excipiet te, & ſanabit te.* Sic dicit D. Proſp. quod in die judicii neminem fragilitas carnis excuſabit; *excuſationi enim eorum reclamabunt omnium ſanctorum exempla, qui cum fragilitate carnis in carne viventes, & fragilitatem carnis in carne vincentes, quod fecerunt, utique fieri poſſe docuerunt; maximè quia nec ipſi peccato ſua virtute, ſed Domini miſerantis auxilio reſtiterunt, quod credentibus, eumque invocantibus ſemper paratum.*

Li. 8. Conf. cap. 11.

De vit. cō. lib. 3. c. 12.

Stilponem Megarenſem Philoſophum, ait Cicero, acutum ſanè hominem, & illis temporibus probatum accepimus; hunc ſcribunt illius familiares & ebrioſum & mulieroſum fuiſſe; neque hoc ſcribunt vituperantes, ſed potius ad laudem; vitioſam enim naturam ſic ab eo edomitam & compreſſam eſſe doctrinâ, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo veſtigium libidinis viderit. Quid? Socratem nonne legimus quemadmodum notavit Zophyrus Phyſiognomus, qui ſe profitebatur hominum mores naturaſque ex corpore, oculis, fronte, vultu pernoſcere? Stupidum Socratem & bardum dixit eſſe, quòd jugula concava non haberet, obſtructas eas partes & obturatas eſſe dicebat: addidit & mulieroſum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe. Si autem gloriæ & laudis amore, aut aliarum cupiditatum ſtimulis commoti gentiles

Cicero de fato.

excitatique ſint,ne illa in quæ propenſi erant,vitia ſequerentur, quātò majorem vim habere par eſt,in Chriſtianis hominibus Chriſti gratiam, ad ingenita vitia caſtigatiore vivendi ratione revellenda?

Tertiò à Deo ſperanda eſt vita æterna. Sed ſunt quidam animi tam abjecti exiguique, ut expenſa magnitudine cœleſtis gloriæ, & vilitate conditionis humanæ,ad æternam gloriam aſpirare non audeant,quia videlicet,omnipotentiam ac miſericordiam Dei immenſam non ſatis conſiderant.

Eccl.16. Contra quos Sapiens; *Non dicas,à Deo abſcondar,& ex ſummo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoſcar;quæ eſt enim anima mea in tam immenſa creatura?* Sed illis dicendum eſt: *Nonne duo paſ-*

Matth.10. *ſeres aſſe veneunt? & unus ex illis non cadit ſuper terram ſine patre veſtro. Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos. Dixit Sion, Dereliquit*

Iſai. 49. *me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei. Nunquid poteſt mulier oblivisci infantem ſuum,ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper.*

Luc.12. *Nolite timere,puſillus grex,* ait Chriſtus, *placuit enim Patri veſtro dare vobis regnum. Puſillus dicitur*

Beda in eum loc. *grex electorum,* inquit V.Beda,*vel ob humilitatis devotionem,vel ob comparationem maioris numeri. Suſ-*

Pſal.112. *citat Dominus,* ait David,*de terra inopem,& de ſter-*

In pſal.117 *core erigit pauperem. Magna ſua virtute,* ait D.Proſp. *ac bonitate exaltat humilem,Deificat mortalem; præbet de infirmitate perfectionem,de ſubjectione gloriā,*

Li.3.Conf. cap.11. *de paſſione victoriam.* Et D.Aug. *O tu bone omnipotens,qui ſic unumquemque noſtrûm curas,tanquam ſolum*

lum cures ; & ſic omnes tanquam ſingulos. Denique S.Bern. *Fidentes nos facit*, inquit, *quod Divinitas ſponſi, in natura ſimpliciſſima habeat, quaſi unum reſpicere multos, & quaſi multos unum: Nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem rarus, nec ad diverſitatem diviſus, nec reſtrictus ad unum, nec anxius ad curas, nec perturbatus aut turbulentus ad ſollicitudines; ſic ſanè uni intentus, ut non detentus; ſic pluribus, ut non ſit diſtentus.* Serm.69. in Cant.

Quartò denique à Deo ſperanda ſunt hujus vitæ ſubſidia neceſſaria. Multi ſunt tam ſolliciti de his ſubſidiis acquirendis, ut & in rerum copia ſibi defutura metuant hæc neceſſaria, & magna ſollicitudine de futuris ſibi in longum proſpicere ſatagant. Non attendẽtes, quod *Deo cura ſit de omnibus,* quod paſſeres & corvos paſcit, herbam agri pulcherrimo colore ornat: quod nobis corpus & animam dedit, longè utique meliora ac majora, quàm ſit cibus, potus, ac veſtimenta; nec ob oculos habentes promiſſa Dei, quibus utique erigenda ac firmanda eſt ſpes. *Primùm quærite regnum Dei,* ait Chriſtus, *& iuſtitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis.* Accepimus promiſſorem, tenemus debitorem. Et Apoſt. Paulus; *Pietas ad omnia utilis eſt, habens promiſſionem vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.* Et rurſum; *Sint mores ſine avaritia, contenti præſentibus: ipſe enim dixit, non te deſeram, neque derelinquam; ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* Et S.Petrus; *Omnem veſtram ſollicitudinem in ipſum projicientes. Ipſi enim cura eſt de vobis.* Sapien.6. Matth.6. Matth.6. 1. Timot.4. Hebr.13. 1.Petr.5.

Qui ut Divinam ſuam erga nos curam, & providentiam oſtendat, & ad ſpem noſtram excitan-

dam,& augendam,in uſum fidelium ſuorum, cùm expedire judicaverit, etiam illa præſtat ex creaturis,quæ naturalem rerum curſum excedunt, ut rectè D.Baſil. ut aquam de petra, manna de cœlo, Iſraëlitis fame & ſiti in ſolitudine periclitantibus,vinum ex aqua repentè mutata, deficiente vino in nuptiis pauperum; multiplicatos panes ex paucis,turbis quod manducarent non habentibus. Refert S.Greg.Nazianz. quod Chriſtianis ad deſerta, cauſa perſecutionis fugientibus, feræ ultro ſe eis offerebant, ne fame perirent.

Homil.8. Exod.16.1. Ioan. 2. Matth.14.

Sed nonne etiam permittit ſanctos inedia ac fame opprimi? De ſanctis quidem veteris teſtam. ita ſcribit Apoſtol. *Circuierunt in melotis,in pellibus caprinis,egentes,anguſtiati, afflicti*. Et de ſe & aliis ſanctis novi teſtam. *Uſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, &c.* Quis neſciat multos Martyres fame ac ſiti,inedia ac ſqualore extinctos? Lazarus mendicus vel *micas ſolas petebat, & nemo illi dabat*. Et ut D.Chryſ.ait, *in ipſo pavimento canibus aſtantibus,& ulcera lingentibus,violentam mortem paſſus eſt.Quid enim fame difficilius eſſe poſſit?* Sed hoc altius conſilium miſericordiæ Dei,quo electis ſuis ſibi ſerviẽtibus æterna bona etiam per mala temporalia procurat,nõ derogat veritati promiſſionis Dei,qua terrena promittit; quemadmodum nemo falſitatis eum arguerit,qui cùm cereviſiam vel ſtannum promiſerit,dat tamen ejus loco vinum vel aurum. Nec proinde falſa eſt promiſſio, qua Deo ſervientibus promittuntur vitæ neceſſaria,eo quòd ſi ea tibi nõ præſtentur, abundè in vita æterna compenſabitur. Tametſi etiam in hac abundè compenſetur, cùm

Hebr.11. 1.Cor.4. Luc.16. Hom.5.ad pop.

in adverſis datur fortis patientia, Spiritus Sancti interna conſolatio, & gaudium, ſolida ſpes vitæ æternæ, & ſimilia ſpiritualia, quæ temporalibus omnibus longè ſunt præſtantiora. De quibus dicitur, *Qui venit ad me, non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet unquam.* Et, *Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius, quærens panem. Loquitur hic Scriptura de ſpirituali alimonia, qua interior noſter homo reficitur,* inquit D. Baſilius, quæ ſanctis nunquam deeſt, *quia ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra,* inquit Apoſt.

Ioan. 6. Pſalm. 33. Homil. 2. de Iejun. 1. Cor. 1.

MONITUM LX.

Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.

Ierem. 17.

MAledicuntur hic à Propheta, qui ſpem ſuam à Deo auferunt, & eam ad ſe, vel ad aliam rem vanam transferunt. Qui in vario genere reperiuntur. Primò, ſunt qui confidunt ob rem aliquam vanam, aut certè non ſolidam, ſe veniam ſcelerum ſuorum, in quibus permanere volunt, habituros; aut ſaltem converſionem à Deo, quando ſcilicet amplius eis peccare non libebit, obtenturos. Ut quod rectam fidem habeant, & ejus aliquẽ zelum, contra quos dicitur; *Quid prodeſt, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poteſt fides ſalvare eum?* Commendatur à Paulo *fides quæ per charitatem operatur.*

Iac. 2. Galat. 6.

Et

Et in eo verſatur totus liber de fide & operibus, D. Auguſt. non ſufficere fidem, ſed etiam requiri opera.

Aug. de fide & operibus.

Aut quod Eccleſiæ Sacramenta perceperint. Contra quos dicitur, *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Quiſquis*, inquit S. Auguſt. *cupit pœnas evadere ſempiternas, non ſolum baptizetur, ſed etiam juſtificetur*, id eſt, juſtè vivat. Qui enim dixit; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*; idem dixit, *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*. De patribus veteris teſtam. dicit Apoſtolus: *Omnes ſub nube fuerunt, omnes mare tranſierunt, omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, omnes eundem potum ſpiritalem biberunt*; quæ omnia erant Sacramenta veteris teſtam. Et addit Apoſt. *Sed non in plurimis eorum beneplacitum eſt Deo*. Et ut hoc crederetur, ſubdit, *nam proſtrati ſunt in deſerto*. Aut quod munera aliqua Deo obtulerint, contra quos dicitur: *Ne dicas, in multitudine munerum meorum reſpiciet Deus; & offerente me Deo altiſſimo, munera mea ſuſcipiet*. Et, *Qui contemnit legem, oratio ejus erit execrabilis*. His dicendum, quod Deus ad Cain. *Non rectè dividis*. Tua das Deo, teipſum Diabolo. Totum exigit, qui totum fecit & dedit.

Ierem. 11. De Civit. lib. 21. cap. 16. & 27. Ioan. 3. Matth. 5. 1. Cor. 10. Eccl. 7. Prov. 28. Gen. 4.

Aut quod eleëmoſynas proximi dederint, quibus dicitur, *Miſerere animæ tuæ, placens Deo. Qui vult eleëmoſynam ordinatè dare, à ſeipſo debet incipere, & eam ſibi primò dare*, inquit S. Auguſt. Aut quod jejunia aliqua frequentaverit; in quorum

Eccl. 30. Enchirid. cap. 76. Serm. 30. de verb. Dom.

perſona

perſona dicit Iſai. *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* Quibus reſpondet Dominus; *Ecce in die jejunii veſtri, invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè, nolite jejunare ſicut uſque in diem hanc. Quid prodeſt corpus attenuare abſtinentia, ſi animus intumeſcat ſuperbia? Quam laudem merebimur de pallore jejunii? ſi lividi ſumus invidia? Quid virtutis habet vinum non bibere, & ira atque odio inebriari?* Iſai 58. Hieron. in epiſt. ad Celant.

Aut quod Sanctos aliquos coluerint: contra quos dicitur; *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, &c.* Cultus ſanctorum maximè in imitatione conſiſtit. *Ab eis ſanctorum Martyrum in veritate feſtiva gaudia celebrantur, qui ipſorum Martyrum exempla ſequuntur. Solemnitates enim Martyrum, exhortationes Martyriorum ſunt; ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat,* inquit S. Auguſt. Aut, quia ex piis parentibus nati ſunt, quibus Ioan. Bapt. *Ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham.* Et Dominus proteſtatur apud Ezechiel. *Nihil profuturum impiis, etiamſi tam juſti fuerint eorum parentes, quam Noë, Daniel, & Iob.* Vel denique quia juxta ſeculum nobiles & conſpicui ſunt, contra quos Sapiens; *Potentes potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet Deus perſonam cujuſque, qui eſt omnium Dominator, nec verebitur magnitudinem cujuſquam. Sine acceptione perſonarum,* ait D. Petrus, *iudicat ſecundùm uniuſcujuſque opus.* Iſai. 58. Serm. 47. de Sanct. Matth. 3. Ezech. 14. Sap. 6. 1. Petri 1.

Secundò, illi maximè in carne confidunt, & ponunt carnem brachium ſuum, qui propriis viribus

ribus liberi arbitrii, ſine ſingulari Dei auxilio, conantur implere legem Dei, aut ſe aliquid iis præſtare poſſe putant, propter quod à Deo ſuſcipiantur, & adjuventur. Licèt enim per peccatum non periit liberum arbitrium de humano genere, ſicut convincunt omnia Dei præcepta lapſo homini data, *ita tamen eſt inclinatum, attenuatum, infirmatum, ac læſum, ut nullus aut diligere Deum, ſicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt, aut ſaltem quæ pia ſunt, cogitare poſſit, niſi gratia eum & miſericordia Divina prævenerit. Scio, Domine*, inq. Ierem. *quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt, ut ambulet & dirigat greſſus ſuos.* Et Pſalmiſta; *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Sine me*, ait Chriſtus, *nihil poteſtis facere.* Et Paulus; *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis.*

Aug. lib. 1. cap. 2. cont. 2. ep. Pelag. Epiſt. 46. de grat. & lib. arbit. ca. 2. Cōc. Arauſic. c. 5. 8. & 25. Ierem. 10. Pſal. 126. Ioan. 15. 2. Cor. 3.

Quod ergo tempus intervenit (inq. Cœleſt. Pont.) *quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſiſque, cogitationibus, motibus adjutor & protector orandus eſt Deus. Superbum eſt enim, ut quicquam ſibi natura humana præſumat, clamante Apoſtolo, non eſt nobis colluctatio contra carnem & ſanguinem, ſed contra ſpiritualia nequitiæ*, &c. Sic & Aug. *Cùm data fuerit gratia, incipiunt etiam eſſe merita noſtra bona, per illam tamen; nam ſi ſe illa ſubtraxerit, cadit homo, non erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter, quando cœperit homo habere merita bona, non ſibi debet illa tribuere, ſed Deo; cui dicitur in Pſal. Adjutor meus eſto, ne derelinquas me. Dicendo, ne derelinquas me, oſtendit quia ſi derelictus fuerit, nihil*

In epiſt. 1. cap. 9. ex epiſt. Zozimi Pont. Epheſ. 6. De grat. & lib. arb. c. 6. Pſalm. 26.

nihil boni valet ipſe per ſe. Gratia, inq. D. Bern. *liberum excitat arbitrium, cùm ſeminat cogitatum; ſanat, cùm immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; ſervat, ne ſentiat defectum.* Iſtorum ſuperbam præſumptionem ſæpe flagellat Apoſtolus, dum oſtendit eos qui quærunt ſuam ſtatuere juſtitiam, id eſt, ſolis ſuis viribus partam, ſubjectos non eſſe juſtitiæ Dei, id eſt, quam Deus dat, quia videlicet in carne, non in Chriſto confidunt. In lib de grat. & lib. arb. Rom. 10.

Tertiò, in carne confidunt Principes, qui victoriam magis ex multitudine equitum, magnitudine exercitus, & induſtria ſua, quàm ex Dei directione ſperant, & ideo plerumque non obtinent. Quibus dicitur; *Væ qui deſcenditis in Ægyptum, ad auxilium, in equis ſperantes, & habenees fiduciam ſuper quadrigas, quia multa ſunt; & ſuper equitibus, quia prævalidi nimis, & non ſunt confiſi ſuper Sanctum Iſraël, & Dominum non requiſierunt.* Reprehenſus eſt Aſa graviter à Domino, quòd habuiſſet fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo ſuo. *Stultè egiſti*, ait ad eum Propheta, *& propter hoc ex præſenti tempore adverſum te bella conſurgent.* Iſai. 31. 2. Par. c. 16

Joſaphat rex, cum graviter ab hoſtibus premeretur, totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium univerſo Juda, & ideo glorioſam de iis victoriam reportavit. Iudas item Machab. & ſocii, *invocato Deo per orationes congreſſi ſunt cum hoſtibus, manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes*; ideóque inſignem hoſtium ſtragem ediderunt, præſentia Dei magnificè delectati. Sic Theodoſius magnus Imp. *contra robuſtiſſimum exercitum Eugenii Tyranni, magis orando quàm feriendo pugnavit*, inquit Aug. *Milites nobis*, 2. Par. c. 20 2. Mach. 15

ait,

De Civit. lib. 5. c. 16. ait, qui *aderant, retulerunt, extorta ſibi eſſe de manibus quæcunque jaculabantur, cùm à Theodoſii partibus in adverſarios vehemens ventus iret; & non ſolùm quæcũque in eos jaciebantur concitatiſſimè raperet, verum etiam ipſorum tela in eorum corpora retorqueret. Unde & Poëta Claudianus, quamvis à Chriſti nomine alienus, in ejus tamen laudibus dixit;*

In Panegyrico de 3. Honorii conſulatu.

O nimiùm dilecte Deo, tibi militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Deut. 20. Ita promiſerat Dominus in Deut. *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus & currus, & majorem quàm tu habeas adverſarii exercitus multitudinem, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum eſt. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri invocabimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus & erecti ſumus.*

Pſalm. 19.

Quartò, his annumerandi ſunt, etiam illi diſciplinarum ſtudioſi, qui laborem & ingenium ſuum ad ſcientiam quampiam comparandã pluris æſtimant, quàm Dei gubernationem. *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo,* ait S. Jacob, *& dabitur ei. Optavi, & datus eſt mihi ſenſus,* ait Sap. *invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Et alibi; *Da, Domine, ſervo tuo cor docile, ut poſſit diſcernere inter bonum & malum. Ad cognitionem & intelligentiam myſteriorũ requirit* D. Hilar. *orationem humilem, ſtudium pervicax, & ut in omnem,* inquit, *aditum ſapientiæ pulſes. Divini muneris eſt,* ait Aug. *cùm & recta cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & injuſtitia continemus.* Hinc orat in Confeſſ. *Tu ſcis, Domine, imperitiam meam, & infirmitatem meam; doce me, & ſana me. Sint caſtæ delitiæ meæ Scriptura tua, nec fallar in eis, nec fallam ex eis.* D. Thomas, nunquam ſe lectioni

Iacob. 1. Sap. 7. 3. Reg. 3. Hilar. lib. 1 de Trinit. Sent. 22. apud Proſp. Li. 10. Conf cap. ultimo, lib. 11. c. 2. In vita.

aut

aut ſcriptioni dabat, niſi poſt orationem. In difficultatibus locorum Scripturæ Sacræ, ad orationem jejunium adhibebat. Qui ingenio ſuo inſolenter abutuntur, nimiumque indulgent ac credunt, in graviſſimos ſæpè errores labuntur, ut Origenes, Tertullianus, & alii? *Nimis enim inflata facies claudit oculos* eorum, ne videant veritatem. *Qui verò didicerunt à Chriſto humiles eſſe corde*, ait Aug. *plus cogitando & orando proſiciunt, quàm legendo & audiendo.* Vinc. Lirinenſ. cont. hæreſ. Aug. Conf. lib. 7. ca. 7. epiſt. 112.

Quintò denique in carne fiduciam habent, qui neglecta Dei providentia, magis ex incerto divitiarum, vel induſtria ſua, aut amicorum multitudine ſibi adfutura ſperant hujus vitæ præſidia; confidentes in baculo arundineo, ſuper quem ſi incubuerit homo, perforabit manum ejus. Contra quos ita Paulus; *Divitibus huius ſæculi præcipe, non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum.* Iſai. 36. 1. Tim. 6. Vult Apoſt. ne elato ſint animo, nec magnificè de ſe ſentiat. *Nihil enim* (ait S. Chryſ.) *ita ſupercilium attollit, nihil ita ſuperbiam & arrogantiam gignit, ut opes.* Vult eos non ſperare in incertis divitiis; ſpes enim illa vana eſt, quæ re fluxa & inſtabili nititur. Incertæ ſunt divitiæ, quia incertum eſt, quamdiu eas ſis poſſeſſurus. Aut enim illæ tibi, aut tu eis, dum minimè credes, ſubtraheris. *Multi potentes oppreſſi ſunt validè, & glorioſi traditi ſunt in manus alterorum.* Eccl. 11. Vult autem *eos ſperare in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia, & temporalia, & æterna*, inquit Aug. *ſed magis ad fruendum, æterna, tanquam habitatoribus; ad utendum, temporalia, tanquam viatoribus: Temporalia, unde bona faciamus; æterna, ut boni efficiamur.* Serm. 5. de verb. Dom.

Diſcunt

Diſcūnt autē divites, quibus abundè iſta terrena ſuppetunt, non in divitiis ſperare, ſed in Deo, dum quotidie monentur orare: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Non quin habeant, ſed ne quod habent, perdant: Quid eſt enim petere quod accepimus aliud, niſi ut id quoque nobis præſtet, ne habere deſinamus. Quare enim illi abundant omnia? Unde, niſi quia Deus illi dedit? Quid habebit ſi ſubtraxerit Deus manum ſuam? Nonne multi dormierunt divites, & ſurrexerunt pauperes? Et quod illi non deeſt, miſericordiæ Dei eſt, non potentia ipſius.* Dicat ergo Chriſtianus quiſque cum Propheta; *In Deo ſalutare meum, & gloria mea, Deus auxilii mei; & ſpes mea in Deo eſt. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adjutor noſter in æternum.*

De bono perſev. c. 1.

Serm. 1. de orat. Dom.

Pſalm. 61.

MONITUM LXI.

Vende quæ habes, & da pauperibus. Matth. 19.

TRiplex nobis in Scripturis paupertas ſignificatur. Una eſt ſemper mala, ac improbanda; alia ſemper bona & laude digna; tertia media, neque mala per ſe, neque bona, ſed in utramvis partem transferri poteſt, pertinetque ad miſeram quandam & afflictam vitæ ſortem, per quam neceſſariis quoque rebus humana indiget infirmitas. Hanc à ſe deprecabatur Sapiens Salomon, cùm oraret, *Divitias & paupertatem ne dederis mihi.* Sicque propterea orabat, quod infirmioribus animis utrumque ſit occaſio delinquendi, unum per ſuperbiam, alterum per impatientiam. *Tam abun-*

Prov. 30.

abundantia, inquit D. Proſp. *quam indigentia, materia ſolet eſſe peccati, cùm vel dives extollitur ad ſuperbiam, vel pauper proſilit ad querelam.* In epiſt. ad Demetria.

At vituperanda ſemper, ſemperque deteſtanda paupertas eſt, neceſſarias non habere virtutes. De qua D. Bern. *Pernitioſa paupertas, inopia meritorum.* Serm. 68. in Cantic. De qua etiam loquitur Propheta; *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis tuæ.* Thren. 3. Quia enim paupertas hæc, quantò eſt pernitioſior, tantò minùs ab hominibus cognita; neque tamen vitari niſi cognita poteſt; idcirco Propheta, ſuperbi pauperis in eo perſonam gerens, hoc utilitatis ſibi præſtitum eſſe gratulabatur virga divinæ indignationis, ut videre inciperet ſuam paupertatem; quò ſic ea cognita, veræ juſtitiæ divitias à Deo ſibi poſceret dari. Unde eſt & illud in Apoc. ſuperbo cuidam objectum; Apoc. 3. *Tu dicis, quia dives ſum, & nullius egeo; & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, ut non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Aurum vocat Charitatem, quæ ut aurum omnibus metallis, ita omnibus ipſa virtutibus præſtat, qua homines, quamvis pauperes, ditiſſimi fiunt. At talis debet eſſe charitas, ut ſit valdè pura, & nihil habeat admiſtum terrenæ cupiditatis; ſed qua Deum ardenter amas, & omnia præ ipſo contemnis. Veſtimenta alba vocat virtutes, & dona ſpiritualia, quæ charitatem comitantur: ſunt enim hæc pulchra, animam illuſtrant ac lætificant; his induti ſupremum beatitudinis honorem petimus, ſicut candidati honores, apud Romanos.

Tertia paupertas eſt, qua quis renuntiat omni- Pſalm. 61.

 bus

bus quæ poſſidet, vel affectu ſolo, ut divitiæ, ſi affluant, non apponatur cor: quod eſt omnis Chriſtiani. *Qui enim non renuntiaverit omnibus quæ poſſidet,* ait Chriſtus, *non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Omnis enim Chriſtianus diligens Chriſtum, ſpem ab eis debet transferre in ipſum, atque ita uti illis quæ habet, ut facilè tribuens & communicans, theſauriſet in cœlo: paratuſque ſit ea omnia relinquere, ſi talis conditio propoſita fuerit, ut niſi dimiſſo Chriſto, habere non poſſit. Vel etiam actu, ſicut fecerunt Apoſtoli, & alii, (licèt pauciores) qui Apoſtolicis veſtigiis ſtudio majore inſiſtunt, quò expeditis humeris, ſine ſarcina curarum ſecularium, ad cœleſtia animus cum Chriſto ſubvolare poſſit.

Luc. 14. Aug. epiſt. 89. qu. 4. 1. Timo. 6. Matth. 6. Matth. 4. 9. Matth. 19.

Atque hoc eſt conſilium Chriſti; *Si vis perfectus eſſe, vade & vende quæ habes, & da pauperibus.* q.d. inq. Hieron. *Non cogo, non impero, ſed propono palmam, oſtendo præmia. Tuum eſt eligere, ſi volueris in agone & certamine coronari. Nec dicit, partem bonorum tuorum vende, ſed omnia. Cumque vendideris, quid ſequitur? Da pauperibus. Non divitibus, non propinquis: non ad luxuriam, ſed ad neceſſitatem. Sive ille Sacerdos ſit, ſive cognatus, ſive affinis, nihil in eo aliud conſideres, quàm paupertatem. Laudent te eſurientium viſcera, non ructantium opulenta convivia.* Idē Hier. Ruſticum ſic hortatur; *Si habes ſubſtantiam, vende, & da pauperibus; ſi non habes, grandi onere liberatus es. Nudum Chriſtum nudus ſequere. Durum, grande, difficile, ſed magna ſunt præmia.* Iulianus Apoſtata ridendo dicebat, ideo ſe Chriſtianos privare facultatibus, ut faciliùs regnum cœlorum conſequerentur, cum Chriſtiana Religio dicat, *Beati pauperes ſpiritu,*

Matth. 19. In epiſt. ad Demetria. In epiſt. ad Ruſtic. Matth. 5.

ſpiritu ; quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Aſſerebat Vigilantius, meliùs eos facere ; qui utuntur rebus ſuis,& paulatim poſſeſſionum ſuarum fructus dividunt pauperibus; quàm illos qui poſſeſſionibus venundatis, ſemel omnia largiuntur. *Cui*,inq. Hier.*non à me,ſed à Domino reſpondebitur ; Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia. Ad eum loquitur,qui vult perfectus eſſe, qui cum Apoſtolis patrem, naviculam, & rete dimittit. Iſte quem tu laudas,ſecundus aut tertius gradus eſt. Quem & nos recipimus;dummodo ſciamus,prima ſecundis,& tertiis præferenda.Bonum igitur eſt,facultates proprias cum diſpenſatione pauperibus erogare;ſed melius intentione Dominum ſequendi,ſimul omnia donare,& abſolutum in ſolitudine egere cum Chriſto.*Siquidem,*facilius eſt quibus careas contemnere ; quàm poſſeſſa non amare,arctiuſque terrena conſtringunt adepta,*inquit D.Aug.*quàm concupita.Nam unde iuvenis ille triſtis diſceſſit, niſi quia magnas divitias poſſidebat? Aliud namque eſt incorporare nolle quæ deſunt; aliud incorporata divellere. Illa enim velut extranea repudiantur; iſta velut membra præciduntur.*

Hier. cont. Vigilant.

Matth 19. Matth.4.

Epiſt. 34. ad Paulin.

Fuerunt alii hæretici,dicti Apoſtolici, qui non recipiebant in ſuam communionem utentes conjugibus,& res proprias poſſidentes; ideo hæretici, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere,qui utuntur his rebus,quibus ipſi carent.Unde de iis etiam D.Epip.*Habet quidem Eccleſia etiam renuntiationem ,ſed non abominatur nuptias;& habet inopiam,ſed non attollitur adverſus eos,qui iuſtè poſſident.Et abſtinentes multi à cibis; ſed non inflantur contra non abſtinentes* , &c. Et ſubdit; *Vides unam concordiam,& unam ſpem,& unam fidẽ*

Aug. hæreſ.40.

Epiphan. hæreſ.61.

in Eccleſia, cuique gratificantem juxta propriam facultatem, & juxta proprium laboris certamen. Deinde comparat Eccleſiam navi, quæ diverſis conſtat.

Epiſt.89. quæſt.4. Tales etiam fuerunt tempore D.Aug.Pelagiani,de quibus ad eum Hilarius; *Divitem manentem in divitiis ſuis,regnum Dei non poſſe ingredi, niſi omnia ſua vendiderit; nec ei prodeſſe,ſi fortè ex ipſius divitiis mandata fecerit.* Ibidem. Quos redarguit Aug.tum ex aliis,tum ex Apoſtolo,*qui divitibus jubendum docet, non vendere quæ habent, ſed non ſublimè ſapere, nec ſperare in incerto divitiarum. Utique eos non fallens, ſed inſtruens.*

Non autem minus eſt meritum paupertatis voluntariæ, iis qui pauca poſſidebant, ſi veraciter omnia, etiam quæ voluiſſent habere, contempſerint. Hom.5.in Evang. Sic D.Greg. *Ad vocem Dominicam uterque iſte piſcator,(Petrus & Andreas) quid aut quantum dimiſit,qui penè nihil habuit? Sed in hac re affectum potiùs debemus penſare,quàm cenſum. Multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit; multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deſeruit. Certè nos & habita cum amore poſſidemus, & ea quæ minimè habemus, ex deſiderio quærimus. Multum ergo Petrus & Andreas dimiſit,quando uterque etiam deſideria habendi dereliquit.* Eadẽ epiſt. & in pſal. 103. Sic & D.Aug. *Neque enim,* inquit, *quia dives non fui, idcirco minus mihi imputabitur. Nam neque Apoſtoli ipſi, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt; ſed totum mundum dimittit,qui & illud quod habet,& quod optat habere, dimittit. Quis enim pauper non turgeſcit in ſpe ſæculi hujus? Quis non cupit quotidie augere,quod habet?* In epiſt.ad Paulinum. Vide & ad Pommac. Iſta cupiditas proprii abjectione præciditur.Et ut D.Hieron.*Totum dedit Deo, qui ſeipſum obtulit; Apoſtoli tantùm*

tùm navem & retia reliquerunt. Vidua duo æra miſit in gazophylacium, & Crœſi divitiis præfertur.

Admodum eſt utilis hæc voluntaria poſſeſſionum ſuarum derelictio. Primò enim curis ſæcularibus animum liberat, quibus periculosè implicatur. Unde Apoſtolus; *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & immergunt ſe deſideriis inutilibus, & noxiis, quibus ad interitum pertrahuntur.* Quamobrem his qui Deo militant, fugiendæ ſunt ex toto corde divitiæ: quas qui habere volunt, ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inveniunt, ſine cura non ſervant, ſine anxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt. *Non in hoc ſolùm nocent divitiæ, quod contra nos latrocinantium armant manus, nec quia magno cum cumulo intellectum mentis noſtræ obtenebrant, verùm etiam quòd nos à Dei ſervitute divellant,* inquit Chryſ. *& rei mortuæ, pecuniarum ſcilicet, captivos efficiunt. Is igitur Dominus earum eſt, ac proinde liber, qui contemnit.*

1.Timot.6.

2.Timot.2.

Hom. 22. in Matth. & 12. & 76. in Ioan.

Deinde ad hoc valet, ut *redimatur tempus, quoniã dies mali ſunt*, ad quod hortatur Apoſt. *Redimere autem tempus,* inquit D.Aug. *eſt, cùm opus eſt, etiam cum detrimento temporalium commodorum, ad quærenda & capeſſenda bona æterna, ſpatia temporis comparare. Quo pretio,* inquit D.Proſp. *quies hujus temporis aptiùs comparatur, quàm ut ipſi mundo omnes divitiæ, omnes dignitates, & univerſarum cupiditatum materiæ refundantur? & ſancto, beatoque cõmercio ematur Chriſtiana libertas, fiãtque filii Dei de paupertate divites, de patiẽtia fortes, de humilitate ſublimes. Non enim ut dilectores hujus ſæculi putãt, pravi cordis aut ſegnis eſt animi, terrenas opes ſpernere, honores*

Epheſ.5.

Hom.1.& 10.inter 50

In epiſt.ad Demetr.

occiduos faſtidire; nec ibi gloriam quærere, ubi laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur. Unde ſi verè intelligatur, contemptus iſte rerum præſentium, ad quæ tendat, & qualia concupiſcat; nihil hujuſmodi mentibus rectius, nihil invenietur electius, quæ ſacratiſſimis deſideriis univerſa tranſcendunt, neque ad ullam creaturam, quamvis potentem atque mirabilem, ſed ad ipſum omnium viſibilium & inviſibilium ambiunt Creatorem; cui appropinquare, clareſcere eſt; quem timere, gaudere eſt; cui ſervire, regnare eſt.

Pſalm. 9.

Poſtremò, hæc voluntaria honorum abdicatio, militem Chriſti ad luctandum cum inviſibilibus hoſtibus, maximè reddit idoneum. *Nihil enim*, ait D. Greg. *maligni ſpiritus in hoc mundo proprium poſſident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Si enim veſtitus quiſpiam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quòd habeat unde teneatur. Quid autem ſunt terrena omnia, niſi quædam corporis indumenta? Qui ergo cum Diabolo ad certamen properat, veſtimenta abjiciat, ne ſuccumbat.* Non mirum ergo, quod D. Aug. dicit; *Ego perfectionem, de qua Dominus locutus eſt, quando ait diviti adoleſcenti, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; vehementer adamavi, & non meis viribus, ſed gratia ipſius adjuvante ſic feci. Quantum autem in hac perfectionis via profeceris, magis quidem novi ego, quàm quiſquam alius; ſed magis Deus, quàm ego. Et ad hoc propoſitum quantis poſſum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo conſortes, quibus hoc per meum miniſterium perſuaſum eſt.*

Hom. 32. in Evang.

Epiſt. 89. quæſt. 4.

MONI

MONITUM LXII.

Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator.

Luc. 2.

INvitat Angelus Domini Paſtores ad gaudium, oſtendens maximam eis eſſe gaudendi occaſionem ac materiam, cùm addit: *Quia natus eſt vobis hodie Salvator*, de quo infrà. Ubi adverte verbum illud, *Vobis*, id eſt, ad veſtram utilitatem. Quomodo & Iſaias prædixerat; *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*. Et Zacharias; *Exulta filia Sion, ecce rex tuus venit tibi juſtus & Salvator*. Unde ſolemniter canit Eccleſia: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt*. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, inquit Apoſtol. id eſt, non angelicam, ſed humanam naturam aſſumpſit, ait Chryſoſt. Uſus eſt autem verbo, *apprehendit*, ex metaphora inſequentium eos, qui ſunt averſi, & omnia facientium, ut fugientes occupent, & reſilientes apprehendere valeant. Significatur Dei miſericordia & gratia.

Mon. 66. Iſai. 9. Zach. 9. In Symb. Conſtant. Hebr. 2. & ibi Chryſ.

Dicet ergo aliquis, corruerat genus humanum, ſed magna quoque Angelorum ruina facta eſt; cur igitur ad liberandos homines potiùs factus eſt homo, quàm ad Angelos erigendos Angelus?

Primum, ſic placuit, ſic viſum eſt Sapientiæ Dei; voluit in angelos juſtum judicium exercere; in homines ſuam miſericordiam. *Et quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* inquit David. Neque enim hic perſonarum acceptor fuit, quia angelis peccantibus reddidit quod debuit. Non eſt autem perſonarum acceptio, ubi ſic uni præſtatur gratia indebita, ut in altero merita exerceatur juſtitia. *Non eſt*, inquit Auguſtin. *dicenda perſonarum acceptio, quando iniquitas nulla eſt. Si quiſpiam duos habeat debitores, & alteri vult debitum dimittere, alterum exigere; cui vult donat, ſed neminem fraudat:* Poterat & hominum genus juſto judicio deſerere, ut ex maſſa damnata neminem prorſus eriperet, quemadmodum declarat Auguſtinus.

2.Reg.16.

Vide Aug. Cont.2. epiſt Pela. lib.2. c.7.

Ench.c.27.

Cur autem his peculiariter opem ferendam eſſe putaverit, aliquæ rationes à Doctoribus exquiruntur, & à Scholaſticis una redditur ejuſmodi ferè verbis; Quia peccatum Angeli fuerit irremediabile, non item hominis. Quod non ſic accipiendum eſt, tanquam natura Angelica præ humana fuerit reſtitutionis incapax, aut irreparabilis ſuo Conditori; ſed quia id non conſtituit facere, nec remedium per quod fieret, præparavit, ſicut hominibus Chriſti morte. Et quia juſtum hoc in Angelos Dei judicium fuerit, ut ſi laberentur, ab eo lapſu inciperet irretractabilis eorum damnatio: Quemadmodum circa homines ordinavit, ut à morte, ſi in malitia deceſſiſſent, eorum eſſet deſperanda reverſio. Nam, ut Damaſcenus ait, *Quod mors eſt hominibus, id eſt Angelis lapſus.* Itaque ſicut hominum via, qua adhuc mereri

Lib.2.c.4. de Orthod. fide.

mereri & proficere aut reſipiſcere poſſint, morte terminatur: ita etiam Angelorum via, ex ordinatione Dei conditoris, lapſu finienda erat. Non igitur tam propter naturarum diverſitatem, quàm propter juſtiſſimam Dei ordinationem id evenit, ut angelus poſt lapſum reparari non poſſet. Et hoc eſt apud D. Proſp. & D. Fulgent. qui ex Auguſtino ſumpſiſſe videntur. De vit. cōt. lib. 1. cap. 3. De fide ad Petr. cap. 3.

Ab Aug. verò hæc reddita eſt ratio in Ench. ut propterea non Angelos, ſed hominum genus apprehenderit Deus, quod uno peccante homine, totum in eo perierat genus, non autem uno cadente Angelo, cæteri omnes ceciderunt. Aug. epiſt. 107. Ench. 28. 29. *Placuit itaque,* inquit, *Univerſitatis creatori ac moderatori Deo, ut quia nō tota multitudo Angelorum, Deum deſerendo, perierat, ea quæ perierat, in perpetua dānatione remaneret. Alia verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniā peccatis atque ſuppliciis & originalibus, & propriis tota perierat, ex ejus parte repararetur, quod Angelicæ ſocietati ruina illa Diabolica minuerat.* Sic dicit Apoſt. quod *propoſuit Deus reſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terris ſūt.* Epheſ. 1. *Inſtaurātur quæ in terris,* ait S. Aug. *cùm ipſi homines, qui prædeſtinati ſūt ad vitā æternā, à corruptionis vetuſtate renovātur. Inſtaurātur quæ in cœlis, cùm id quod inde ex Angelis lapsū eſt, ex hominibus redditur.* Ench. cap. 61. 62. Itaque ſicut per unū hominē peccatū intravit in mundū, id eſt, in univerſum genus humanum, ſic per unum hominē Chriſtum juſtitia reddita eſt generi humano; ut ſicut ex uno in omnes generatos propago peccati; ita ex uno in omnes regeneratos derivatio ſit propagatióque juſtitiæ. Rom. 5. Aug. Ench. 27.

Non ergo propter angelos reparandos venit,

quia

quia mali non poterant, boni reparatione non egebant, ut Bern.ſerm.1.de Adventu. Tametſi interdum videtur aliud dicere, nempe fuiſſe etiam Angelorum redemptorem, ſer.22.in Cant.nobiſque idem præſtare quod Angelis. Sed loquitur impropriè; *redemptus enim dici non poteſt, niſi qui verè per peccatum fuit antè captivus*, ut Lorinus Pontifex definivit, & citatur ab Aug. epiſt.157. Et loquitur de Chriſto ſecundum naturam divinam, cujus virtute Angelorum quoque eſt conſervator, quia nimirum eos ne caderent, præſervavit. Quod autem

Coloſ.1. ſcriptum eſt ab Apoſt. *Pacificata eſſe omnia per ſanguinem Chriſti, quæ in cælo ſunt & in terra:* Significatur Angelos reconciliari nobis, in eandemque ſocietatem coaleſcere, à quibus erant priùs per peccatum ſeparati. Eo fit, ut Apoc.3.non dicantur cadere ante agnum, nec eum ſicut homines glorificare, tanquam ei videlicet ſuam ſalutem ferant ac-

Ench.6. ceptam. Et S.Aug. non pro Angelis Chriſtum eſſe mortuum dicit: nos addimus, neque incarnatum, quia non fuit incarnatus Dei filius, niſi ut in ſuſcepta carne pro ſalute noſtra moreretur.

Sed redeamus ad gaudium quod Angeli evangelizant paſtoribus, & in illis, cæteris hominibus.

Serm.1.de Nat. Ad quod etiam pulchrè hortatur omnes D. Leo, dicẽs; *Salvator noſter, dilectiſſimi, hodie natus eſt, gaudeamus. Neque enim fas eſt locũ eſſe triſtitiæ, ubi natalis eſt vitæ: quæ conſumpto mortalitatis timore, ingerit nobis de promiſſa æternitate lætitiam. Nemo ab hujus alacritatis participatione ſecernitur: una cũctis lætitiæ cõmunis eſt ratio. Quia Dominus noſter peccati, mortiſque deſtructor, ſicut nullũ à reatu liberũ reperit, ita pro liberãdis omnibus venit. Exultet ſãctus, quia appropinquat*

pinquat ad palmã; gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam; animetur gentilis, quia vocatur ad vitam.

Ubi nota tria genera hominum, quos ad ſpiritalem lætitiam vocat S. Leo: *Exultet,* inquit, *Sanctus, quia appropinquat ad palmam.* Is enim qui natus eſt rex, omnis ſanctitatis ac juſtitiæ eſt remunerator ditiſſimus. Hic eſt enim vineæ procurator, Matth. 20. cui dicet vineæ Dominus, *voca operarios, & redde* Actor. 10. *illis mercedem. Hic conſtitutus eſt à Deo judex vivo-* Apoc. ult. *rum & mortuorum.* Unde ipſe de ſe, *Ecce venio citò,* Iſai. 45. *& merces mea mecum. Non enim dixi ſemini Iacob, fruſtra colite me,* id eſt, ſine aliquo præmio, ait per Prophetam: *Sed meis cultoribus inſignem promiſi & dabo mercedem. Qui enim ambulat in juſtitiis, in ex-* Iſai. 33. *celſis habitabit, Regẽ in decore ſuo videbunt oculi ejus.*

Deinde quia merito nati Regis fiet, ut clauſum cœlum aperiatur, quo ſanctus ſtatim etiam à morte illud ingredi poſſit, & vitæ æternæ capere poſſeſſionem. Unde illi in hymno canitur, *Tu devicto mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cœlorum.* Uſque ad adventum Chriſti clauſum erat omnibus, Patriarchis, Prophetis, etiam Martyribus, qui ſanguinem propter Deum ejuſque legem ac juſtitiam profuderant. Unde adventum Chriſti admo- Luc. 10. dum deſiderabant antiqui Sancti, illud videlicet tẽ- 1. Petri 1. pus, quo liceret Sanctis ſtatim à morte regna cœlorum conſcendere, ait V. Beda. *Ante adventum* In 1. Petr. cap. 1. *Chriſti,* inquit S. Hier. *omnes ad inferos pariter duce-* In cap. 3. Eccleſ. *bantur. Unde & Iacob ad inferos ſe deſcenſurum dicit. Iob, pios & impios in inferno queritur retentari. Et* Gen. 42. *Evangelium, Chaos magnum interpoſitum apud infe-* Luc. 16. *ros, & Abrahã cum Lazaro, & divitẽ in ſuppliciis eſſe teſtatur. Et revera, antequã flammeam illam rotam*

&

Geneſ.3. *& igneā rompheam ad paradiſi fores Chriſtus cū latrone reſeraret,clauſa erant cœleſtia,& ſpiritus pecoris hominiſque æqualis vilitas coarctabat.Et licèt aliud videretur diſſolui,aliud reſervari;tamē nō multū intererat perire cū corpore,vel inferni tenebris detineri.*

Gaudeat peccator,quia invitatur ad veniā. Natus eſt enim,cujus merito peccatoribus ad Deum converſis datur remiſſio peccatorum, propter quam

Matth.26. ſanguinem ſuum effuſurus eſt. Medicina enim quam ſecum è cœlo attulit, valet contra omnia omninò peccata,quantumvis gravia & horrenda,

Luc. 19. etiamſi unus haberet omnia. Ipſe de ſe ait, *Venit*

1.Timot.1. *filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat.* Et de eo Apoſt. *Fidelis ſermo,& omni acceptione dignus,quia* IESUS *Chriſtus venit in hunc mūdum*

Lib. 10. Conf. cap. ultimo. Ioan.1. *peccatores ſalvos facere.* De quo & S.Aug. *Potuimus putare Verbum tuum remotum eſſe à conjunctione hominis,& deſperare de nobis,niſi caro fieret,& habitaret in nobis. Meritò mihi ſpes valida in illo eſt, quod ſanabis omnes languores meos,alioquin deſperarem. Multi enim & magni ſunt iidem languores mei,multi ſunt & magni;ſed major & amplior eſt medicina*

In cap. 5. ad Roma. *tua.* Dicit Chryſoſt.quod *Chriſtus multò plura exſoluit,quàm debeamus;tantòque plura,quātò guttulam exiguam pelagus immenſum excellit.* Et quis deſperet de venia?cum etiam interfectores ſuos non ſolùm ad indulgentiam criminis,ſed etiam ad præmium regni cœleſtis admiſerit? *Quid poteſt dici benignius? Vivificatur ſanguine Chriſti,etiam qui ſanguinem Chriſti fudit,* inquit D.Cyprian. *Quid gravius*

De bono patient. Sent.19.11. ex Pſal.45. *peccato ægri,quàm medici interfectio?* ait S.Aug. *ſed quando etiam hoc dimittitur, quid non dimittitur?*

Animetur gentilis,quia vocatur ad vitam. Putabāt

gentiles

gentiles animam ſimul perire cum corpore; ideo tradebant ſe ſordibus omnium vitiorum, ut eſt apud Iſaiam,& Sap.Et Apoſtol.ait; *Qui deſperantes*,id eſt, poſt hanc vitam, aliam non ſperantes, *ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam.* Et alibi; quod *homines timore mortis per omnem vitam obnoxii eſſent ſervituti peccati, & Diaboli.* Verùm filius Dei ſuo adventu oſtendit animam non interire cum corpore,ſed reſtare poſt hanc vitam,aliam.Nec enim ille deſcenderet de cœlis, homo fieret,in homine aſſumpto tanta ageret, tanta pateretur, ſi morte corporis etiam vita animæ conſumeretur.Fructus enim quem in hac vita percipit Chriſtianus ex adventu & incarnatione filii Dei, admodum exiguus videtur.Unde & Paulus,*ſi in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus*, id eſt, ſi nihil à Chriſto exſpectamus, quàm quod ab illo in hac vita recipimus,*miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.*Mali enim homines ſaltem bonis præſentibus, quibus totos ſe dedunt, fruuntur; quibus ſe abſtinent boni, ſpe meliorum in futuro ſæculo. Et docet D.Aug.*Totum quod ſalutaribus agitur Sacramentis, magis pertinere ad ſpem futurorum bonorum,quàm ad retentionem vel adeptionem præſentium.* Maximus ergo fructus Adventus & Incarnationis filii Dei exſpectatur & percipitur in futura vita. Unde D. Aug.*Deus factus eſt homo,quid futurus eſt homo,propter quem Deus factus eſt homo? Oculus non vidit,nec auris audivit,nec in cor hominis aſcenderunt,quæ præparavit Deus diligentibus ſe.*

Iſai. 12. Sap. 2. Ephes.4. Hebr.2. Aug. lib.6. Conf.c.11. 1.Cor.15. Enchirid. cap.66. Sent.330. Proſp. Iſai.66.

Si autem quæras cur paſtoribus primùm reveletur Chriſti Adventus & Nativitas? Cogita

quod

quod ferè ab initio paſtores elegerit Deus. Abel; Jacob, Joſeph, Moyſes, David, &c. paſtores erant: illi primæ hominis inſtitutioni ſunt proximi, quæ eſt præeſſe beſtiis; & illis innoteſcit Deus, qui ſe ſtudent ad illum innocentiæ ſtatum reformare. Deinde, inquit Aug. *Mediatorem tuum ſecreta miſericordia demõſtraſti humilibus, & miſiſti, ut eius exemplo etiam ipſam diſcerent humilitatem. Abſcondiſti hæc à Sapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*, ait Chriſtus Patri. Et de eo Sapiens; *Cũ ſimplicibus ſermocinatio eius*, quia ut ait D. Greg. *Illorum mentes de ſupernis myſteriis radio ſuæ viſitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obſcurat.* Sic piſcatores elegit in Apoſtolos, & de primis Chriſtianis ait Apoſtolus, *Non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut cõfundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret.*

Geneſ. 1.
Lib. 10. Conf. cap. ultimo.
Matth. 11.
Proverb. 3.
In Paſt. part. 3. admonit. 12.
1. Cor. 1.

Denique hi Paſtores gerebant typum Paſtorum Eccleſiæ, quorum eſt diligenter vigilare ſuper gregem in nocte hujus ſæculi, *ne quos ſpiritalium beſtiarum per offuſas noctis tenebras, patiantur incurſus.* His primùm innoteſcere debet Chriſtus, ut per illos innoteſcat & cæteris. Quam illuminationem ſignificat illa claritas, de qua eſt in Evangelio, de qua etiam David, *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Primò enim ipſi montes lucem Dei accipiunt, deinde eam cæteris communicant. Primo Paſtori dixit Chriſtus: *Paſce oves meas.* Hic aliis Paſtoribus inferioribus; *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.* Quod maximè fit recta doctrina, quam

Ambr. lib. 2. in Luc.
Luc. 2.
Pſalm. 75.
Auguſt. in illum pſal.
Ioan. ult.
1. Petri 5.

à

à ſuis Paſtoribus diſcere & accipere debent oves. Conſtituit enim Chriſtus in Eccleſia *Paſtores & doctores, ut iam non ſimus parvuli fluctuantes, neque circumferamur omni vento doctrinæ.* Unde & Malachias Propheta; *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt.* Curent autem diligenter Sacerdotes, ut habeant ſcientiam, quò idonei ſint alios docere: Et timeant illud Prophetæ; *Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam & ego te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Et illud Evangelicum: *Sal infatuatum mittetur foras, & ab hominibus conculcabitur.* Epheſ. 4. Malach. 2. Oſeæ 4. Matth. 5.

Poſtremò, Unicuique Chriſtiano dicitur. *Paſce hœdos tuos iuxta Tabernacula Paſtorum,* id eſt, affectus, actuſque carnales, & indomitos impetus paſſionum rege, reprime & reforma ſecundum ſanctorum patrum doctrinam, juſſa, exempla. Tales à Deo illuminantur: *Exhalantur autem nebulæ de carnali limoſa Concupiſcentia, quæ obnubilant & obfuſcant cor hominis. Et ſpargit Deus pœnales cæcitates, ſuper illicitas cupiditates,* inquit D. Auguſt. *Nos,* ait S. Hier. *affectus & perturbationes, quamdiu in Tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circundamur, moderari & regere poſſumus, amputare non poſſumus.* Quo autem magis liber eſt animus à cupiditatibus & affectibus pravis, eo magis divini luminis eſt capax. Rectè S. Leo, *Splendorem veri luminis ſordens acies videre non poteſt, & quod eſt iucunditas mentibus nitidis, hoc eſt pœna maculoſis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni ſqualore iniquitatis oculi tergantur interiores, ut ſerenus intuitus tantùm Dei viſione paſcatur.* Cant. 1. Li. 2. Conf. c. 2. & lib. 1. cap. 18. In epiſt. ad Demetria. Ser. de omnib. Sanct.

Mo

MONITUM LXIII.

Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.

Pſalm. 117.

IN Scriptura ſacra eſt dies hominis, ſive quem fecit homo; eſt & dies Domini, quem Dominus fecit. Dies hominis eſt dies peccati, miſeriæ, mortis, damnationis: quia ſuo arbitrio peccavit homo, & per peccatum incidit in miſerias hujus vitæ & futuræ. Qualem ſe fecit primus homo peccando, tales & nos genuit, miſeros, mortales, damnationi obnoxios: qui in eo tanquam in radice eramus, cujus corruptio fluxit in ramos. De hoc die ait Propheta Job, *breves dies hominis ſunt. Creaverat Deus hominem inexterminabilem*, ut ait Sapiens; ſed ille peccando dies ſuos breves fecit. Et Pſalmiſta, *In diebus meis invocabo*, id eſt, quos ego miſeros feci & paucos: ſtatim enim inſinuans mala ſua: *Circumdederunt*, inquit, *me gemitus mortis, & pericula inferni invenerunt me.* In hac die non lætari, non exultare debemus, ſed gemere ac lugere. Unde Chriſtus, *Beati qui lugent*. Et Sap. *Cor Sapientum, ubi triſtitia.*

Aug. Ench. 26. Conc. Arauſic. cap. 2.

Iob 14.

Sapient. 2.
Pſal. 114.

Matth. 5.
Eccleſ. 7.

Dies autem Domini eſt dies juſtitiæ, ſalutis, immortalitatis. Unde ipſe per Prophetam; *Tantummodò in me auxilium tuum.* Et, *Salus tua ego ſum.* Unde & Aug. *Quæ procuratio ſalutis, præter manum tuam, Domine, reficientem quæ feciſti?* Et

Oſeæ 13.
Pſalm. 34.
Lib. 5. Conf. c. 7.

Apoſt.

Apoſt. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Et, *Neque qui plantat; neque qui rigat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat, Deus.* In hac die Domini, exultare & lætari debemus; ad quod frequenter nos Scriptura hortatur, ut Apoſt. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete:* videlicet, in donis Domini, quæ hic largitur; & in ejus promiſſis, quæ præſtabit poſtea. *Qui pretio ſanguinis Chriſti, de captivitatis jugo quotidie liberantur*, inquit D. Proſper, *ob ſpem non dubiæ ſalutis, habent gaudium conſolationis, & linguæ miniſterio in actionem gratiarum abundantia mentis ſe effundit.* Rom. 9. 1. Cor. 3. Philip. 4. Proſp. in Pſal. 127.

Verùm Eccleſia accipit hunc verſum Pſalmi, de die Reſurrectionis Domini. Qui ejus dies vocatur, quòd in eo ſit glorificatus; depoſita enim omni miſeria & mortalitate, novam & immortalem vitam aſſumpſit. De qua glorificatione David, *Scitote, quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum.* Et Evangeliſta, *Spiritus nondum erat datus; quia* JESUS *nondum erat glorificatus.* Cujus glorificationis figuram habemus in JESU Sacerdote, filio Ioſedech; à quo ablatum eſt veſtimentum ſordidum, quo priùs indutus erat; devictoque Diabolo, datum eſt ei indumentum honoris & gloriæ; ſic corpus Chriſti, quo tegebatur ejus anima & Divinitas, prius mortale ac miſerum erat; ſed victo per mortem Diabolo, immortale ac glorioſum recepit. Pſalm. 4. Ioan. 7. Zachar. 3.

Deinde dies reſurrectionis ideo etiam dies Domini, ſive quem fecit Dominus, appellatur, quòd propria, non aliena virtute reſurrexerit. *Ego dormivi*, inquit, *& ſomnum cœpi, & exſurrexi. Po-* Pſalm. 3.

teſtatem enim habebat ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. Unde ipſe Judæis, *Soluite templum hoc* (loquens de templo corporis ſui) *& in tribus diebus excitabo illud.* Dicitur in Geneſ. de Juda, quit fuit typus Chriſti : *Catulus leonis Iuda*, eſt enim Chriſtus filius ſummi & omnipotentis Patris. *Ad prædam aſcendiſti, fili mi.* Chriſtus aſcendit crucem, ut exſpoliaret principatus & poteſtates, quibus ſubditum erat genus humanum, *requieſcens* videlicet in ſepulchro, *accubuiſti ut leo, de poteſtate, non de neceſſitate*, inq. Aug. *Et cùm ſepeliretur, mortuos ſuſcitabat*, ait Ambr. *Quis ſuſcitabit eum?* niſi ipſe ſe? quia virtute Divinitatis, quæ nec animam in inferno, nec corpus in ſepulchro reliquit. Unde S. Athan. *Ipſũ corpus habens naturã mortalem, ſupra ſuam naturã reſurrexit, propter Verbum in ipſo,* &c.

Ioan. 10.
Ioan. 2.
Geneſ. 49.
Aug. Ser. 31. in Nov.
Coloſſ. 2.
Amb. in Pſalm. 40.
Apud Epiphan. in hæreſi 77.

In hac die exultare & gaudere jubemur, tum propter Chriſtum, qui exaltatus eſt, & liber ab omnibus miſeriis, ad tantam gloriam provectus. Charitatis eſt, *gaudere cum gaudentibus*, & lætari de exaltatione & promotione amici. Et quis, quæſo, nobis debet eſſe amicitior Chriſto Domino, qui animam ſuam pro nobis poſuit ? Exaltatus eſt, quia ad incorruptibilem & glorioſam vitam reſuſcitatus, donavitque ei Deus nomen quod eſt ſuper omne nomen ; & omnem poteſtatem in cœlo & in terra contulit, quam poſt reſurrectionem cœpit exercere ; denique *Supra omnium cœleſtium creaturarum dignitatem, ipſa Chriſti humana natura conſcendit*, ut inquit S. Leo.

Rom. 12.
Philip. 2.
Matth. ult.
Serm. 1. de Aſcenſ.

Exultandum etiam nobis in hac die, propter noſipſos ; ex Chriſti enim reſurrectione plurimum boni nobis acceſſit ; ex qua certam concipimus

pimus ſpem de noſtra, in qua plena erit regene-
ratio,& perfecta redemptio corporis & animæ ab Matth.19.
omnibus malis. *Qui ſuſcitavit* Jesum, *& nos cum* Luc.21.
Jesu *ſuſcitabit*,ait Paulus.Et,*Deus & Dominum ſuſ-* 2.Cor.4. 1 Cor.6.
*citavit,& nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.*Sic & Pe- 1.Petri 1.
trus;*Regeneravit nos in ſpem vivam*,id eſt,vitæ im-
mortalis,*per reſurrectionem* Jesu *Chriſti ex mortuis.*
Quò enim præceſſit gloria capitis, eò vocatur & ſpes Serm.1.de
corporis,ait D.Leo.Et S.Aug. *Solliciti*, inquit, *era-* Aſcenſ.
mus de ipſa anima, & ille nobis reſurgendo de carnis Ser.2.de
reſurrectione fiduciam dedit. Magna certè eſt hu- Aſcenſ.
manæ naturæ dejectio ex tanto illo primæ felici- Gen.3.
tatis culmine,ut audiat; *Cinis es, & in cinerem re-*
verteris,quam & Chriſtus preſſiùs conſiderans, la-
chrymatus eſt ad Sepulchrũ Lazari.Sed conſola- Ioan.11.
tur nos futura reſurrectio.Unde Iſaias,pro conſo- Iſaiæ 26.
latione;*Vivent*,inquit, *mortui tui, interfecti mei re-*
ſurgent; expergiſcimini, & laudate qui habitatis in Philip.3.
pulvere. Et Apoſtolus; *Salvatorem exſpectamus de*
cælis; qui reformabit corpus humilitatis noſtræ confi-
guratum corpori claritatis ſuæ.

Hac ſpe ſemper ſe conſolati ſunt ſancti in affli-
ctione & mortalitate.Unde Iob;*Scio quod redemp-* Iob 19.
tor meus vivit,& in noviſſimo die de terra ſurrectu-
rus ſum, & in carne mea videbo Deum ſalvatorem
meũ,&c.Et tertius ex 7.Machab.cùm membra cor- 2. Mach.7.
poris propter Dei legem amitteret:*E cælo*,inq.*iſta*
poſſideo,ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio,
*quoniam ab ipſo me ea recepturũ ſpero.*Monica Aug. Lib.9.
mater, rogata an non timeret tam longè à patria Conf.c.11.
corpus relinquere,*Nihil*,inq.*longè eſt Deo,neque ti-*
mendum eſt,ne ille nõ agnoſcat in fine ſæculi unde me
*reſuſcitet.*Sic in Martyribus moriẽtibus pro Chri-

Digitized by Google

ſti fide, cùm ſcirent ſe inſepultos abjiciendos, ac à beſtiis devorandos, contemptus ſepulchri magna profeſſio erat fiduciæ conceptæ, quod integri uſque ad minimum capillum à Deo reſuſcitandi forent. Et contrà in Patriarchis, cæteriſque Chriſtianis ſollicita cura ſepulchri, confeſſio quædam eſt atque exſpectatio reſurrectionis; volebant enim ea corpora decenter ſervari, ac collocari, quæ ſperabant aliquando ſuſcitanda ad gloriam.

Luc. 21. Gen. 23. 25. 47. 49.

Hunc diem deſiderant animæ Martyrum, quæ tametſi *ſingulas ſtolas* acceperint, id eſt, beatitudinem animarum; expectant tamen redemptionem corporum ſuorum, ut illa iterum regant, ad quæ illis ineſt appetitus naturalis, ut ſic & alteram ſtolam accipiant, videlicet beatitudinem corporum; unde & tunc perfectior erit earum felicitas quàm jam ſit, ut definitum eſt in Conc. Florent. Et dicuntur iſtæ animæ *eſſe ſub altari*, quo corpus Chriſti ſignificatur, in quo peractum eſt ſacrificium mortis & paſſionis ejus, quo placatus eſt pater, quia ad illud reſpiciunt jam immortale; nondum enim habent gloriam corporis ſui, quam in Chriſti corpore vident, ex quo tamen certam ſpem capiunt de gloria corporis ſui aliquando futura, unde jubentur *adhuc modicum exſpectare, donec impleatur numerus fratrum ſuorum*, quod erit in die reſurrectionis & judicii.

Apocal. 6. Rom. 8. Conc. Florent. Apoc. 6. Apoc. 6.

Quem diem etiam Chriſtus quotidie petere nos voluit, quando docuit nos quotidie orare, *Adveniat regnum tuum.* Qua oratione petimus quidem cùm animæ noſtræ hinc migraverint, Deus in eis regnet, ipſæque ei perfectè ſe ſubjicientes, ejus regni participes fiant; præcipuè tamen

Matth. 6.

men ad illud perfectum Dei regnum reſpicimus, ut in reſurrectione Deus plenè regnet, & nos ſui regni conſortes efficiat.

Illum diem etiam omnes aliæ creaturæ exſpectant, & quodammodo deſiderant, ut cum ipſo homine reformentur ac renoventur, ſicut cum eo peccante in deterius ſunt mutatæ. *Omnis creatura*, ait Paulus, *ingemiſcit, & parturit uſque adhuc:* Sicut pratum dicitur ridere; quia, videlicet, ſi ſtatus illius intelligeret dignitatem, ad illum aſpiraret. *Novos cœlos, & novam terram ſecundum ipſius promiſſa exſpectamus, in quibus juſtitia habitat.* Unde & Chriſtus eo tempore reſurgere voluit, quo omnia quodammodo incipiunt renovari, ac reviviſcere, quæ per hyemem mortua videbantur; quaſi conſolans ſuos ac erigens ſpe futuræ æſtatis, qua ſignificatur tempus reſurrectionis. Rom. 8. 2. Pet. 5. Vide Aug. de Civit. lib. 20. cap. 16.

Sic ſunt fideles in hac vita, quomodo arbores in hyeme, vita illorum in abſcondito eſt, æſtas procedit, vita illorum clarificatur, procedit honor foliorum, fœcunditas fructuum. Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Vide, inq. Minutius Felix, *quam in ſolatium noſtri, reſurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergit & naſcitur: aſtra labuntur & redeunt: flores occidunt & reviviſcunt: poſt ſenium arbuſta frondeſcunt: ſemina non niſi corrupta reviréſcũt: ita corpus in ſæculo, ut arbores in hiberno, occultant virorem, ariditate mentita. Quid feſtinas ut cruda adhuc hieme reviviſcat, & redeat? exſpectãdũ nobis etiã corporis ver eſt.* Et rurſum: *Tu perire Deo credis, ſi quid oculis noſtris hebetioribus ſubtrahitur? Corpus omne, ſive areſcit in pul-* Auguſt. in Pſal. 148. Matth. 13. Coloſſ. 3. In Octavio. Ibidem, paulò ante.

 verem,

rem,ſive in humorem ſolvitur,vel in cinerem comprimitur,vel in nidorem tenuatur,ſubducitur nobis; ſed Deo elementorum cuſtodi reſervatur.

MONITUM LXIV.

Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.

Ioan.14.

DE Dei adventu ſpiritali in hominis animam erit nobis ſermo,unde in Scripturis Sanctis, vocatur ſedes, templum, tabernaculum, domus Dei. De qua potiſſimùm quatuor dicuntur, quod *ad eam veniat, in ea habitet, ambulet, maneat*. Venire dicitur quando incipit in ea operari, cognitionem videlicet peccati, timorem pœnæ, odium iniquitatis, bonas cogitationes ac deſideria virtutis ac juſtitiæ; hæc enim juſtificationis principia non niſi operatione Spiritus Sancti in anima hominis fiunt. Habitat, quando per remiſſionem peccatorum fit ei propitius, antequam licèt anima habeat in ſe Spiritum Sanctum operantem, non tamen inhabitantem. Deinde quando in omnibus à Spiritu Sancto regitur ac gubernatur, de quo dicit Apoſtolus; *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.*

(1. Cor.6. Ioan.14. Auguſt. epiſt 57. Rom.8. Rom.5.)

Ambulat,propter latitudinem Charitatis,quam Spiritus Sanctus infundit, quæ non contenta benefacere amicis, ad omnes etiam inimicos ſe extendit. Deinde quia facit hominem cum gaudio & delectatione bene agere, quæ cor dilatat; ſicut anguſtat triſtitia. Tertiò, ambulat, quando homo

(Bern. Ser. 27. in Cant.)

homo indifferens eſt ad omnia, contentus diſpoſitione Divina, quicquid tandem circa illum agatur, benedicitque Dominum in omni tempore.
Denique, quando hominem facit in virtutibus ac Pſalm.33.
bonis moribus proficere, ſic ut eat de virtute in virtutem, eaſque quas habet virtutes, auctiores ac
firmiores efficiat, ut poſſint contrariis vitiis ac Pſalm.83.
tentationibus reſiſtere.

Manet, quando dat perſeverantiam, quando facit hominem perſeveranter velle bonum, eique
adhærere. *Niſi enim Dominus cuſtodierit civitatem,* Pſalm.126.
fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Et promittit Domi- Ierem 32.
nus, *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.* Unuſquiſque autem hoc diligenter anni-
ti debet, ut Spiritum Dei habeat; *Si quis enim,* ait Rom. 8.
Apoſt. *Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.*

Sed quomodo ſciri poterit, an quis in ſe habeat Spiritum Dei? Si intelligatur, qualis ſit Spi-
ritus Dei. Eſt enim ſpiritus dilectionis, humilita- Iſaiæ 11.
tis, manſuetudinis, caſtitatis, unitatis pacis, patientiæ, *&c.* quia hæc omnia & ſimilia in hominibus operatur. In quo ergo hæc inſunt, cognoſcitur is habere in ſe Spiritum Sanctum habitantem. Quemadmodum cognoſcitur Spiritus malus eſſe in aliquo, ſi in eo ſit odium, impudicitia, ſuperbia, impatientia, diſcordia, &c. quia iſta & ſimilia ſpiritus malus in impiis operari ſolet. De matre ſua
Monica dicit Aug. *Quiſquis ſervorum tuorum eam* Li.9 Conf.
noverat, multùm in ea laudabat, & honorabat, & cap.9.
diligebat te (Domine.) Cur ita? *quia*, inquit, *ſentiebat præſentiam tuam in corde ejus.* Sed quibus indiciis?
Sanctæ converſationis fructibus teſtibus. Unicuique, 1.Cor.12.
ait Apoſt. *datur manifeſtatio Spiritus,* id eſt, donum

Digitized by Google

Spiritus, unde videlicet manifeſtatur & intelligitur ineſſe: & hoc cogitandum.

Pſalm. 64. 1. Cor. 3. Auguſt. in Pſalm. 64. Deinde dicit Pſalmiſta; *Templum Dei Sanctum eſt, mirabile in æquitate.* Sanctum eſt, Deo dicatum eſt, prophanari & violari non debet: *Si quis enim templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Et eſt mirabile in æquitate.* Non dicit, in columnis, marmoribus, tectis deauratis; ſed in æquitate, ſive juſtitia, quæ virtutes omnes in ſe complectitur, charitatem, humilitatem, patientiam, contemptum rerum mundanarum, *&c.* quarum virtutum ornatus ac pulchritudo eſt maxima, ſed mentis oculis videtur, non carnis. Denique ſigna Spiritus inhabitantis dat S. Leo, qui poſtquam multas enumeraſſet virtutes, unde ineſſe cognoſcitur, ſubdit; *Ipſam matrem virtutum charitatem in ſecretis mentis ſuæ inquirat, & ſi in ea dilectionem Dei & proximi toto corde intentè repererit, ita ut etiam inimicis ſuis eadem velit tribui, quæ ſibi optat impendi, quiſquis hujuſmodi eſt, Deum & rectorem, & inhabitatorem ſui eſſe non dubitet.* Serm. 8. de Epiph.

Hoc autem notandum, duobus modis Deũ abeſſe poſſe à Templo ſuo. Uno modo abeſt, ſic tamen ut is qui Templum Dei eſt, ſit adhuc filius Dei, ac in ejus gratia. Tractat D. Bern. de viciſſitudine Verbi abeuntis & redeuntis ad animam devotam, *quæ fit,* inquit, *non motu Verbi, ſed ſenſu animæ, quæ ejus præſentiam agnoſcit, cum ſentit gratiam; cùm non, abſentiam queritur, & rurſum præſentiam quærit. Cùm præſens eſt, expergefacit, movet, mollit, rigat, illuminat, inflammat animam; illo abſente torpent & frigent omnia: quomodo ſi ollæ bullienti ignem ſubtrahas. Cauſæ hujus viciſſitudinis ſunt variæ: prima,* Bern. Ser. 56. & 74. in Cant.

ut moneatur anima, iſta omnia, non ſuæ facultatis, ſed Divini muneris eſſe, inquit D. Aug. *ac ſic ab elationis vanitate ſanetur*. Si ſemper haberet, vel ſentiret, facile ſibi tribueret; diſcit ergo ſervire Domino in timore, & exultare ei cum tremore. Altera cauſa eſt, *ut exerceatur & inflammetur ejus deſiderium; ut revocet eum avidius, teneat fortius, ſentiens ſubducto ſibi tam dulci ſponſo, tam malè ſibi eſſe*. Hinc Sponſa in Cantic. *Revertere, revertere; & David, Faciem tuam* (id eſt præſentiam) *Domine requiram. Ita revocatur deſiderio anima, ſed ejus anima, cui ſemel ſui ſuavitatem indulſit*. Sic & Aug. *Cùm*, inquit, *anima gravia ſibi & inſuavia ſentit præcepta, non deſperando frangatur, ſed ad quærendum, petendum, pulſandumque cogatur*. Tertia cauſa, *ne diſſoluta ſecuritate negligentiùs agat, abſcondit Deus ab ea dulcedinem amoris ſui, cui utile eſt eum timere*, inquit Auguſtinus. Hic timor humilitatem operatur, & in ea hominem conſervat. Lib. 2. de pec. merit. cap. 17. Pſalm. 2. Bern. loc. cit. Cant. 2. Pſal. 26. De perfect. juſtit. In Pſal. 30.

Altero modo abit, quando juſto judicio permittit hominem etiam juſtum induci in tentationem, ſubtrahendo vel negando auxilium; quo ſublato cadit homo, non erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio. *Ubique quidem eſt Deus ſecundum Divinitatis eſſentiam*, omnia implet, omnia continet: *Sed ibi non eſſe dicitur, ubi non operatur*, non gubernat. *Ceſſatio auxilii, abſentia ejus eſt*, ait D. Proſp. hoc ne fiat, oratur: *Ne nos inducas in tentationem*, deſerendo, Et, *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me*. Et ſollicitè hoc oratur etiam à provectiſſimis ſanctis, quia vel ad momentum eſſe ſine ſpiritu Chriſti, pernitioſum eſt. *Si enim recedat Spiritus Dei*, inquit S. Aug. *pondere ſuo ſpiritus hominis* Proſp. in epiſt. ad Demetr. Matth. 6. Pſal. 26. Proſp. ibid. Aug. Ser. 6. de verb. Apoſt.

reuer

Digitized by Google

revertitur in carnem, redit ad concupiſcentias & facta carnalia.

2.Reg.11. Pſal.29. De grat.& lib. arbit. c.6. De cor.& grat. cap.9.

Paululum deſerente Deo (ob ſuperbiam & præſumptionem) expertus eſt vir ille fortiſſimi ſpiritus & maximè ſpiritalis David, quid poſſet, lapſus in fœdum adulterium ſimul & homicidium: & novem integris menſibus abſque ulla tam fœdi peccati ſeria pœnitentia remanſit, donec nova Dei gratia excitaretur à morte peccati. Ob eandem cauſam graviter lapſus Apoſtolus Petrus in trinam Domini ſui negationem, victus non à viris fortibus, ſed ab infirmis ancillulis, ut diſceret non præſumere, ſed habitare in adjutorio altiſſimi. *Superbis enim utile eſt*, inquit Aug. *cadere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſplíceat, qui jam ſibi placendo ceciderat. Salubrius enim ſibi diſplicuit Petrus, quando flevit, quàm ſibi placuit, quando præſumpſit.* Uterque ergo, David & Petrus, graviter cecidit, ſed uterque ex lapſu doctior, ac humilior factus, reſurrexit. Gravius Dei judicium eſt in eos qui cadunt, & in lapſu uſque ad finem perſeverant. *Quidam enim*, ait S. Aug. *incipiunt bene vivere etiam ex fide per charitatem operante, & poſtea occulto, ſed juſto Dei judicio cadunt, nec reſurgunt: ut cæteri timeant, & iſto timore vitium elationis comprimatur. Perſeverantes ergo debent nobis præbere exemplum, cadentes augere metum, qui perſeverantem in nobis ſervat humilitatem: in loco enim iſto tentationum tanta eſt infirmitas, ut ſuperbiam poſſet generare ſecuritas.*

Matth.26.

De Civit. l.14.c.13.

Aug. de cor.& gra. c.13 Gal.5. Proſp. ad Demetr. Auguſt.de cor.& grat. c.13.

Digitized by Google

MONITUM LXV.

Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Pſalm. 109.

QUoniam eximia quædam res eſt, Euchariſtia,& ſi humanam rationem ſpectes, planè incredibilis, placuit Divinæ Providentiæ multis id etiam miraculis, ritibus, atque geſtis adumbrare. Quæ omnia ad fidem ejus nobis commendandam, & efficaciam atque uſum commonſtrandum, plurimùm valent. Hæc cùm permulta ſint, duo adferemus, quæ etiam Evangelicis Apoſtoliciſque teſtimoniis comprobantur. Primum Geneſ.14. eſt de Melchiſedech, qui vinum & panem Victori Abrahæ obtulit; qui cùm tanquam Sacerdos Dei altiſſimi obtuliſſe Abrahæ legatur, ſatis inſinuatur, eiſdem creaturis ipſum Deo ſacrificare ſolitum, ac eis quæ Deo priùs obtulerat, ſacris, victorem Abraham honoraſſe, eadem illi communicando, & exhibendo. Qua re apertè ſignificatum eſt Chriſtianorum Sacrificium, quod Salvator noſter (de quo juxta Pauli interpretationem dictum eſt, *Tu es Sacerdos in æternum* Hebr.5. *ſecundum ordinem Melchiſedech*) & obtulit, & Pſal.109. inſtituit ſic offerendum, in panis & vini ſpecie, ut idem deinde aliis quoque ſit communicandum.

Qua figura, primò ſignificatur ejus materia, videlicet

videlicet panis & vinum, ex quibus tanquam materia tranſeunte, Dei virtute fit, ut corporaliter illic præſentia habeamus corpus & ſanguinem Domini. Sunt autem hi terræ fructus convenienter aſſumpti ad Euchariſtiæ confectionem: Primò, quia per eos recolitur convenienter, & ob oculos ponitur Chriſti Domini paſſio, in qua corpus ejus ſanguine per effuſionem ſeparato, mortuum fuit, ſicut ſpecies panis à vini ſpeciebus ſunt ſeparatæ. Secundò, ſicut pane & vino nutriuntur & reficiuntur corpora noſtra, eſtque id omnibus notiſſimum; ita corpore & ſanguine Domini pii ſpiritualiter nutriuntur, & norunt id omnes fide-
Cypr.li.2. epiſt.3. les. Tertiò, ſicut panis ex multis granis conficitur, & vinum ex multis racemis confluit; ita hoc Sacramentum Eccleſiæ, quæ ex multis & diverſarum proprietatum hominibus conſtat, unitatem efficit, omnes & cum Chriſto, & per Chriſtum in-
1.Cor.10. ter ſe conjungens. Quod innuit Apoſtolus dicens; *Vnum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane participamus.* Denique ſicut pane & vino perducuntur homines ad ſaturitatem & ebrietatem, profuſamque lætitiam, ita corpore & ſanguine Chriſti eò perducuntur fideles, ubi Divinitatis ejus manifeſta contemplatione plenè perfectéque ſatientur.
Pſal.16. Ioan.6. Unde in Evang. ait ipſe, *Qui manducat me, vivet propter me.*

Secundò, ſignificatur ejus uſus, qui non in hoc tantum poſitus eſt, ut ſit fidelium cibus, verùm etiam ut Sacrificium ſit, quod prius Deo offeratur. Cui poſteriori ab omnibus noſtri temporis hæreticis vehementer obſiſtitur; cùm id tamen in Patribus & Conciliis, etiam ex quatuor primis

Genera-

Generalibus ſit clariſſimum. Ex 14.enim Canone Concilij Nicæni primi conſtat, *Sacerdotes habere poteſtatem offerendi corpus Domini.* Et Concilium Epheſinum. *Annuntiantes*, ait, *ſicut ſecundùm carnem mortem unigeniti filij Dei, ideſt, Ieſu Chriſti, & reſurrectionem ejus, & in cœlum aſcenſionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Eccleſiis ſacrificij ſervitutem.* Conc.Nic. 1.Can.14. In epiſt.ad Neſtor.

D. verò Irenæus: *Chriſtus*, inquit, *dicens, Hoc eſt corpus meum*: &, *Hic eſt Sanguis meus, novi Teſtamenti, novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo mundo offert Deo.* Et S.Cyprian. *Obtulit* (Chriſtus) *Deo Patri, hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem.* Et D. Auguſt. *Ibi* (videlicet in Melchiſedech) *apparuit Sacrificium, quod nunc offertur à Chriſtianis Deo toto orbe terrarum, impleturque quod tantò poſt dictum eſt, Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Dicitque idem Auguſt. *Hoc Sacrificium unicum ſucceſſiſſe omnibus Sacrificiis veteris teſtamenti.* Denique D.Leo; *Cùm*, inquit, *in atrio Caiphæ tractaretur quomodo Chriſtus poſſet occidi, ille corporis ſui & ſanguinis ordinans Sacramentum, docebat qualis hoſtia Deo deberet offerri.* Li.4.c.32. Li.2.epiſt. epiſt.3. De Civit. lib.16.c.22 & lib.17. cap.20. De Civit. ibidem, & Cont.adu. leg.& Pro. c.18.19. Serm.7.de Paſſion.

Durabit autem hoc Sacrificium in Eccleſia, donec veniat Chriſtus ad judicium. Quod autem habet Daniel de auferendo jugi Sacrificio, non de Sacrificio Chriſtianorum dicit, quod eſt perpetuum, ſicut Eccleſia Chriſti eſt perpetua, juxta illud, *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Si enim ritu perpetuo voluit Deus celebrari per agnum Paſchalem diem Paſchæ in memoriam 1.Cor.11. Dan.11. Matth.16. Exod.12.

redem

redemptionis Iſraël de Ægypto, quem tamen populum erat rejecturus, ut Malachias dicit, multò magis populum dilectiorem vult facere ſempiternam memoriam redemptionis ex morte æterna. Quantò enim majus eſt beneficium, tantò magis Deus exigit memoriam gratam. Sed loquitur Daniel de jugi Sacrificio Iudæorum, quod Antiochus illuſtris abſtulit, de quo Moyſes. Nec loquitur ibi Daniel de Antichriſto, ſed de Antiocho rege Syriæ, qui dictus eſt illuſtris, ut bene interpretatur Hieronym.

Malach. 1. Num. 28. In Comment.

Verum quidem eſt, quod Sacrificio adverſantur omnes penè tyranni, hæretici, & perſecutores Eccleſiæ, ſicut pulchrè oſtendit Claudius de Sainctes. Sed tanta eſt bonitas Dei erga Chriſtianum populum, ut non ſinat eum tanto theſauro, viſibili ſcilicet, altaris Sacrificio unquam penitus ſpoliari. Hæc enim inſeparabiliter connexa ſunt, Eccleſia & Sacrificium viſibile, Lex & Sacerdotium, ſicut dicit Apoſtolus; *Tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt & legis tranſlatio fiat.* Si ergo lex nova, ſeu populus teſtamenti novi duraturus eſt in æternum, utique & Sacrificium & Sacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech in æternum durabit: juxta quod Pſal. dicit; *Iuravit dominus, & non pœnitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Hippolyti cujuſdam ignoti authoritas parvi momenti eſt; publicis Eccleſiæ ſenſibus, & ſcriptoribus magis inhærendum.

In præfat. Miſſarum Græcor. cap. 1. Hebr. 7. Pſal. 109.

Secundum uſum apertè indicat Chriſtus, & Paulus ejus Apoſtolus; *Manducate, & bibite*, & in hoc

Matth. 26. 1. Cor. 11.

Digitized by Google

hoc diſtinguitur à reliquis Sacramentis, quod intimius & perfectius nobis uniatur. Reliquorum enim uſus ſolum ad tactum pertinet, hujus verò ad guſtum & manducationem, ut ſcilicet verus ille animarum cibus Chriſtus ſignificetur, nos ſpiritualiter reficiens ac ſuſtentans, nos ſibi uniens & in ſe transformans, ut ipſe declaravit Ioan. 6. Ex Analogia etiam corporalium ſpiritualia ſignificari voluit: ſumptione illa corporea, ſpiritualem animæ refectionem (quam & ipſa ſignificatione conſequimur) & ſuſtentationem in vita ſpirituali. Tametſi enim panis & vinum ibi non ſint poſt conſecrationem, tamen ſpecies ipſa repræſentantes, & ipſorum virtutem habentes, remanent.

Ioan. 6.
1. Cor. 10.

Panis quē frangimus, inquit Apoſt. *nonne participatio corporis Domini eſt?* Dicit Chryſoſt. potius dicendum communicatio, ſeu communio. *Cur*, inquit, *non dixit participatio? Quoniam voluit amplius ſignificare, & magnam indicare conjunctionem. Non ſolum enim communicamus, eo quòd ſumus participes & ſumimus, ſed etiam eo quòd uniamur.* Eſt autem communio ſumenti: ſumptio autem Euchariſtiæ ſignificat unitatem, qua nos Chriſto unimur, & illam unitatem efficit. Unum ſumus animo per conſenſum, quia idem volumus, idem deſideramus; ſed hoc poteſt etiam fieri ſine communione corporis: corpore autem unum etiam efficimur, quando ſumimus: *Non quod Chriſtus mutetur in nos*, ut fiat iterum mortalis. *Sed*, ut Aug. *nos in illum mutamur*; ex illa enim ſumptione vis remanet, qua fit ut reſurgamus, & ſimiles ei fiamus in immortalitate, ut declarat Cyrill. lib. 4. in Ioan.

Hom. 24. in 1. ad Cor.

Ioan. c. 14. Ideo hoc Sacramentum *commendatur nobis in iis rebus, quæ ex multis unum fiunt*, in pane & vino, ut notat S. Auguſt. ex D. Cypr. ut ſuprà: unum enim nos efficit, non ſolùm inter nos, ſed etiam cum Chriſto; propter unitatem reſurrectionis.

Tract. 26. in Ioan.

Tertiò ſignificatur, quibus id communicandum, nempe iis, qui Abrahæ fidem & obedientiam imitantur. Quanta fides Abrahæ, quanta obedientia. Juſſus exire de terra ſua, & de cognatione, & de domo patris ſui, ſtatim obedivit, *neſciens quò iret*. Promiſſus ei filius in ſenectute, uxore etiam exiſtente ſterili & ſene, *non eſt infirmatus fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, nec emortuā vulvam Saræ; ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere*. Deinde juſſus immolare filium unicum, *in quo acceperat repromiſſiones*, non eſt cunctatus, *arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare poteſt Deus*, & ſic promiſſionem ſuam implere: in quo facto fides & obedientia ſimul elucent; quam ita admiratus eſt Gregor. Nyſſenus, ut hujus hiſtoriæ effigiem ſine lacrymis videre non poſſet.

Geneſ. 12. Heb. 11. Gen. 18. Rom. 4. Geneſ. 22. Heb. 11. Cit. Act. 4. cõc. Nic. 2.

Deinde iis potiſſimùm communicandum, qui contra vitia carnis & mundi, in hac vita fortiter decertant, victoriamque referunt; (dedit enim Melchiſedech Abrahæ & ſociis à certamine redeuntibus, victoriamque reportantibus) ut hoc ſacro cibo honorentur, reficiantur, vireſque reparēt; quo novi recenteſque ad certamen redeant, ac in victoria perſeverent. Diſponunt autem vitam ſpiritualem ad corruptionem, diſtractio animæ, ſecularis occupatio, pericula & tentationes hujus

Geneſ. 14.

vitæ:

vitæ: *Sicut itaque corpus noſtrum in hac vita, ante, illam ſcilicet immutationem*, inquit Aug. *cibo reficitur, quia ſentit diſpendium: ſic & animus, quoniam temporalibus affectionibus, quaſi diſpendium ab intentione Dei patitur; ſpiritali cibo reficiatur oportet.* Lib. 2. de ſerm. Dom. c. 12.

Alterum quo ſignificata eſt Euchariſtia, eſt agnus Paſchalis veteris teſtamenti, quo ſignificatur etiam uterque Euchariſtiæ uſus. Agnus enim ille immolabatur & edebatur: ſic Euchariſtia offertur & ſumitur à populo Dei. 2. Ipſam noſtri Sacramenti ſubſtantiam præfigurat, agnum ſcilicet Dei, cujus ſemel liberati ſanguine ſumus; qui *tanquam agnus ad occiſionem ductus eſt, & coram tondente ſe non aperuit os ſuum.* 3. Demonſtrat, quo fine agnus ſit offerendus; & ſumendus à fidelibus, nempe in memoriam ſingularis beneficii à Deo accepti, videlicet redemptionis humanæ de ſervitute diaboli & peccati, per mortem filii Dei; quomodo ille in memoriam præſtitæ olim ſalutis recolebatur ſingulis annis. Vnde V. Beda: *Finitis Paſcha veteris ſolemniis, quæ in commemorationem antiquæ de Ægypto liberationis agebantur, tranſiit ad novum, quod in ſuæ redemptionis memoriam Eccleſia frequentare deſiderat. Ut videlicet pro carne agni vel ſanguine, ſuæ carnis ſanguiniſque Sacramentum in panis ac vini figura ſubſtituens, ipſum ſe eſſe monſtraret, cui juravit Dominus, & non pœnitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.*

Exod. 12.
1. Petri 1.
Iſaiæ 53.
In cap. 22. Lucæ.
Pſal. 149.

4. Oſtendit, Quomodo hic agnus ſumendus ſit à fidelibus; id enim ritus qui in eſu agni Paſchalis obſervandi erant, adumbrant. 1. Totus edendus erat, quo ſignificatur Chriſtus integra

 fide

Digitized by Google

fide totus ſumendus, ita ut nihil dubitetur de Divinitate ejus, carniſque & animæ veritate, etiam ſub qualibet ſpecie. *Omnis qui ſoluit* IESUM, *ex Deo non eſt*; ſicut & ille facit, qui ſolum corpus exiſtimat contineri ſub ſpecie panis; ſolum ſanguinem ſub ſpecie vini. 2. Non niſi à circumciſis edebatur; ſic Euchariſtia non niſi à baptiſatis. Baptiſmus enim inchoat vitam ſpiritualem, Euchariſtia ſuſtentat & conſervat. Baptiſmus janua eſt, qua in Eccleſiam, & ad alia Sacramenta pervenitur. Nondum enim jus habet ad hanc menſam, qui necdum eſt charactere Dominico in familiam Chriſti adſcriptus, ut docet D. Aug.

Ioan. 4.

Lib. 1. de pec. mer. cap. 20. Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 30. Chryſoſt. Hom. 74. in Matth. 1. Cor. 5. Hom. 60. ad Pop. 1. Cor. 11. Chryſoſt. hom. 17. in ad Heb. Cyril. l. 12. in Ioan. Ierem. 3. Iſaiæ 59.

3. Cum azymis panibus edendus, id eſt, animo & conſcientia pura ab omni malitia. *Eſt panis filiorum*, id eſt, jam Deo reconciliatorum, *non mittendus canibus*, id eſt, guloſis, immundis, invidis, avaris. *Epulemur*, inquit Apoſtolus, *in Azymis ſinceritatis & veritatis.* Omnis dolus, ſimulatio, indignatio, amaritudo, malitia ex animo ponenda. *Inhumanus accedat nemo*, ait Chryſoſt. *nullus crudelis, & immiſericors, nemo prorſus immundus. Unum ſumus*, cum Chriſto & inter nos, *omnes qui de uno pane participamus.* Ad communicaturos clamari ſolet olim à Diaconis, *Sancta, Sanctis.* 4. Cùm lactucis agreſtibus, id eſt, cum contritione, & amaritudine ſpiritus, pro admiſſis peccatis. *Pone tibi amaritudines*, inquit Propheta, id eſt, dole peccata præterita, & deinceps, *dirige cor tuum in viam rectam.* Et alius; *Rugiemus quaſi urſi omnes nos, & quaſi columbæ meditantes gememus.*

5. In una domo, ex qua nihil efferri poterat, id eſt, cum ſumma concordia, in una Eccleſiæ domo,

mo; extra quam Sacramentum hoc efferri non poteſt, nec ſalubriter ſumi. *Quicunque extra hanc domum* (Eccleſiam) *agnum comederit, prophanus eſt*, inquit S. Hieron. *Omnia Sacramenta*, ait D. Auguſtinus, *non ad ſalutem, ſed ad judicium habentur, ſine charitate unitatis*. Et alibi; *Neque fides, neque Sacramenta ullis niſi perſiſtentibus in Eccleſiæ unitate, ſunt ſalutaria*. David ad Chriſtum; *Filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ; quoniam pacifici filii Dei menſam dominicam doctrinæ & Sacramentorum cum unanimitate circumdant, ut quod inde percipitur, nulla diſſenſione violetur*, ait D. Proſp. Hieron. ad Damaſ. Lib 3. cont. Petil. c. 40. De unit. Eccleſ. c. 4. Pſalm. 127. Auguſt. & Proſp. in illum Pſal.

6. Feſtinanter, id eſt, ardenti cupidóque animo hoc Sacramentum ſumendum. In Evangelio dicitur, quod *omnes quærebant eum tangere*, videlicet ob ſanitatem corporalem: ſic nunc cupidè tangendus in Sacramento ob ſanitatem ſpiritualem. *Nos*, inquit D. Cyrill. *ſi vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis in nobis habere deſideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus*. Et S. Chryſoſt. *Nonne videtis*, ait, *quanta promptitudine parvuli papillas rapiant, & quanto impetu labia uberibus infigant? Accedamus cum tanta quoque nos alacritate ad hanc menſam, cùm longè majorem trahamus, tanquam infantes lactanei, Chriſti gratiam*. Fervens deſiderium erga Euchariſtiam exprimit D. Ignatius, dicens; *Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ: panem Dei volo, panem cœleſtem, quæ eſt caro filii Dei; & potum volo ſanguinem illius, quæ eſt charitas incorruptibilis, & vita æterna*. Lib. 4. in Ioan. c. 17. Hom. 60. ad popul. In epiſt. ad Rom.

Poſtremò, oportebat Iudæos manducantes

 agnum,

agnum, renibus eſſe accinctos, habere calceamenta in pedibus, baculos in manibus: ſignificatur, ſi dignè velint ſuſcipere Euchariſtiam, oportere ut ſe tanquam peregrinos gerant, aliò properantes, & aliam, relicto malorum conſortio, patriam inquirentes. De veteribus Patribus ait Paulus; *Confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.* Et obſecrat nos Petrus, *tanquam advenas & peregrinos, abſtinere à carnalibus deſideriis.* Nihil deſiderare eorum quæ hîc ſunt, ſed quærere & ſapere quæ ſurſum ſunt. *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Aquilæ ergo debent eſſe communicantes,* inquit Chryſoſt. *id eſt, ſublimes, perſpicaces, ſolem juſtitiæ aſpicientes, nihil cum terra commune habentes.* Petenti verbum inſtructionis reſpondit Abbas Olympius; *Ne ſedeas cum hæreticis, contine linguam & ventrem, & ubicunque ſederis, dic, Peregrinus ſum.* In hac enim vita non quaſi in patria verſandum, ſed per eam quaſi per quoddam iter tranſeundum ad patriam cœleſtem, cui ſuſpirat peregrinatio populi Dei ab exitu uſque ad reditum.

Heb. 11. 1. Petri 2. Matth. 24. In cap. 11. 1. ad Cor. In Prat. ſpirit. c. 12.

MONITUM LXVI.

Vocatum eſt nomen ejus JESUS.

Luc. 2.

MEdiator Dei & hominum proprio nomine dictus eſt, IESUS; quod nomen factis ejus admodum eſt conveniens. IESUS enim Salvatorem ſonat, ipſe autem unus eſt, *qui ſalvat po-*

pulum

pulum ſuum à peccatis eorum. In veteri teſtamento familiare erat nomina à rebus imponere: Sic Abram vocatus Abraham, quia pater multarum gentium futurus erat; Jacob dictus Iſraël, quaſi contra Deum prævalens: Præcurſor Domini dictus Ioannes, quod gratiam Dei ſignificat, quia ejus annuntiabat authorem: Et Petrus à petra, ob firmitatem in fide, & quia firmum fundamentum Eccleſiæ. Sic IESUS, quia Salvator. Quod nomen etiam Propheta prædixit; *Hoc eſt*, inquit, *nomen quod vocabunt eum, Dominus juſtus, ſive juſtitia noſtra, hoc eſt, juſtificator noſter.* In juſtitia enim conſiſtit hominis beatitudo & ſalus. Unde Apoſtolus; *Regnum Dei eſt juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.*

Matth. 1. Gen. 17. Gen. 32. Luc. 1. Matth. 16. Amb. l. 4. de fide, c. 3. Cyril. in Ioan. lib. 2. cap. 12. Ierem. 23. Rom. 14.

Ergo quando homo incipit juſtè vivere, etiam inchoat ſuum regnum ac ſalutem. Hinc juſti etiam beati dicuntur; perfecta juſtitia erit perfecta ejus beatitudo. Unde D. Aug. *Minor juſtitia facit meritum, major fit præmium; & ideo nobis juſtè vivendum eſt, propter illam videlicet adipiſcendam. Te volo juſtitia & innocentia*, ait idem Auguſt. *pulchra & decora honeſtis luminibus, & inſatiabili ſatietate. Quies eſt apud te valdè, & vita imperturbabilis. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini ſui, & habebit ſe optimè in optimo.* Peccatum omnium malorum noſtrorum eſt cauſa, inquit Auguſt. Qui ergo hominem à peccatis ſaluat, eundem etiam ab omnibus illis malis liberat, quæ ex peccatis proficiſcuntur: Ejus gratia remittit peccata præterita, præſervat à futuris, dat rectam vitæ converſationem, denique perducit ad vitam æternam, ubi peccare non poterimus; ubi omni

Cont. 2. epiſt. Pela. lib. 3. c. 7. De Civit. li. 10. c. 4. Li. 2. Conf. cap. ultimo.

malo carebimus, omni bono abundabimus.

Tres fuerunt in veteri teſtamento perſonæ inſigniores, quæ in typum ac figuram Chriſti idem nomen geſtarunt, ex quibus facilè intelligetur, quomodo Chriſtus nos juſtificet ac ſalvet. Primus fuit Ieſus, filius Syrach, Doctor & magiſter egregius, Auctor libri qui inſcribitur Eccleſiaſticus, qui liber abundat ſalutaribus inſtitutis ac doctrinis, omnibus hominum ſtatibus convenientiſſimis. Quis autem doctor ac magiſter nobilior & excellentior Chriſto Jesu, qui in hac vita agens homines docuit verbis, exemplis, vita, morte, deſcenſu, aſcenſu, oſtendens eis promiſſam patriam, & viam regiam ad illam ducentem.

Pſalm. 15. Unde cum gaudio illi dicitur in Pſal. *Notas mihi feciſti vias vitæ.* Ipſam vitam, quam poſt hanc exſpectamus, & vias, quibus ad eam pervenitur, videlicet, *fidem, humilitatem, manſuetudinem, caſtitatem, charitatem; his enim itineribus pervenitur ad ſalutem,* inquit D. Ambroſ. Hinc ipſe Chriſtus dicit, *ſe prædicare præceptum Domini, à Spiritu ſancto unctum ad Evangeliſandum.* Et Pater cœleſtis hunc Doctorem *vult audiri,* comminans, quod *qui eum non audierit, exterminabitur de populo ſuo.* Atque hoc præ omnibus Doctoribus habet peculiare, quod ita intus ſine ſtrepitu verborum docet hominem ſcientiam, ut ſine ejus doctrina fruſtra cujuſlibet hominis lingua laboret. Unde & ſe *ſolum Magiſtrum* dicit; reliqui enim ſolùm aures foris pulſant, hic autem unus corda intus illuſtrat, ac permovet.

Ambr. Serm. 74. Pſalm. 2. Luc. 4. Matth. 3. & 17. Actor. 3. Matth. 23.

Secundus fuit, Ieſus filius Ioſedech, ſummus ſacerdos, qui vixit eo tempore, quo templum reædifica

ædificabatur poſt captivitatem Babylonicam, quem viditu Zacharias Propheta ſordido habitu ſtantem coram Angelo Domini, & Diabolus ſtabat à dextris ejus, ut adverſaretur ei; deviĉtoque Diabolo, datum eſt ei indumentum honoris & gloriæ; in quo, quomodo Chriſti figuram geſſerit, ſupra dictum eſt. Eſt autem & Chriſtus ſummus Sacerdos, quo Sacerdotio functus eſt, *dum in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia*; dum in omnibus gratias egit Deo patri; dum *ſeipſum tradidit in ara crucis pro peccatis noſtris hoſtiam & oblationem Deo in odorem ſuavitatis. Et ſic per ſanguinem proprium ſemel introiens in ſancta ſanctorum, æternamque redemptionem inveniens, apparet nunc vultui Dei, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* In hoc etiam Sacerdotii ſui exequens officium, quod per Vicarios Sacerdotes in Catholica Eccleſia, non deſinit ritu ſimili cum Melchiſedech offerre carnem ſuam & ſanguinem. Hoc Sacerdotis munus eſt, preces, laudes, & hoſtias Deo offerre.

Zachar. 9. Monito 6. Pſal. 109. Hebr. 5. Epheſ. 5. Hebr. 9. Amb. l. 4. Offic. c. 48. Auguſt. in pſalm. 109. verſu, Tu es Sacerd. & de Civit. l. 10. cap. 20.

Tertius (qui ſi tempus ſpectes, primo loco nominari debebat) dictus eſt IESUS, miniſter & ſucceſſor Moyſis, Oſeæ, filius Nun, præcipuus dux populi Iſraël in terram promiſſam, & unus ex illis, qui terram promiſſionis explorarunt, & ſolus cum Caleb ex tot centenis millibus ingreſſus eſt. Hic ergo hoſtes debellando, populum Iſraëliticum in terram ſanctam introduxit, & unicuique Tribui ſuum ad habitandum locum aſſignavit. Quemadmodum Chriſtus tanquam bellator fortis pro nobis pugnavit, *& fortem armatum*

Num. 13. Num. 13. Luc. 11.

Digitized by Google

qui nos captivos tenebat, alligavit, noſque ex ejus poteſtate eripuit; & contra eum, mundumque & noſtram concupiſcentiam, pugnare nos & vincere facit, in omnibus nos dirigens & protegens; ac poſtremò in terram promiſſionis ſanctam introducet, ibique electis ſingulis ſuam dabit manſionem; ſibi autem rebelles *mittet in caminum ignis, quando & noviſſimum inimicum à nobis excludet mortem*, & in æterna pace ſuper omnia regnabit. Hi ergo tres typum Chriſti geſſerunt, qui fuit Magiſter egregius, per cujus doctrinam ſumus illuminati; Sacerdos ſummus, per cujus Sacerdotium ſumus à peccatis expiati; verus rex ac princeps, per cujus regnum ſumus contra tentationes invicti, & in bono perſiſtentes.

Leo Ser. 2. de Anniverſar. ſui Pontif.

Matth. 13. 1. Cor. 15.

Ac ut paucis cum D. Petro dicam, *Non eſt in alio aliquo ſalus; nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Quod ex illo tempore valet ad ſalvandum genus humanum*, inquit S. Aug. *ex quo in Adam vitiatum eſt genus humanum*. Hinc, *ſe viam appellat & oſtium; quia nemo venit ad Patrem*, inquit, *niſi per me*. Et, *per me ſi quis introierit, ſalvabitur*. Unde ab initio ſemper mandavit Deus hominibus fidem Salvatoris, ſemperque hominibus hæc fides aliquo Sacramento eſt commendata. Et ſicut nos ſaluamur fide Chriſti, quia cum credimus pro noſtra ſalute incarnatum, mortuum, & reſurrexiſſe; ita veteres per eandem fidem Chriſti, qua eum venturum in carne, moriturum, ac reſurrecturum pro ſalute hominum credebant: habentes Sacramenta pro ratione temporum à noſtris diverſa. Unde

Actor. 4.

Epiſt. 157. Joan. 10. & 14. Cont. Iul. lib. 5. c. 9.

Lib. 2. de pec. merit. cap. 29 de grat. & cap. 44.

D. Leo,

D.Leo, *Hoc magnum pietatis Sacramentum*, ait, *tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, ut non minùs adepti ſint, qui in illud credidere promiſſum, quàm qui ſuſcepere donatum. Per Sapientiam* (id eſt, Chriſtum incarnatum) *ſanati ſunt, quicunque tibi placuerunt à principio, Domine,* ait Sapiens. *Ipſa etiam primum hominem cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo,* inquit idem. Unde & D.Aug. *Primi parentes*, inquit, *poſtea juſtè vivendo, meritò creduntur per Chriſti ſanguinem ab extremo ſupplicio liberati.* Serm.31. de Nat. Sap.9. Sap.10. Epiſt.99. ad Evod. & de pec. mer.lib.2. cap.34.

Præceperat Deus primo homini, ut non comederet de arbore quadam, quæ ex eo quod Diabolus pollicitus eſt, & poſtea non evenit, ſcientiæ boni & mali arbor dicta eſt. In quo præcepto obedientia commendata eſt, prohibendo à ligno non malo. Debebat etiam primus homo ſumere de arbore vitæ, *propterea ne mors ei undecunque ſubreperet, vel ſenectute confectus, decurſis temporum ſpatiis interiret, tanquam cetera ligna alimento eſſent, illud Sacramēto. Ut ſic fuiſſe accipiatur lignum vitæ, in paradiſo corporali, ſicut in ſpiritali, id eſt, intelligibili paradiſo Sapientia Dei, de qua ſcriptum eſt. Lignum vitæ eſt amplectentibus eam.* Poſt lapſum autem loco præcepti de abſtinendo à ligno ſcientiæ boni & mali, ei mandatur, ut abſtineat à propriæ voluntatis arbitrio; quod diabolus perſuadet eſſe lignum ſcientiæ boni & mali, ſuadetque *ut ad arborem propriæ voluntatis manum præſumptionis extendat.* Loco verò præcepti de ſumendo ex ligno vitæ, ſucceſſit præceptum Dei, ut adhæreatur Chriſto crucifixo, *qui eſt lignum vitæ eum ſumentibus*, etſi conetur diabolus perſuadere eſſe lignum ſtultitiæ propter ignominiam crucis. Geneſ.1. Geneſ.2. De Civit. l.13.c.20. De peccat. mer.lib.2. cap.21. Prov.3. Proſp. ad Demetria. Prov.3. 1.Cor.1.

Digitized by Google

Sicut igitur abſtinendo à ligno ſcientiæ boni & mali, & ſumendo de ligno vitæ, manſiſſet homo in primo honore & dominio: ita & nunc abſtinendo à propriæ voluntatis arbitrio, & adhærendo Chriſto crucifixo, ad priſtinam dignitatem revertitur. *Quærebam*, inquit Auguſt. *viam comparandi roboris, quod eſſet idoneum ad fruendum te: nec inveniebam, donec amplecterer Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum* JESUM, *vocantem & dicentem; Ego ſum via, veritas, & vita. Et cibum cui capiendo invalidus eram, miſcentem carni, quoniam Verbum Caro factum eſt, ut infantia noſtræ lacteſceret ſapientia tua, per quam creaſti omnia.* Cùm enim per infirmitatem nimiam, cibum ſuum id eſt, inviſibilem ſummumque Deum, capere non poſſet homo, ſolidiorque eſſet ille cibus, quàm ut noſtræ infantiæ, ſeu potiùs ægritudini conveniret; quiddam nobis de Majeſtate ſua, & infirmitate noſtra temperavit Deus, ut quod cibus eſſet, medicamenti quoque rationem haberet, ad educendum venenum antiqui ſerpentis inſtillatione collectum & hauſtum, ex quo cibi noſtri faſtidio tenebamur.

Li.7. Conf. cap.18
1.Tim.2.
Ioan.14.
Ioan.1.
Vide de Nat. & grat.c.20.

Præter eam ergo notitiam, quam tum de ſeipſo, tum de reparatore Deo habere quiſque tenetur, ad quam pertinet ut vitium quiſque ſuum agnoſcat, ſeque humiliet ſub potenti manu Dei, requiritur alia notitia ex ordinatione poſitiva Dei, in qua propriè via poſita eſt, qua ad juſtitiam redeatur. Hæc autem eſt, qua non ſolum credatur ſolus poſſe Deus naturam reparare, verùm etiam velle & conſtituiſſe per Mediatorem ſuo tempore exhibendum. Hoc niſi cognoſcatur, inſuffi-

1.Pet.5.
Vide Leſ. l. 4. de fide.

cienter inſtructus eſt animus, qui dicat Deo, *Domine, miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi.* Nunquam enim hoc naturæ lex docet, ſed poſitiva Divinæ miſerationis conſtitutio; quæ niſi dignatione Dei manifeſtaretur hominibus, nota eſſe non poſſet, atque excuſabiliter neſciretur: quanquam inexcuſabiliter qui eam neſciret, damnaretur, non propterea quod illam ignoraret, ſed quod ignorata illa, in vitiis ſuis, & in pravitate ſua remaneret. Pſal. 40.

Ut igitur reparari homines poſſent, ſtatim à principio prænuntiatum eſt ſtatuiſſe Deum, lapſum hominum genus erigere, & hoc per eum quem miſſurus eſſet aliquando. Serpenti enim dictum eſt de ſemine mulieris; *Ipſum conteret caput tuum:* poſtea ad Abraham eadem eſt renovata promiſſio, *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes:* poſteà ad David: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Acceſſerunt huc & ſacrificia, quibus jam inde à principio fideles uſi ſunt, ad ſignificandum illud ſacrificium, quo uno omnia peccata delentur. Geneſ. 3. Geneſ. 22. Pſal. 131.

MONITUM LXVII.

Ubi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum?

Matthæi 2.

A*Gnoſcamus*, inquit S. Leo, *in Magis adoratoribus Chriſti, vocationis noſtræ, fideique primitias; & exultantibus animis, beatæ ſpei initia celebremus.* Serm. 2. de Epiphan.

bremus. Exinde enim in æternam hæreditatem cœpimus introire: exinde nobis Chriſtum loquentia Scripturarũ arcana patuerunt. Et veritas quam Iudæorum obcæcatio non recepit, omnibus nationibus lumen ſuũ invexit. Honoretur itaque dies ſacratiſſimus à nobis, in quo ſalutis noſtræ auctor apparuit, & quem Magi infantem venerati ſunt in cunabulis, nos omnipotentē adoremus in cœlis. Ita Leo. Quod autem adventu iſtorũ Regũ vocatio gentium ad Chriſtum expreſſa fuerit, ſolēniſſimè feſtum hoc Patres celebrare ſolent, ut homiliæ de ea re innumeræ teſtãtur, adeò ut extraneus prorſus à Chriſtiana Religione videretur, qui tantæ ejus diei celebritati non interfuiſſet. Unde de Iuliano Apoſtata Ammianus tradit, quod licèt clam dæmonibus immolaret, tamē ne detegeretur, quod erat Idolorum cultor, voluit ſuam præſentiam exhibere his feriis, quas inquit Chriſtiani celebrantes menſe Ianuario, Epiphaniam dictitant. Eadem de Valente Imperatore teſtatur Greg. Nazian.

Ammian. lib. 21.

Orat. in funere Baſilii.

Inſcrutabile autem nobis eſt, cur anterioribus ſeculis dimiſſæ ſint gentes ingredi vias ſuas, uno Iſraële excepto, qui Divinis eloquiis erudiebatur, inquit D. Proſp. *Non meliores fuiſſe eorum poſteros poſſumus dicere, quibus jam cœleſtis doctrinæ annuntiatio coruſcavit, de quibus ſcriptum eſt. Populus gentium qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam,* &c. Et, *Vocavit vos de tenebris in admirabile lumen ſuum. Non ergo meritis minorum tribuitur, quod non meruere majores. Par enim impietas, & patres accuſabat & filios; eademque ignorantiæ cæcitas omnes ſimul in eodem mergebat errore. Sed cur illorum non miſertus, & horum miſertus ſit Deus, latet diſcretionis iſta ratio, ſed non latet ipſa diſcretio; non intelligimus judicantem*

De voc. gent. lib. 1. cap. 15.
Matth. 4.
1. Petri 2.

tem, ſed videmus operantem. Non calumnientur juſtitiæ occultæ, ſed gratias agamus miſericordiæ manifeſtæ. Hucuſque Proſp.

Multa autem in iſtis Magis conſideranda ſunt, & à nobis imitanda. Primùm, quod diligenter obſervarint ſtellam, quæ eos nati regis admonebat, ejuſque ductum ſint ſecuti. Sic quiſque diligenter obſervet ac ſequatur ſignum, quo Deus eum monet, ac ad ſe trahit; non obſurdeſcat ad vocem Domini, quam intus vel foris loquitur, per morbum, vel aliam tribulationem, per prædicationem, lectionem ſacram, timorem incuſſum, remorſum conſcientiæ, inſpirationem bonam, &c. *Loquitur Deus,* inquit D. Aug. *in conſcientia cujuſlibet animæ, quantumcunque perverſæ, quæ tamen ullo modo ratiocinari poteſt. Nam approbare quod bene facit, improbare quod malè, non poteſt, niſi clamante veritate.* Et Iſaias Propheta: *Audient,* inquit, *aures tuæ verbum poſt tergum monentis. Homo Deo terga vertit,* ait Greg. *cùm ſuperbiens Dei juſſa contemnit; ſed Deus ſuperbientem non deſerit, ſed poſt tergum ſtans nos admonet, quia ad recuperationem nos gratiæ etiam contemptus vocat.* Monet Apoſt. *Spiritum,* id eſt, bonam Spiritus S. ſuggeſtionem, *nolite extinguere.* Et, *Adverſus Domini vocem nolite obdurare corda veſtra.* Increpantur impii; *Vocavi, & renuiſtis. Vos ſemper reſiſtitis ſpiritui Sancto. Percuſſi eos, & non doluerunt. Non ſunt reverſi ad percutientem ſe.*

Lib. 2. de Ser. Dom. in monte.
Iſaiæ 30.
Gregor. in Paſt. part. 3. admon. 29.
1. Theſſ. 5.
Pſalm. 54.
Prov. 1.
Actor. 7.
Iſaiæ 9.

Deinde præter ſtellam, etiam Scribarum & Sapientum teſtimonia audierunt & ſecuti ſunt. *Sic bonum eſt,* inq. Hier. *obedire majoribus, parere perfectis; & poſt regulas Scripturarum vitæ ſuæ tramitem ab aliis diſcere, nec præceptore uti peſſimo, ſcilicet*

In epiſt. ad Demetria.

Digitized by Google

præſumptione ſua. Unde & Ruſtico ſuadet, petenti ab eo vitæ modum, *ut viveret in cõſortio ſanctorum, ſub unius diſciplina patris, ne ſe ipſe doceret, & abſque doctore iniret viam, quam nunquam eſſet ingreſſus, ſicque facilè pateret errori.* Et Aug. in ſua converſione, ut inſtrueretur in via Domini, quis vitæ modus aptus eſſet ſic affecto, ut ipſe erat, *Simplicianum acceſſit, in quo lucebat gratia Dei, & in ſtudio ſectandæ vitæ bonæ multa expertus erat, quia ab ineunte ætate devotiſſimè Deo ſervierat.* Unde monet Sapiens: *In multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & ſapientia illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei poſſis audire. Et ſi videris ſenſatum, evigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* Et rurſum; *Ne deſpicias narrationem presbyterorum, & in Proverbiis eorum converſare; ab ipſis enim diſces ſapientiam, & doctrinam intellectus.*

In epiſt. ad Ruſt. — Lib. 8. Conf. c. 1. — Eccleſ. 6. — Eccleſ. 8.

Tertiò, Magi in quærendo Salvatore, non horruerunt difficultates ac moleſtias itinerum ex tam remotis locis. Sic ſedulus quiſque ac diligens eſſe debet in quærenda virtute, curanda ſalute, non horrere difficultates, ac moleſtias laborum & tentationum. Multos retrahit ab ingreſſu viæ Domini, & virtutum profectu, horror difficultatis, ſeu labor certaminis. *Qui enim ad meliora nititur, quaſi contra ictum fluminis conatur*; ergo labore opus eſt, alioquin ſtatim retrolabitur. Sic de pigro dicit Sapiens, *Propter frigus piger arare noluit,* id eſt, propter aliquam virtutis aſperitatem, noluit bene agere. Sed quod inde malum ſequetur? *mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei.* Patet in divite epulone, & fatuis virginibus. *Erubeſce Sidon,* ait mare. *Et ſi cauſã quæris, audi quare. Pro modica*

Greg. Mor. l. 11. c. 27. 28. — Luc. 16. — Matth. 25. — Iſaiæ 23. — Vide Greg.

præ-

præbenda longa via curritur, & pro æterna vita vix à multis pes ſemel à terra levatur. Vile pretium quæritur, pro uno numiſmate interdum turpiter litigatur; & pro vana re, & parva promiſſione, diu noctuque fatigari non timetur. Sed, proh dolor, pro bono incommutabili, pro præmio ineſtimabili, pro ſummo honore & gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubeſce ergo ſerve piger & queruloſe, quòd illi paratiores ſint ad perditionem, quàm tu ad vitam. Gaudent illi amplius ad vanitatem, quàm tu ad veritatem. in Paſt. part. 3. adm. 24. Tho. Kem. lib. 3. c. 3. de Imitat.

Multi, inq. Aug. *multa patiuntur propter pecuniam perituram, & tu non vis pati propter vitam manſuram? Sic recuſas laborare pro Dei promiſſis, quaſi non laborares pro cupiditatibus tuis. Quanta patiuntur pro ſua iniquitate latrones, quanta pro ſua nequitia luxurioſi, pro ſua avaritia negotiatores mare tranſmeantes*, &c. Pelagiam conſpicatus valdè comptam Nonnus, inquit; *Quantum temporis hæc expendit, ut ornet ſe, ad placendum oculis hominum, & ego quàm parum, ut oculis Dei?* Et Pambo fœminam quandam exquiſitiſſimè comptam cernés, fuſè lachrymatus eſt: rogantibus cauſam, reſpondit, *ſe flere mulieris iſtius perditionem; deinde, quod nondum ita laboraſſet, ut placeret Deo, quantum illa, ut placeret mundo; non tantum pro ſua ſalute, quantum illa pro ſua & aliorum perditione.* Eſt dictum Thomæ Mori illuſtris Martyris; *Quam multi in hoc ſeculo eo labore infernum lucrantur, cujus vel dimidio cœlum lucrati eſſent.* Serm. 34. in Nou. Surius in Vita. Lib. 9. c. 1. Hiſtor. Trip. In vita.

Quartò, notanda eſt illorum fides maxima, quam non impedivit aut turbavit infirmitas pueri, paupertas matris, vilitas tugurij; quia *aliud videbant,*

Lib.2. de Trinit. *debant*, inquit S.Hilar. *aliud intelligebant; aliud loculis, alud animo conſpiciebant; pauperem infantuli matrem videbant, partum à Deo credebant; videbant infantem vagientem, & vilibus pannis involutum; Deum credebant, & proteſtabantur adoratione, & munerum exhibitione: Pulcherrimè munerum Sacramenta Iuvencus Presbyter unò verſiculo comprehendit*, ait D.Hieron.

In cap.2. Matth. *Aurum, thus, myrrham, règique, hominique, Deoque*
Dona ferunt.

Non eum imperantem dæmonibus, non mortuos ſuſcitantem; non cæcis viſum, aut claudis greſſum, aut mutis eloquium reformantem, vel in aliqua Divinarum virtutum actione viderunt, ait D.Leo: *ſed puerum ſilentem, quietum, & ſub matris ſollicitudine conſtitutum; in quo nullum quidem appareret de poteſtate ſignum; ſed magnum præbetur de humilitate miraculum.* Ita & nos in myſteriis fidei, aliud videmus, aliud intelligimus; aliud oculis, aliud animo conſpicimus, ut in Euchariſtia; Formam panis videmus, carnem Chriſti eſſe credimus; vilis apparet nobis elementi ſpecies, Dei filium adoramus. Sic in baptiſmo aqua elementaris cernitur, gratia Spiritus adeſſe creditur; *corpus tangitur, cor ablui* non dubitatur. Audi Chryſoſtom. ad adorationem Euchariſtiæ, in qua Chriſti corpus eſſe credimus, ita exemplo Magorum nos exhortantem; *Hoc corpus in præſepi reveriti ſunt Magi. Imitemur ſaltem hos Barbaros, qui cœlorum cives ſumus. Illi enim cùm id præſepe tantum & tugurium viderunt, ſumma acceſſerunt reverentia & honore. Tu verò non in præſepi id, ſed in altari; non mulierem quæ in ulnis teneat,*

Serm.7. de Epipha.

Aug. tract. 8. in Ioan. Hom. 14. in 1. ad Corint.

neat, ſed Sacerdotem præſentem ; & ſpiritum ſuperabundè, ſuper propoſito diffuſum ſacrificio, vides.

Quintò, imitandi ſunt Magi in oblatione; offerendum enim à nobis Deo, thus orationis, aurum dilectionis, myrrha mortificationis. Deinde in *oblatione ſeu ſacrificio tria conſideranda*; monet D. Aug. *Quid, cui, & ubi offeras.* Debet homo offerre ſeipſum & omnia ſua. Idque Deo. *Reddite quæ Dei, Deo. Imago Dei reddatur Deo. Totum exigit, qui totum fecit & dedit.* Dictum eſt Cain, *non rectè dividis*, & conqueritur Deus, *Multiplicavi eis aurum & argentum, quæ fecerunt Baal*: & deplorat Aug. *Non inde ſacrificabam tibi.* Tertiò, offerre debet in Eccleſia, *extra quam*, inq. S. Proſp. *viri ſacrificii* (boni operis) *non eſt locus. Sola eſt Eccleſia*, ait Greg. *in qua opus bonum fructuoſè peragitur.* Et D. Hier. Virginem Euſtochium exhortans ad opera bona, *Univerſa hæc*, inquit, *tunc proſunt, cùm in Eccleſia fiunt.* Etiam Martyrium pro Chriſti nomine ſuſceptum, extra Eccleſiam Deo non placet; nec prodeſt homini, uti aiunt Cypr. & Auguſt. Denique varia in Scripturis recitantur ſacrificia Deo grata, omnibus Chriſtianis communia. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, ait Propheta. Et *Dirigatur, Domine, oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Et, *Immola Deo ſacrificium laudis.* Et, *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ.* Et Apoſt. *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Et, *Beneficentiæ & communionis nolite oblivíſci; talibus enim hoſtiis promeretur Deus.*

[Margin: De his vide p. 1. Mon 26. — Sent. 15. — Matth. 22. — Gen. 4. iuxta 70. — Oſeæ 2. — Aug. lib. 4. Conf. c. ult. — Sent. 15. — Lib. 35. Moral. c. 6. — In epiſt. ad Euſtoch. — Cypr. de Vnit. Eccl. — Auguſt. epiſt. 204. — Pſalm. 50. — Pſalm. 140. — Pſalm. 49. — Pſalm. 4. — Rom. 12. — Hebr. 13. — In Paſtor.]

Poſtremò, Magi *per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam*; ſic & nos facere oportet. *Voluptatibus delectati diſceſſimus*, ait D. Greg. *rurſum fletibus*

amaricati redeamus; per illicita deſluendo cecidimus, etiam à licitis nos reſtringendo ſurgamus. Quod vana lætitia in cor infuderat, ſalubris triſtitia exurat; & quod vulneraverat elatio ſuperbiæ, curet abjectio Serm. 109. in Nov. *humilis vitæ*. Sic & S. Aug. *Dulce peccatum eſt, per amaritudinem ergo tribulationis pernitioſa dulcedo digeratur. Delectabat te malum quando feciſti, ſed inc idiſti in infirmitatẽ faciendo. A contrario medicina eſt, facit tibi ad tempus dolorem, ut recipias perpe-* Serm. 3. de Epiphan. *tuam ſanitatem. Oportebat*, inquit D. Leo, *ut in Chriſtum credentes, non per antiquas converſationis ſemitas ambularent, ſed novam ingreſſi viam à relictis erroribus abſtinerent.*

Deinde per Ieruſalem ad Chriſtum itur, id eſt, per legem, quæ ibi vigebat, quia *pædagogus eſt ad* Galat. 3. *Chriſtum*. Dum enim homini oſtendit ſuum mor- Aug. Serm. 14. de verb. Apoſt. bum, ſive peccatum, nec ſanat, ſatis oſtendit alium eſſe medicum quærendum, nempe Salvatorem. Epiſt. 144. Quando autem quis ad Chriſtum venit, non de- Rom. 6. bet ad legem redire, in ea ſpem ponere: *Mortifi-* Pſalm. 90. *cati eſtis legi*, id eſt, lex vobis mortua eſt, *per corpus Chriſti*, id eſt, quando facti eſtis de corpore, Cant. 8. ſeu Eccleſia Chriſti, quæ *habitat in adjutorio altiſſimi*, & innititur dilecto ſuo, & cum Apoſtolo di- Galat. 5. cit, *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri* IESU *Chriſti*.

MONI

MONITUM LXVIII.

JESUS *proficiebat Sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.*

Luc. 2.

NEmo exiſtimet in Chriſto infante fuiſſe illam ignorantiam, quam videmus in parvulis Adæ filiis, qui nec Deum, nec parentes ſuos norunt: Nec illam animi infirmitatem, per quam motibus irrationabilibus perturbantur, ita ut nulla ratione, nullo imperio cohiberi poſſint. Certè D. Ambroſ. *non audet alicujus rei ignorationem Christo tribuere ſecundum humanam naturam.* Et S. Auguſt. *Quam planè ignorantiam* (miſerabilem ſcilicet, qualis communiter eſt in cunctis infantibus) *nullo modo crediderim fuiſſe,* inquit, *in infante illo, in quo Verbum caro factum eſt, ut habitaret in nobis: nec illam ipſius animi infirmitatem Chriſto parvo fuerim ſuſpicatus, quam videmus in parvulis.* Ab initio conceptionis fuit *plenus ſapientia, plenus gratia; fuerunt in eo abſconditi omnes theſauri Sapientiæ & ſcientiæ Dei,* perfectiſſimus in omni virtute, juſtitia, charitate. *Non*, ait S. Ioan. *dat Deus ad menſuram ſpiritum,* ſcilicet filio: cæteris dat ad menſuram & temporis, quia uno tempore dat, & non alio; nunc homo ſcit bene agere, nunc neſcit; nunc delectatur, nunc non delectatur: & quantitatis, quia uni datur fides, alii prophetia; uni datur ſermo ſapientiæ, alteri ſermo ſcientiæ, *&c.* & ea quæ dantur,

Lib. 5. ad Gratia. Auguſt. cap. 8. De peccat. merit. li. 1. cap. 36. & lib. 2. c. 29.

Ioan. 1. Luc. 2. Coloſſ. 2.

Ioan. 3. Aug. lib. 1. Retract. cap. 19. & Fulg. q. 3.

1. Cor. 12.

Digitized by Google

nondum in ſua perfectione habentur; *unicuique datur gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.*

Epheſ.4. Fulg. quæſt.3.

Eſt quæſtio apud D. Fulgentium, an Chriſtus ſecundum humanam naturam perfectè cognoverit Divinitatem? Et reſpondet, quod tantum viderit de Divinitate, quantum ipſe Deus, ſed non ſicut Deus, non tam perfectè, nec clarè; quia ſcientia Dei eſt ipſe Deus, non ſcientia animæ Chriſti. Unde ſequitur, quod ſcientia Dei tanta eſt, quantus ipſe Deus, non autem ſcientia animæ Chriſti, ſed diſtat infinito intervallo. *Hac maximè proprietate*, inquit D. Aug. *diſtat Chriſtus à cæteris, quod lucem liquidiſſimam Verbi Dei, ubi Trinitatis æqualitas & incommutabilitas videri poteſt, perſpicuè cernebat.*

De Conf. Evang. li.2. cap.ult.

Homil.2. ſup. Miſſus eſt.

Quomodo ergo dicitur in Evangelio, quod proficiebat ſapientia, & gratia: cum & D. Bern. dicat, quod *eadem illi fuerit ſapientia in utero, eadem in præſepio, eadem in templo, eadem in populo?* Non quod intus creverit ſapientia & gratia; ſed quod illam interiorem animæ ſapientiam & gratiam, in dies magis ac magis videndam exhibebat, ac manifeſtabat. Dandum enim erat aliquid naturæ noſtræ motibus, ait S. Hier. ne aliquid extraneum à videntibus reputaretur. In minori ergo ætate minora, in majori ætate majora opera & gratioſiora faciebat, non ſolum judicio hominum, quorum ſaluti conſulebat, ſed & Dei, cujus gloriam illuſtrabat. Sicut paſſio ejus & mors pro ſalute hominum ſuſcepta, majus & gratius opus fuit Deo, & magis meritorium, quàm jejunium, &c. Nec tamen ideo Chriſtus melior factus eſt, quia

meliora opera fecit; uti nec Deus melior fit melioribus operibus faciendis. Ætate revera crevit; nec inde quicquam gloriæ Divinæ derogatur, ut prætendebat Neſtorius; unde & dicebat, Nunquam bimeſtrem aut trimeſtrem appellabo Deum. Sed in eo ſupra modum admirabilem bonitatem ſuam oſtendit, quod ſecundum naturam humanam, quam in tempore ab homine & pro homine ſuſcepit æternus Deus, ætatis incrementa more aliorum hominum ſumere dignatus eſt.

In actio. Conc. Chalced.

Datur ergo hic exemplum quotidie proficiendi. Cum ætate enim hominis creſcere debet ejus Sapientia, charitas, humilitas, manſuetudo, & cæteræ virtutes. Sed in multis locum habet, quod Auguſtinus de ſe adhuc à Deo & pietate alieno dicebat; *Quo ætate major, eo vanitate turpior.* Ac de Religioſis tepidis & negligentibus dicit Kempenſ. *Multi computant annos converſionis, & ſæpè parvus eſt fructus emendationis. Creſcite,* ait S. Petrus, *in gratia & cognitione Domini.* Et D. Paulus, *Ambulate in dilectione*, id eſt, in ea progreſſum & profectum facite. Et ipſe, *Priorum obliviſcitur, in anteriora ſe extendit.* Sic D. Antonius, ut de eo refert D. Athanaſ. *Semper tanquam in initiis conſtitutus, ſeipſum ad profectum concitabat, novis cupiens augeri præterita, memor Paulinæ ſententiæ jam dictæ.* Et diſcipulos petentes ab eo aliquod vitæ præceptum, ita admonebat; *Nullus in arrepti propoſiti vigore laſſeſcat, ſed quaſi incipiens augeat ſemper quod cœperit.* Idque cum ſæpè aliàs inculcavit, tum verò extremo in ſpiritu, quaſi teſtamento, legavit his verbis; *Ego*

Li.7. Conf. cap.1.

Lib.1.cap 11.& 33. de Imitat.

2.Petri 3.

Epheſ.5.

Philip.3.

Athanaſ.in vita.

quidem filioli, patrum gradior viam; jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cœleſtia: ſed, ò viſcera mea, admonco, ne tanti temporis laborem repentè perdatis; hodie vos religioſum ſtudium accepiſſe arbitramini, & cœpta voluntatis fortitudo ſuccreſcat.

Pſalm. 83. *Beatus vir,* ait Propheta ad Dominum, *cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Beatus qui adjuvatur à Domino, quia ſine ejus auxilio nihil poteſt facere; in eo autem poteſt omnia. *Et nullum tempus eſt,* ait Proſp. *nullumque momentum, quod homini pernitioſum non ſit, ſi ab eo defuerit ejus auxilium.* Hinc illa frequens & quotidiana Eccleſiæ oratio, *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina:* Significans naturæ noſtræ infirmitatem, & Divinæ gratiæ neceſſitatem. *Quid enim mihi ſum ſine te,* ait Aug. ad Dominum, *niſi dux in præceps? nihil habens in propriis viribus niſi periculi facilitatem.* In Timæo Platoni placet, *in minimis quoque rebus Divinum auxilium implorari debere,* inquit Boëth.

Joan. 15. Philip. 4. Proſp. ad Demetria. pſalm. 69. Lib. 4. Conf. ca. 1. proſp. de voc. gent. lib. 1. ca. 6. pſalm 83. De conſolat. lib 3. proſ. 9.

Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. Significatur profectus virtutum, qui quidem duobus potiſſimùm modis fit. 1. Si homo de virtute eat in virtutem; fit enim ſæpè, ut homo etiam pius unum opus faciat benè, in alio deficiat; hoc ergo quod adhuc illi deeſt, acquirere ſtudeat. 2. Si eas quas fortè habet virtutes, ſolidiores, firmiores, & auctiores efficere laboret, *ut poſſit reſiſtere in die malo.* Sæpe enim accidit, ut habeat homo aliquam patientiam, ſed ſi major occurrat tribulatio, facilè frangitur: det ergo operam, ut magnam habeat patientiam, quæ quaſvis poſſit tribulationes ſuſtinere.

Epheſ. 6.

nere. Sic etiam habet quis caſtitatem, ſed ſi fortè accidat tentatio aliqua impudicitiæ gravior, ſuccumbit; laboret ergo talis, ut tam magnam habeat caſtitatem, ut poſſit graviores etiam tentationes ſuperare,& ſic in cæteris.

Fiunt autem iſtæ aſcenſiones non greſſibus corporis, ſed affectibus mentis: hinc dicitur, *in corde ſuo.Fiunt,*inquit Aug.*amando.Amando āſcende,quantò plus amaveris, tantò plus aſcendes. Perfecta charitas,* ait idem Aug.*hæc eſt,ut quis paratus ſit mori pro fratribus.Sed nunquid mox ut naſcitur,jam perfecta eſt? imò ut perficiatur,naſcitur;cùm fuerit nata,nutritur; cùm fuerit nutrita,roboratur; cùm fuerit roborata,perficitur;cùm ad perfectionem venerit, dicit, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* August. in pſalm.83. Tract. 5. in Canon. Ioan.

Sed ubi fiunt iſtæ aſcenſiones? addit Propheta, *in valle lachrymarum.* Hic ploratur,ubi ſeminatur. *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua.* Vita enim humana quam ingreſſi ſumus, miſera eſt, laboribus plena, doloribus, periculis, ærumnis, tentationibus. *Nolite,*ait Aug.*ſeduci gaudio rerum humanarū,flenda in rebus humanis advertite.Poterat ridere prius puer qui naſcitur:quare à fletu incipit vivere? Primā vocē ſimilem omnibus emiſi plorans,* ait Sapiens.*Ridere nondū novit puer,quare plorare jam novit? quia cœpit ire in iſtā vitam.Infans à fletu orditur vitam,* (inquit alibi) *quid malorum ingreſſus ſit neſciens,prophetat quodammodo.Solum quando natus eſt, riſiſſe ferunt Zoroaſtem,nec ei boni aliquid monſtroſus ille riſus portendit; à Nino quippe rege Aſſyriorum ſuperatus eſt, cùm ipſe eſſet Bactrianorum.* Philip. 1. Pſalm.83. Pſalm.125. Auguſt.in hunc pſal. Sapient.7. De Civit. lib.21.ca. 14.

Sequitur in Pſalmo: *In loco,*ſive,*ad locum quem poſuit*; intelligit autem paradiſum cœleſtem, cu-

jus bona, opes, gaudia, quia exprimere non vale-
2.Cor.12. bat, dicit ad locum quem poſuit. Unde & Paulus raptus in paradiſum audivit arcana verba quæ non licet homini loqui, id eſt, quæ verbis non poterat
Iſai.64. exprimere. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in*
1.Cor.12. *cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus dili-*
Philip.4. *gentibus ſe. Et pax Dei quæ exſuperat omnem ſenſum,*
Aug.Ench. etiam Angelicum, inquit D.Auguſt.
63.
epiſt.112.
cap.9. Multa autem ſunt utilia, ac neceſſaria, ut cha-
De Civit. ritas proficiat, & proficiendo ad perfectionem
li.22.c.29. perveniat. Primum eſt, magnum deſiderium pro-
epiſt.72. ficiendi. *Magna enim pars profectus eſt*, ait Seneca, *velle proficere*. Noſtrum non progredi, jam reverti eſt, inquit Auguſtinus: Ceſſet omnis ignavia, ſi
Serm.2.de volumus non redire, currendum eſt. *Incidunt defi-*
Quadrag. *ciendi periculum*, ait D. Leo, *quæ proficiendi per-*
epiſt.255. *diderunt appetitum*. Et S. Bernard. *Indefeſſum*, inquit, *proficiendi ſtudium, & jugis conatus ad perfe- ctionem, perfectio reputatur*. Quod ſi ſtudere perfe- ctioni, eſt eſſe perfectum, profectò nolle proficere, deficere eſt.

Secundò, ut homo in charitate proficiat, debet abſtrahere amorem ab inferioribus creaturis, & ad unum Deum convertere. Solent abſcindi rami arboris inferius, ut ſuperius totum ſuum ſumat incremẽtum. *Minus te, Domine, amat, qui aliquid te-*
Li.10.Conf. *cum amat, quòd non propter te amat*, ait Aug. Qui &
cap.29. alibi deplorat; *Ab uno te averſus in multa evanui:*
Lib 2.c.1. *exarſi enim aliquando ſatiari in inferis, & ſilveſcere*
Li.10.Conf. *auſus ſum variis & umbroſis amoribus, & contabuit*
cap.29 37. *ſpecies mea*. Hinc ſæpe à Deo continentiam petit,
De doct. *per quam colligimur & redigimur in unum, à quo in*
Chriſt.li.1. *multa defluximus*. Sic ut cum Propheta dicamus;
cap.22.

Quid

Digitized by Google

Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Charitas enim nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur, ſed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit, id eſt, ad Deum. Pſalm.72.

Tertiò, qui creſcere deſiderat, opus eſt, ut doctrinæ ſacræ, legendo, audiendo intendat. Sicut enim parvulus abſque ſumptione cibi creſcendo non proficit, ſic anima ſine doctrina ſacra, deficere potiùs quàm proficere ſolet. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Matth.4. Queritur Propheta, *percuſſus ſum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Pſalm.101. Unde Petrus hortatur, *Sine dolo lac concupiſcite*, videlicet Verbi Dei, *ut in eo creſcatis in ſalutem. Incarnatio Verbi, vita ejus, & in carne converſatio, cœleſtis illius doctrina nutrit animum*, inquit S.Baſilius. 1.Petri 2. Epiſt.141.

Quartò, valdè juvat meditatio ad augendam charitatem, maximè illa, quæ verſatur circa beneficia à Deo vel proximo accepta; vel alia ad amorem incitantia: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis*, ait Propheta: & D.Hier. *Noſti*, inquit, *hoc eſſe Chriſtianæ animæ pabulum, ſi in lege Domini meditetur die ac nocte.* Meditetur ergo homo frequenter illud quod ait David: *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum. Nam & ipſe Deus meus, ſalutaris meus, ſuſceptor meus, non movebor amplius.* Itemque illud, *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivіſci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu* Pſalm.38. In epiſt. ad Florent. Pſalm.61. Pſal.102.

vitam

vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſeratione. Qui replet in bonis deſiderium tuum, &c.

Quintò, neceſſaria eſt oratio. *Amorem enim Dei in homine à gratia genitum*, inquit D. Bern. *lactat lectio, meditatio paſcit, oratio confortat & illuminat.* Paulus ad Philipp. *Hoc oro*, inquit, *ut charitas veſtra magis ac magis abundet*; docens, quid illis potiſſimùm orandum eſſet: & orat Eccleſia; *Da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum*: & Aug. orat; *Te amo, Domine, & ſi parum eſt, amem validiùs.* Qui & alibi docet, quod *ideo homo aliquid à Deo dilectionis accipiat, ut addi ſibi quærat, unde quod jubetur, impleat. Diffunditur enim charitas Dei in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Unde rurſum Aug. *O amor, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris, charitas Deus meus, accende me.*

Philip. 1. Dom. 13. poſt Pent. Lib. 13. Conf. c. 8. De grat. & lib. arb. c. 8. Rom. 5. Lib. 10. Conf. c. 29.

Denique ad incrementum charitatis juvat tentatio, ſeu tribulatio. Unde D. Greg. *Electorum deſideria in proſperitate deprimuntur, adverſitate proficiunt; ſicut ignis flatu premitur ut creſcat, & unde quaſi extingui cernitur, inde roboratur: & cùm per tentationem humilitas proficit, proſpera eſt ipſa adverſitas, quæ mentem ab elatione cuſtodit. Uram eos*, ait Dominus, *ſicut uritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum.* Quemadmodum enim aurum, quantò plus excoquitur, tantò efficitur melius; ſic juſtus quantò plus tribulatur, ſi ipſam tribulationem patienter toleraverit, multò purior clariorque redditur apud Deum. *Ad hoc enim*, inquit Auguſt. *Exagitantur homines tribulationibus, ut vaſa electionis evacuentur nequitia, & impleantur gratia.*

In Moral. Zachar. 13. Sent. 264.

Digitized by Google

MONITUM LXIX.

Vocatus eſt & JESUS ad nuptias.

Ioan. 2.

DUæ hæreſes circa Matrimonium,ſeu nuptias diligenter cavendæ.Una eorum qui dixerunt quod malæ eſſent, & quod Diabolus eas feciſſet. Unde *Chriſtus invitatus,venit ad nuptias confirmare volens(excepta myſtica ſignificatione) quod ipſe fecit nuptias,*inquit Aug.*Futuri enim erant, de quibus dixit Apoſtolus,prohibentes nubere, & dicentes quod malæ eſſent nuptiæ, & quod Diabolus eas feciſſet.* Illi fuerunt Marcioniſtæ, Manichæi, Eucratitæ, *&c.* Unde idem Dominus in Evang. interrogatus utrum liceat homini dimittere uxorem ſuam ex qualibet cauſa? reſpondit, non licere,excepta cauſa fornicationis. In qua reſponſione hoc ait; *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Ioan. 2. Tract 9. in Ioan. 1. Timot 4. Matth. 19.

Altera eſt eorum, qui conjugium cœlibatui vel ſtatui caſtitatis æquarunt,ut Iovinianus & alii,cōtra Scripturam,quæ dicit; *Qui Matrimonio jungit virginem ſuam bene facit,qui non jungit melius facit:* & de Vidua; *Cui vult nubat,beatior autem erit ſi ſic permanſerit.*Et contra Patres.Unde D.Ignat.*Virgines Chriſto ſubditæ ſint in puritate, non abominantes nuptias,ſed id quod præſtantius eſt amplectentes.*Et D. Ambr.*Iure laudatur bona uxor,ſed melius pia virgo præfertur:hæc enim cogitat quæ Dei ſunt,illa quæ mūdi.*Et D.Auguſt,de vitæ genere amplectendo deliberans;

Hieron. cont.eum, & Aug. 1.Cor.7. Ad Philadelphienſ. Epiſt. 81. Lib. 8. Conf cap. 1.

berans; *Non me*, inquit, *prohibebat Apoſtolus coniu-*
1. Cor. 7. *gari, quamvis exhortaretur ad melius, maximè volens omnes homines eſſe ſicut ipſe erat.*

Tribus autem de cauſis maximè Conjugium iniri poteſt, quarum aliquam ſibi quiſque proponere debet, qui piè & religioſè, ut Sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere. Prima, ipſa diverſi ſexus naturæ inſtinctu expetita ſocietas, mutui auxilii ſpe conciliata; ut alter alterius ope adjutus, vitæ incommoda faciliùs ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtentare queat. Altera eſt, procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut bonorum & divitiarum hæredes relinquantur, quàm ut veræ fidei & religionis cultores
Tobiæ 6. educentur. Unde Angelus ad Tobiam, *Accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quàm libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.* Tertia eſt, quæ poſt primi hominis lapſum ad alias cauſas acceſſit, ut Matrimonii remedio ad vitanda libidinis pecca-
Lib. 1. de Nup. c. 16. ta utatur. *Infirmitas incontinentiæ, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honeſtate nuptiarum,* ait Auguſtin.

(Vide Cat. Trid.)

Homicidæ, imò parricidæ ſunt illæ mulieres, quæ fœtus ſuos in utero jam animatos extinguunt. Quas Conc. Ilerd. c. 2. annos ſeptem. à communione excludit, & in 6. Gen. Conc. cap. 91. pœna occiſoris accuſari jubentur. Item quæ in ſe impediunt ne ex concubitu proles procreetur, ut homicidæ tenentur. Etſi enim hominem non occidant, quia tamen humanæ vitæ impedimentum præſtant, partem cum homicidis ſortiuntur, ut eſt in Concil. Vvormatienſi. De his Minutius in

Octavio,

Digitized by Google

Octavio, *Originem futuri hominis extinguunt, & parricidium faciunt, antequam pariant.* Et Tertull. in Apocal. cap.9. *Nil refert, an eripias, an impedias animam.*

An nuptiæ cadant ſub præcepto? Tria hic tempora ſunt diſtinguenda: Unum ipſius primordii generis humani, quo tempore cùm adhuc pauciſſimi eſſent homines, velletque Deus humanum genus propagatione conſervari, nuptiæ erant in præcepto legis naturæ; ſicut modò eſt præcepti naturalis, cibum ſumere, ob hominis conſervationem: Quæ neceſſitas illa generis humani propagandi, ipſaque propagatione conſervandi, uſque adeò favorem merebatur, ut nec inter fratrem & ſororem ducerentur indecora matrimonia, quæ nunc abominanda putantur, nequaquam tali ſubexiſtente generandi neceſſitate. Aug. de Civit. Dei, li.15. c.16.

Aliud tempus erat, cùm non id ageretur, ut multiplicatione poſſet hominum genus conſervari, quod jam ſatis per omnes gentes multiplicabatur; verùm in ſumma raritate piorum, cultorumque Dei, id agendum erat, ut fidelis numerus augeretur, ſenſimque creſceret in populum & Civitatem Dei. Id quod tunc procurandum erat officio generationis, ut geniti genitoribus ſuis ſimiles religione eſſe poſſent. Itaque primis illius maximè populi Patribus divinitus præceptum fuit, ut procreandis liberis darent operam, idque poſtea durante toto tempore veteris teſtamenti ſic exiſtimatum eſt ſervari oportere, ut Virginitatis profeſſionem, & à Matrimonio abſtinentiam illius populi mores recuſarent.

Tertium

Tertium ſucceſſit tempus novi Teſtamenti, quo neque ob multiplicationem generis humani nuptiæ neceſſariæ ſunt unicuique, cùm ſatis multi reperiantur qui generare velint; neque etiam ob multiplicationem populi fidelis, qui jam uberiùs effuſa Spiritus Sancti gratia, non per generationem carnalem, ſed per Evangelii prædicationem erat propagandus, juxta illud Apoſtoli, *Ego per Evangelium vos in Chriſto genui*. Ad quam multiplicationem non ſolùm non ſunt neceſſariæ nuptiæ, ſed aptior multò continentia eſt, per quam abjectis curis ſecularibus, quibus conjugia plerumque diſtenduntur, *orationi & miniſterio verbi*, vacari liberiùs poteſt.

1.Cor.4.

Itaque cùm Eccleſiaſtes duo tempora faciat, *alterum amplexandi, alterum continendi ab amplexibus*, illud quidem veteris Teſtamenti fuit, poſterius verò novi, de quo ille propheticè prædixiſſe putandus eſt, quod ſit *tempus continendi ab amplexibus*. De quo etiam tempore Apoſtolus: *Hoc autem dico, fratres. Tempus breve eſt, reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes ſint*, &c. Quem locum D.Auguſtinus breviter explicans, *Non adhuc populus Dei*, inquit, *propagandus eſt generatione carnaliter, ſed jam regeneratione ſpiritualiter colligendus*, &c. Hinc eſt illa memorabilis ſententia de Chriſto apud S.Ambr. *Noluit paucorum carne pater eſſe, ut ſpiritu eſſet omnium*. Et certè incrementa Eccleſiæ maximè piis orationibus, & operationibus, ac rerum divinarum cognitione & prædicatione procurantur: ad quæ opera per virginitatem facultas expeditiſſima præbetur. Itaque per conjugium quidem pauci ex ipſo ſuſcepti conjugio,

Eccleſ.3. Cyprian. de habit. Virg. Aug. lib. 1. de Nupt. c. 13. 1.Cor.7.

Ibidem.

Vide Aug. de S. Virg. cap. 6.7.8.

Chriſto

Chriſto generantur; at per ſtudia ſanctæ virginitatis Chriſto plurimi procreantur. Imò nec ipſum conjugium fructum ullum pareret Chriſto, niſi beneficio maximè ac ſtudiis virginitatis, quibus illi qui ex conjugio propriè ſæculo generantur, ad mortem regenerantur, ac inſtituuntur ad vitam.

Ex quibus poteſt intelligi, nullam ferè eſſe contrahendi hoc tempore Matrimonii cauſam aliam, quàm ut infirmorum pudicitiæ conſulatur. *Hoc enim præcipuum*, ait Chryſoſt. *Matrimonii lucrum eſt, ut caſtimonia conſervetur, quod ſi non ſit, quænam utilitas ex Matrimonio?* Sed murmurant homines. Hom.61. in Matth. *Quid ſi omnes velint ab omni concubitu abſtinere, unde ſubſiſtet genus humanum?* Reſp. Auguſt. de bon. conjug. c. 10. *Utinam hoc omnes vellent, multò citiùs civitas Dei compleretur, & acceleraretur terminus ſæculi.* Et Hieron. contra Jovin. lib. 1. *Noli metuere ne omnes virgines ſint; difficilis res eſt virginitas, & ideo rara, quia difficilis.* Et cont. Vigilant. *Rara eſt virtus, nec à pluribus appetitur, atque utinam hoc omnes eſſent quod pauci ſunt, vacui eſſent carceres.*

An omnibus hominibus liberum relictum ſit Matrimonium? non. Apoſtolus enim dicit, quod Viduæ quæ poſt votum caſtitatis emiſſum nubere volunt, *habent damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id eſt, votum caſtitatis violaverunt, peccantes contra ſecundum præceptum, & illud Deuteronomii, *Cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere.* Et illud Davidis; *Vovete & reddite Domino Deo veſtro.* Sed quid ſi tales ſe non continent, nubentne? *Hoc dictum Apoſtoli*, inquit Ambr. *ad nondum pollicitam, ad nondum velatam* 1. Timo. 5. Deut. 23. Pſalm. 75. Auguſt. in pſal. 75. & 83. Baſil. de vera Virg. Epiph. hæreſ. 48.

pertinet

August. de adult. conjug. cap. 15. *pertinet. Quæ autem ſe ſpopondit Chriſto, jam nupſit; jam immortali iuncta eſt viro. Et ſi voluerit nubere communi lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.*

In Paſtor. part. 3. admonit. 28. 1. Cor. 7. D. quoque Greg. *Admonendi,* inquit, *ſunt cœlibes, ut ſi tentationum procellas cum difficultate tolerant, tum conjugii portum petant. Scriptum eſt enim, Melius eſſe nubere quàm uri. Sine culpa, ſcilicet, ad conjugium veniunt, ſi necdum meliora voverunt. Nam* Luc. 9. *quiſquis bonum majus ſubire propoſuit, bonum minus, quod licuit, ſibi illicitum fecit; ſcriptum quippe eſt, Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Et Aug. *Illis quæ ſe non continent, utique expedit nubere, & quod expedit, licet; quæ autem voverunt continentiam, nec licet, nec expedit. Planè non dubitaverim dicere,* inquit idem Aug. *Lapſus & ruinas à caſtitate ſanctiore, quæ Deo vovetur, adulteriis eſſe peiores.* De bono viduit. cap. 11. Antiqui Romani in ſtupro detectas virgines Veſtales vivas defodiebant; adulteras fœminas, quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant; *uſque adeò gravius quæ putabant, adita divina, quam humana cubilia vindicabant.* Ita Aug.

Lib. 3. c. 5. de Civit. Vnde Iuvenal. Sat. 4.

Sanguine adhuc vivo terram ſubitura Sacerdos.

Locus ſupplicii dictus campus ſceleratus, quòd illic Veſtales virgines delinquentes vivæ defodiebantur. Ut Livius lib. 8. dec. 1. Elegans exemplum hac de re habet Plinius lib. 4. epiſt. 11. de Cornelia Maximilla Veſtale. Vide Hieron. lib. 1. in Iovinia. Aug. lib. 22. c. 11. de Civit.

Nullum ergo eis ſuppetet remedium comprimendæ cupiditatis? Imò multa; Oratio, caſtigatio, jejunia, cilicia, flagella, &c. *Nutrimenta ſpiritus*

Hom. 9. in Levit.

ſunt,

Digitized by Google

ſunt; ait Origen. *divina lectio, orationes aſſiduæ, ſermo doctrinæ: iis alitur tibi; his convaleſcit; his victor efficitur: Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis; nolite dicere, volumus; ſed non poſſumus. Si enim carnem ſolam nutriatis; & ipſam frequenti mollitie, ac jugi delitiarum luxu foveatis, inſoleſcet neceſſariò adverſus ſpiritum, & fortior illo efficietur. Non oportet dicere;* ait Chryſ. *Non poſſum cōtinere; & accuſare conditorem noſtrum. Si enim ita nos condidit, ut abſtinere nō poſſimus, accuſandus eſt, quod jubeat eſſe caſtos. Dices: quomodò igitur multi non poſſunt? potius dic, quod nolunt. Si enim omnes voluerint, omnes potuerint: Ideo & Paulus ait; Volo omnes eſſe ſicut meipſum.* Hom. 16. in ad Hebr. Oſtendit ibi, propter voluntatem neceſſarium eſſe ſtudium, applicationem; curam; ſicut in omnibus rebus & artibus, ut in agris colendis, adipiſcendis honoribus, &c. ſic in tuenda caſtitate, quæ ſanè res eſt non adeò gravis, ut ſit ſupra vires; requirit tamen aliquid applicationis, curæ, ſtudii, diligentiæ.

Tria autem ſunt bona Matrimonii; Proles, Fides, Sacramentū. Proles, hoc eſt liberi, qui ex juſta & legitima ſuſcipiuntur uxore; id enim tanti fecit Apoſtolus, ut diceret; *Salvabitur mulier per filiorum generationem.* Nec verò de generatione tantum, ſed de educatione etiam & diſciplina, qua filii ad pietatem erudiuntur, intelligendum eſt. Monet enim Script. *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos à pueritia eorū.* Idē etiam Apoſt. docet, *Vos parētes, educate filios in diſciplina & correptione Domini.* Cujus inſtitutionis pulcherrima exēpla Tobias, Iob, & alii sācti Patres in Script. præbēt. Ideo dicit Aug. quod *nec in iis gentilibus fuerit vera pudicitia conjugalis,*

1. Timot. 2.

Eccleſ. 7.

Epheſ. 6.

Lib. 1. de Nupt. c. 4.

Digitized by Google

qui concumbebant cauſa ſola liberorum, quia non ſerviebant pietati. Quam ſapienter agnovit Plato, qui idcirco dicit, *ineunda matrimonia, ut relinquat quis liberos, qui Deo ſerviant pro ſe.* Et paulò poſt; *Oportet parentes gignere & educare liberos, qui vitam tanquam lampadem, poſteris tradant, ut ſint ſemper aliqui Deum colentes, juxta ipſius legem.* Unde & Tobias; *Tu ſcis, Domine, quia non luxuriæ cauſa accipio conjugē, ſed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum.* Vult Apoſt. ut nubant in Domino, ideſt, non ob voluptatem, inquit Baſil. de Virg. Et inquirit Aug. de bono conjug. cap. 5. an Matrimonium ſola libidinis cauſa contractum, verum ſit: & quamvis ægrè, fatetur tandem eſſe conjugium, modò nihil fuit, quo impediatur prolis ſuſceptio, imò bonum hoc eſſe ibi obſervat, quod libido illa contineatur intra juſtos limites.

Lib. 6. de legib.

Tob. 8.

Secundum bonum eſt Fides, non ille virtutis habitus, quo imbuimur cum baptiſmum percipimus; ſed fidelitas quædam, qua mutuò vir uxori, & uxor viro ita ſe obſtringit, ut alter alteri ſui corporis poteſtatem tradat, ſanctumque illud conjugii fœdus nunquam ſe violaturum pollicetur. Id facilè colligitur ex illis verbis, quæ à primo parente enūtiata ſunt, cùm Evam uxorem ſuam accepit; quæ deinde Chriſtus in Evangelio comprobavit: *Quare relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Item ex eo Apoſtoli loco; *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet* (ut videlicet poſſit continere quando vult, petente marito debitum, vel ut poſſit ſui corporis alteri copiam facere, marito vivente) *ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet,*

Gen. 2.

Matth. 19.

1. Cor. 7.

Levit. 20.
Num. 5.

bet, ſed mulier. Quare optimo jure graviſſimæ animadverſiones à Domino in adulteros, quòd hanc maritalem fidem frangant, conſtitutæ erant. Poſtulat præterea Matrimonii fides, ut vir & uxor ſingulari quodam, ſanctoque & puro amore conjuncti ſint, neque ut adulteri inter ſe ament, ſed *ut Chriſtus dilexit Eccleſiam*, quam certè immenſa illa charitate, non ſui commodi gratiâ, ſed ſponſæ tantum ſibi utilitatem proponens, complexus eſt.

Vide Mon. 28.

Epheſ. 5.

Tertium bonum Sacramentum appellatur, vinculum ſcilicet Matrimonii, quod nunquam diſſolui poteſt. Nam ut eſt apud Apoſtolum; *Dominus præcepit uxorem à viro non diſcedere*; *quod ſi diſceſſerit* (*ea utique cauſa qua diſcedere licet*, inquit Aug.) *manere innuptam*; quia permanet uxor prioris. Id clarum eſt ex epiſt. D. Hieron. ad Oceanum, de vita Fabiolæ, in qua illius commendat pœnitentiam publicam, quod repudiato viro adultero, alteri ſe viro copulaſſet. Vide eundem. Sed quid ſi ſe non continet? Addit Apoſt. *Aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Hic ſubintelligendum, quod de uxore dictum eſt. Quod ſi diſceſſerit, manere innuptum, quia permanet maritus prioris. Si autem ſe non continet, uxori ſuæ reconcilietur. Si enim Matrimonium eſt, Chriſti conjunctionem cum Eccleſia ſignet neceſſe eſt, ut ſicut Chriſtus ab Eccleſia ſe nunquam disjungit, ita uxorem à viro (quod ad Matrimonii vinculum attinet) ſeparari non poſſe. Quod bonum minimè ab iis ſervatur, qui præter fornicationis cauſam ſunt in diſſidia præcipites, facileque ac temerè divortia faciunt, unam carnem (quoniam *erunt duo in carne una*) non ſine crimi-

1. Cor. 7.

Lib. 2. ca. 2. & ſeq. de adult. Conjug.

Epiſt. 147. ad Amandum.

Epheſ. 5.

ne dividentes. An verò pœnitens adulter vel adultera recipienda ſit in gratiam?

Felices ter & amplius, ait Poëta,
Vide Mon. 10. Horat. li. 1. Carm. Ode 13.
Quos irrupta tenet copula,
Nec malis divulſus querimoniis,
Suprema citiùs ſolvet amor die.

An licitum ſit fideli inire matrimonium cum infideli? Vocamus autem omnem eum, qui non credit omnia ea, quæ ab Eccleſia credenda proponuntur, ut ſunt gentiles, Iudæi, hæretici? Reſp. non ordinariè, nec regulariter. 1. Quod ſit lege naturæ prohibitum ob periculum ſeductionis, non ſolum conjugis alterius, ſed etiam prolis: ſiquidem arcta conjunctio, & parentum authoritas, & inſtitutio vim habent magnam ad omnem partem. Et illa quidem ad conjugis everſionem, hæc ad depravationem prolis, cùm in proclivi ſit, ut parentis infidelis errorem una penè cum ipſo lacte ſugat. 2. Non mediocriter indecorum eſt, ut fideles, id eſt, membra Chriſti, cum infidelibus tam arcto tamque perpetuo nexu jungantur, tanquam ſi quis Lucem ac tenebras, juſtitiam & injuſtitiam, Chriſtum & Belial coïre inter ſe poſſe putent. Atque in conjugio præſertim Chriſtianorum vitandum eſt, non ſolum quod periculoſum, ſed etiam quod indecorum ac indignum eſſe videatur. 3. Accedit authoritas Scripturæ. Veteris quidem, non accipies uxorem de filiabus alienis, &c. Novæ, nolite jugum ducere cum infidelibus. Et, Nubat tantum in Domino, id eſt, fideli & Chriſtiano. Ut Tertull. lib. 2. ad uxorem. Hieron. lib. 1. in Jov. Cyprian. lib. 3. ad Quiri. cap. 162. Ambroſ. Niceph. Haymo. 4. eſt authoritas

ritas

Digitized by Google

ritas patrum,ut Cypr.de lapſis, Ambroſ. lib.1. de Abrah.cap.9.epiſt.70.lib.8.in Luc.Conc.Tolet.3. cap.14.& 4.cap.61.Agath. cap.67.Eliber.cap.15. & 16. Aurel. 2, cap.18. Et 4. cap.15. & Nic.1. cap.55.

Sunt tamen exempla Sanctorum in contrarium,ut Iacob,Ioſeph, Moyſis, Davidis, Salomonis. Et Deut. 24. de infideli captiva. Et in novo Teſtamento apud Bedam, lib.1. Hiſt. cap.20. & lib.2. capit.9. Item Monicæ cum Patritio infideli. Hic reſpond. non fuiſſe jam inde à principio generatim cum infidelibus quibuſque inhibita Matrimonia, uti nec lege naturæ omnino improbata, & damnata, *niſi ſeductionis eſſet periculum*, Itaque cum ſpes potius alliceret converſionis ejus qui eſſet infidelis, quam metuenda foret everſio fidelis, talia quibuſdam hominibus in fide firmis ac fundatis, accedente præſertim aliqua publica utilitate, permiſſa eſſe reperiuntur conjugia. Unde & Conc.Calced.cap.13.& Laodic.cap.30. accipi patitur in conjugium infideles hæreticos; ſi tamen profiteantur ſe Catholicos futuros eſſe, & paſſim cum infidelibus conjugia contrahebantur tempore Cypriani, quod & Auguſt. queritur de fide & oper. cap.19. An ſint irrita? Baptiſatæ cum non baptiſato irrita eſſe Matrimonia, communis eſt Doctorum ſententia. Non autem fidelis cum infideli, ſi is fuerit baptiſatus, ex San. Ambroſ. lib.1. de Abrah.Et etiam Canon Conc. Aurel.2. ſeparari voluit contractas cum Iudæis nuptias,ad exemplum Eſdræ. Vide etiam Can.67. Conc. Nic. Voluit Eccleſia ex utraque parte ſibi ſubjecta eſſe Matrimonia,unde illa irrita, hæc

Digitized by Google

non. Hæretici enim & ſchiſmatici cum ſint baptiſati, cogi poſſunt ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervationem. *De illis autem qui foris ſun, non iudicat.*

Congruè autem in nuptiis Maria impetrante Chriſtus creaturam in melius mutavit, unde & patres eum *nuptiis benedixiſſe* oſtendunt. Per Adam enim & Evam nuptiis maledictio acceſſit, ut concupiſcentia vincente, extra Matrimonium quæratur, & in Matrimonio ſine corruptione & pudenda libidine non concipiatur, ſine dolore matris nó naſcatur, ſine labore patris non educetur proles, propter Adam & Evam etiam impietati, & *ira Dei* ſubdita. Maledictio, inquam, acceſſit nuptiis, ut litibus & jurgiis turbetur pax domeſtica, dum vir tyrannum potiùs quàm conjugem agit, & ſuperba mulier, viro capiti ſuo aut rebellat, aut ægrè ſubeſt. Ut ergo hæc maledictio à nuptiis auferretur, Matre rogante Chriſtus ipſis nuptiis benedixit; per quam benedictionem fit, ut Chriſtianus damnatum coitum non quærat, ſed uxorem ducat, non ut libidini frena laxentur, ſed ut honeſtate nuptiarum ipſa libido coërceatur, ne in damnabiles congreſſus incidat, & ut quotidie magis minuatur.

Vide Epip. hæreſ. 15. epiſt. Syn. in Synod. Eph. 1. & Cyril. in 2. cap. Ioan. Heſſ. in Salut. Ang. Epheſ. 2.

Per hanc benedictionem fit, ut prolem quærat Chriſtianus, *non tantum ut naſcatur, verum etiam ut renaſcatur*; non tantùm ut nutriatur, ſed ut *educetur in timore & diſciplina Domini*. Spes verò reſurrectionis, & ſpiritale de Chriſtianorum multiplicatione gaudium, matris corruptionem & dolorem, patriſque laborem conſolatur. Per hanc benedictionem fit, ut Chriſtiani conjuges individui ſibi adhæreant, *fidem ſibi ſervantes, non qualem habent inter ſe infideles, zelantes carnem; ſed qua ſibi mutuo*

Aug. lib. 1. de Nupt. cap. 8.

Epheſ. 6.

Idem lib. 1. cap. 17.

mutuo metuunt, ne per adulterium à Chriſto ſeparentur, à quo fidei, quam ſibi exhibent, præmium exſpectant. Per hanc benedictionem fit, *ut vir diligat uxorem, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, ut vir non ſit amarus uxori, ſed ei honorem impertiatur tanquam cohæredi gratiæ*; ut mulier viciſſim hilariter ſit ſubjecta viro, tanquam capiti. Epheſ. 5. 1. Petri 3.

Sanè poſtquam Dominus Jesus ex virgine incarnatus eſt, & ſua præſentia nuptias decoravit, plurimi omnino ſe continent, libidine non utentes. Rediit mulier, quam penè tanquam famulam propter peccatum lex Moyſi ſubjecerat viro, quodammodo ad priſtinum honorem, ut tanquam ſocia viri judicetur, dum non minus ipſa poteſt virum adulterum repudiare, quàm olim poterat vir dimittere uxorem. Rediit pax domeſtica, dum non permittitur viro, ut olim, plures habere uxores ſimul. Pluralitas enim uxorum diſcordiam, inimicitias, turbaſque in familia generat, dum facile fit, ut una ſæpius præ alia diligatur, aut diligi videatur, una ſæpius ſibi virum vindicet quàm alia, &c. Etiam prolis educationem ea res valdè interturbat, dum raró rectè fit quod multis committitur, &c. Rediit patrum ſolatium, & matrum gaudium, dum ubique ſuppetunt, qui ob hoc proprias proles non quærunt, ut alienas cum parentibus erudiant, & educent ad ſpem glorioſæ reſurrectionis. Rectè igitur quis dixerit, Mariam eſſe matrem novæ benedictionis nuptiarum, pietatis & lætitiæ nuptiarum; ſicut Eva mater eſt antiquæ maledictionis, libidinis, & triſtitiæ nuptiarum. Ioan. 2. Aug. quæſt. 33. ſup. Deut.

MONITUM LXX.

Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro.

1. Corinth. 7.

QUæſtio eſt Matrimonialis, utrum ſemper, cum libuerit, liceat exigere debitum? Certi ſunt Conjugum ſtatus, & tempora quædam, quibus exigendo, ſuo etiam jure fruendo, peccatur. Primus ſtatus eſt, uxoribus gravidis, ubi frequentior & ardentior coïtus non leve poteſt proli conceptæ inferre nocumentum, quod vel tenerior materia facilè diſſipari queat, aut ſi jam ſit animatus fœtus, de oppreſſione periclitetur; contra quod D. Hieronym. *Qui dicunt ſe cauſa Reipublicæ, & generis humani uxoribus jungi, & liberos tollere, imitentur ſaltem pecudes, poſtquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores ſe uxoribus exhibeant, ſed maritos.* Notandum tamen eſt, quod ait Lactant. *Brutas animantes ſuſcepto fœtu repugnare maribus, hoc ideo, quia neceſſe ſit, in dolorem & periculum veniant, ſi admiſerint: Solam mulierem viri patientem fecit, ſcilicet ne fœminis repugnantibus libido viros cogeret aliud appetere, eoque facto caſtitatis gloriam non tenerent.* Sic ille.

Lib. 1. in Iovinia.

Lib. 6. c. 23. de vero cultu.

Non autem ita eſſet comparatum, niſi aliquando fieret ſine periculo, viri moderatione atque prudentia. Ut ergo damnandum eſt, cùm

cùm periculoſè fit, ita non erit aliàs, criminis ſaltem loco improbandum, quin tolerari propter infirmitatem poſſit. *Alioqui pudicitia conjugalis*, inquit Auguſtin, *quæ ultra quàm generandis filiis ſatis eſt, conjugis corpus non attrectat, gravidis non utitur fœminis, nec ejus ætatis, qua certum eſt jam eas concipere non valere.* Trebel. Poll. tradit Zenobiam Palmyrenorum Reginam (quæ Chriſtiana fuiſſe videtur) tam admirandæ fuiſſe caſtitatis, ut ne virum quidem ſuum ſciret, niſi tentatis conceptionibus, ac prægnantem factam ab eo temperaſſe. Talem fuiſſe ſolitam Chriſtianorum continentiam, tradit Tertullianus. Et Athenagoras Philoſophus: *Uxorem*, inquit, *quam ſecundùm approbatas nobis leges ſibi quiſque duxerit, reputat non in alium, quàm in procreandæ ſobolis finem. Quemadmodum enim Agricola poſtquam ſemina terræ mandavit, meſſis tempus exſpectat, nec alia ſuperinjicit; ſic nobis etiam concupiſcentiæ modus liberorum procreatione definitur.*

Li. 3. cont. Iul. cap. 22.

De 30. Tyrannis in Zenob.

In Apolog. pro Chriſtianis.

Alius ſtatus eſt, cùm mulier menſtruum patitur fluxum; qui quidem diſtinguendus à perpetuo, quo laborabat mulier in Evangelio: qui noxius non eſt, etiamſi illas, quæ eum patiuntur, concipere contigerit. Menſtruus autem eſt, quem ſingulis menſibus patiuntur ſanæ, & aptæ generationi fœminæ, ad quas, cùm eum patiuntur, etiam lex Moyſaica accedere prohibet, Levit. 15. Quod ne quis inter cæremonialia præcepta numerandum putet, jungendum eſt caput 18. & 20. Levit. Ubi inter præcepta legis naturæ recenſetur, quorum ob violationem Chananæi ſuis

Matth. 9.

Levit. 15. 18. 20.

Digitized by Google

è terris ſunt ejecti. Idcirco autem lege naturæ prohibitum eſt, quod proli ſit noxium, ut habet Aug. & latiùs explicatur à D. Hieron. ubi ait, *inde fœda exiſtere corpora natorum, & imbecilla, & ſubinde claudos, aut leproſos, vel alioqui malè affectos.* Quem ſecutus eſt Haymo.

Quæſt. 64. ſuper Levi. In cap. 18. Ezech. In 61. cap. Iſaiæ.

Eſt & aliud tempus, ſeu ſtatus, cùm recens mulier peperit: Hinc enim etiam graviter peccare contingit, aut quia nocetur imbecillæ adhuc mulieri, aut proli, & id duobus modis, vel quia lac minus commodum redditur ſuctioni, vel ſi fœtus novus concipitur, debeat edita proles ablactari maturiùs, quæ res non parùm ei noxia deprehenditur, ex qua minus fit vivida ac ſucculenta. Rectè igitur Gregor. *Ad ejus,* inquit, *vir ſuus concubitum accedere non debet, quoadusque qui gignitur, ablactetur.* Verùm hoc remedio quædam utuntur fœminæ, quod remedium non eſt, ſed potius novum vulnus infligit; tradunt nutricibus parvulos alieno lacte nutriendos. Quæ res quanta incommoda adferat, aliàs dicendum erit. Quibus tamen idem Greg. quod *niſi purgationis tempus tranſierit, viris ſuis non debent admiſceri.*

Ad quæſt. Aug. Anglorum Epiſcopi.

Vide Mon. 15. inter Mariana.

Ibidem.

Poſtremò tempus aliud eſt feſti ſolennis, & orationis; cùm præſertim fideles ad ſacram Domini menſam præparare ſe ſolent ac debent. De quo Apoſtolus; *Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu, ad tempus, ut vacetis orationi.* Quocirca, ſi tum ita demerſam mentem libido teneat, ut nec libeat orare, rebuſque vacare divinis, mortale peccatum eſt; ſin diſtrahat atque alienet nonnihil, animumque reddat in pietatis negotio remiſſiorem, eſt veniale. Neque enim puto peccare mortali

1. Cor. 7.

taliter conjuges, quoties hujuſmodi temporibus ab infirmitate ſua victi debitum petunt. Unde ab Apoſtolo dictum videtur, cùm quodam temperamento, *niſi fortè ex conſenſu*, ut hoc quoque imbecillitati concedat ob periculum incontinentiæ, tametſi in contrarium omninò nitendum ſit. 1.Cor.7.

Nam ſi panes propoſitionis, inquit Hieron. *ab his qui uxores ſuas tetigerant, comedi non poterant, quantò magis panis qui de cœlo deſcendit, non poteſt ab his qui conjugalibus paulò antè adh ſere complexibus violari atque contingi? Non quòd nuptias condemnemus*, inquit, *ſed quòd eo tempore, quo carnes agni manducaturi ſumus, vacare à carnalibus operibus debeamus. Oro te*, ait idem, *quale illud bonum eſt, quod orare prohibet, quod corpus Chriſti accipi non permittit? quamdiu impleo mariti officium, non impleo Chriſtiani.* Quod ideo dicit Hieron. quòd is qui amplexibus vacat conjugalibus, non ſit idoneus qui ea faciat, quæ ſunt propria Chriſtianorum, ut orare, Domini corpus accipere. Nam mariti quidem officium, etſi fieret ſine omni peccato, non tamen proprium eſt Chriſtiani. Itaque veriſſimè D. Ambroſius ait, *Si cauſa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus conceſſum videtur ad ipſum uſum, quia & dies feſti, & dies proceſſionis, & ipſa ratio conceptus & partus juxta legem, ceſſare uſum carnis his debere temporibus, demonſtrant.* Et dicit D. Aug. *Qui uxorem ſuam in profluviis poſitam agnoverit, aut in die Dominico, aut qualibet alia ſolemnitate ſe continere noluerit, qui tunc concepti fuerint, aut leproſi, aut epileptici, aut etiam fortè dæmoniaci naſcentur.*

Lib. 1. in Iovinian.
1. Reg. 21.
Ibidem.
In cap 7. 1. ad Cor. in illud, Ne tentet vos.
Serm. 244. de temp.

Non omninò autem idem judicium eſt de reddendo

Digitized by Google

dendo debito, atque exigendo. Nam ſacris quoque temporibus reddere, culpæ nihil habet, cùm in eo infirmitati conjugis, juſtitiæ ac veræ charitatis officio conſulatur. Si licet reddere ob alienum periculum, ergo & exigere propter proprium, cùm ſibi quiſque proximior eſſe debeat ordine charitatis? Non ſequitur: nam qui hoc in ſe periculum vitat, ideoque debitum petit, is ad hoc ipſum ſtimulo libidinis impellitur, cui cedere & ſatisfacere velle peccatum eſt, etſi in conjugio ad gravioris mali declinationem referatur: Qui verò reddit debitum, nulla ad id carnis concupiſcentia inſtigatur, ſed juſtitiæ ſolius & charitatis ductum ſequitur.

An etiam reliquis temporibus, quibus exigi non debet, poſſit reddi? Non deſunt qui dicant reddi debere, non obſtante imminentia periculi: ſed aliorum ſententia eſt, non teneri uxorem à qua petitur, in id conſentire, cum probabili conſcientia inferendi nocumenti, vel ſibi, vel proli; non enim licet cuiquam ad proprium vel alterius nocumentum cooperari. Quod enim leproſo petenti non poſſit negari, hinc eſt, quod ex leproſo alia proles naſci non poteſt, niſi leproſa, etſi differatur ſolutio debiti; eſtque ſatius, ut vel ſic naſcatur, quàm ut non: Aliàs verò ſi differtur debiti ſolutio, poteſt naſci integra; neque etiam juſtitiæ vis ea eſt, ut debitum perſolvere cogat cum notabili ſolventis detrimento, præſertim cùm ſolutio non omninò negetur, ſed tantùm differatur. Et periculum incontinentiæ alterius, ejuſmodi eſt, ut voluntati ſubſit, ut juvante Deo, poſſit, quod timetur, evitari. Unde nec ſine gravi

culpa

culpa periclitantis malum ipſum committitur. Reliqua verò tametſi corporum ſunt, admiſſo concubitu vitari non poſſunt,nec ſuſcipiuntur,ſed inferuntur.

Quomodo ergo danda eſt opera Matrimonio? non voluptatis,aut libidinis cauſa,ſed eo utendum intra limites illos,qui (ut præcedenti ſermone demonſtratum eſt) à Domino præſcripti ſunt. Meminiſſe enim convenit quod Apoſtol. hortatur. *Qui habent uxores, tanquam non habentes ſint.* Tum verò à S.Hier.dictum eſſe; *Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu; reget impetus voluptatis,nec præceps feretur ad coïtum: Nihil eſt fœdius quam uxorem amare, quaſi adulteram.* Secundum veniam concedit Apoſt. uti Matrimonio ob incontinentiam,id eſt, quia carnis fragilitas illa voluptate carere non poteſt; ergo culpa eſt, aiunt Patres,alioqui locus non eſſet veniæ.*Nihil in lecto turpiter agas,*monet Aug.*nec excedas ultra cōceſſam libidinem in lege Dei; ſit caſtus cum conjuge thorus, & ſi eſt cura propagandi liberos, non ſit effrenata luxuries libidinum: defer in lecto conjugi tuæ honorem, quia membra Chriſti eſtis ambo; ambo ab illo conditi, ambo ſanguine ipſius reparati.* 1.Cor.7. Li.1.cont. Iovinia. 1.Cor.7. Aug.lib.1. de Nup.c. 14.lib.5. cont.Iulia. ca.7.Ench. 78.Fulg. epiſt.1.c.3. Greg.in Paſt.par.3. adm. 28. Auguſt.in pſalm.146.

Corrupta ſunt acta Petri & Andreæ, ubi dicuntur non tantùm caſtitatem rectè ſuaſiſſe, & concubinas ab hominibus divulſiſſe, ſed malè docuiſſe etiam ne viris ſuis uxores debitum redderent, quod à ſincera Apoſtolica prædicatione abhorret.Præcipit tamen Petrus viris, ut *honorem deferant uxoribus;* honorem vocans abſtinentiam à coïtu,ſive rarum & moderatum cōgreſſum, ut patet ex ſeq. *ut,*inq. *non impediantur orationes veſtræ.* 1.Petr.3. 1.Cor.7.

Com

Commixtio enim carnalis impedimentum præſtat attentæ orationi,ut Paulus. Solent autem piæ mulieres præ viris caſtitati ſtudere.*Redde debitum,*
In pſal.149 inquit Aug.*etſi non exigis,redde. Pro ſanctificatione perfecta,Deus tibi computabit, ſi non quod debetur, exigis, ſed reddis quod debetur uxori.*

Poteſt enim actus conjugii eſſe non ſolùm ſi-
1.Timot.2. ne peccato, ſed etiam cum merito : quod docet Apoſt.dicens, *Salvabitur mulier per filiorum procreationem,ſi tamen permanſerit, &c.* Sub procreatione liberorum ſubintelligenda eſt educatio eorundem atque inſtitutio, tanquam diceret; Non turbetur mulier,etiamſi illam docere non permitto : habet quod agat, ſi mater eſt ; facileque per materna officia conſequendæ ſalutis viam ac meritum reperiet; ſat illi erit ſalutiferæ occupationis in tractandis non libris, ſed liberis. Quod igitur Chriſtiana mulier procreat liberos regenerandos in Chriſto, pieque poſt inſtituendos, tolerans libidinis malum, non appetens, non approbans, neque conſentiens, ſed optans, ſi fieri poteſt, eo carere, meritorium eſt opus. 1. propter pietatem erga Deum, ad cujus cultum & honorem proles procreatur. Secundò propter charitatem erga liberos,qui deſtinantur æternæ ſaluti. Tertiò, ſæpè eſt actus juſtitiæ,cùm debitum non petitur,ſed redditur. Quartò, & Obedientiæ, quia marito, qui caput eſt, obeditur. Denique ex mutuo reſpectu charitatis meritum intercurrit, ne alteruter per infirmitatem labatur, ſi non ei debitum reddatur.

An conjuges in omnibus ſint pares? Unum quiddam eſt, in quo jure pares ſunt, in reliquis impa

Digitized by Google

impares, pluſque vir autoritate & poteſtate valet. Pares ſunt in eo, in quo efficiuntur una caro, ſive in reddendo atque exigendo debito: Nam uterque & exigere pari poteſt jure, & reddere petenti pari jure debet. Unde Paulus, *Mulier corporis ſui poteſtatem non habet, neque vir, ſed uterque alterius.* Idcirco & D. Chryſoſt. in hoc maritali negotio *utrumque alterius & ſervum & dominum eſſe dicit.* Hinc & Sara juſſit Abrahæ, ut ex ancilla ſibi filios generaret, non inordinata ſuperbia, ſed quia corporis mariti poteſtatem haberet, inquit Aug. Pertinebat autem hoc ad typum rerum futurarum, quod Patriarchæ ſervas haberent concubinas, uxores quidem illas veritate matrimonii, non honore conjugii. In reliquis autem rebus *vir caput eſt mulieris,* id eſt, moderator & rector, cui parendum ſit, ut ſæpè Apoſtolus. Unde & Ignatius, *Mulieres honorificent viros ſuos, & non audeant proprio eos nomine vocare*, intuens illud Petri de Sara: *Obediebat Abrahæ Dominum eum vocans.*

1. Cor. 7. In cap. 7. 1. ad Cor. Cont. Fauſt. li. 22. c. 31. Epheſ. 5. 1. Pet. 3. Ad Antiochenos.

Hic tamen etiam eſt ad ſexum proportionata quædam æqualitas. Mulier enim in adminiſtratione rei familiaris haberi debet non ancillæ loco, ſed ut domina domus, pro ratione ſexus tamen, quem ſexum ob imperfectionem decet virili eſſe ſubjectum. Hinc Petrus admonens viros ſuis uxoribus tanquam ſervis non abuti debere; *Viri,* inquit, *ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo impertientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ.* Quocirca & in 12. tabulis hoc intelligitur eſſe damnandum, quod uxores ancillas facerent, quarum legum authoritatem ſecuta gentilitas, tanto liberiùs in miſeras conju-

1. Petr. 3.

ges

ges ſæviebat. Qua de re eſt locus elegans in Confeſſ. Auguſt. ubi agit de Monicæ erga virum patientia.

Lib.9.c.9. Conf.

Hæc autem æqualitas & inæqualitas ex prima ante lapſum inſtitutione manavit; ſed utraque tunc fuiſſet cum ſumma felicitate conjuncta. Nam ob debitum uxorium nullæ moleſtiæ, nullæ rixæ; ſemperque id ex ratione, non ex libidine, concordiſſima voluntas, in re quoque domeſtica jucunda & tranquilla omnia; cum & viro mite imperium, & mulieri ſuavis obedientia fuiſſet. Ac merito peccanti dictum eſt mulieri, *Sub viri poteſtate eris*; id quod ad ſervilem quandam coërcitionem pertinet, moleſtamque & duram ſubjectionem, quæ in pœnam peccati poſt primæ inobedientiæ lapſum ſecuta eſt.

Gen.3.

Quid verò in cæteris rebus, quæ ad uſum conjugalem non pertinent, poſſit uxor, vide Auguſt. epiſt.199. debet eſſe viro ſubdita, nec liberam habet de iis diſpoſitionem; reprehendit enim ibi mulierem, quæ marito inſcio facultates ſuas pauperibus erogarat; mandatque ei, ut à viro veniam petat, *quia in eum*, inquit, *peccaſti; quod præter ejus conſilium & voluntatem de rebus tuis feciſti, quod faciendum eſſe putaſti, nec eum tui boni operis participem & moderatorem habere voluiſti, non autem ut te pœniteat pauperibus tribuiſſe*, &c.

MONI

Digitized by Google

MONITUM LXXI.

Honorifica Sacerdotes.

Eccleſ. 7.

MUlta debent ſubditi Prælatis Eccleſiaſticis, Epiſcopis, Paſtoribus, Sacerdotibus. In primis honorem; ſunt enim Spiritales quidam parentes, per quos Deus nos regenerat, & ad æternam vitam ducit. Sic mandat Sapiens, *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute dilige eum qui te fecit, & miniſtros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.* Quaſi dicat, Tunc propriè Deus honoratur, ſi Sacerdotes ejus honorentur: ſicut Scriptura docet, dum Moyſes & Samuel contempti ſunt, aſſerens non eos, ſed Dominum fuiſſe contemptum. Hinc & Heliam Principum quinquagenariorum adeò exaſperavit oratio, quia ſui contemptum, Dei eſſe contemptum animadvertebat. Sicut & Chriſtus ait, *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Sunt enim legati per quos Deus loquitur. Unde Apoſtolus, *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Sunt diſpenſatores myſteriorum Dei*; unde idem, *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Et ipſe Dominus; *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.*

Eccleſ. 7. Exod. 16. 1. Reg. 8. 4. Reg. 1. Luc. 10. 2. Cor. 5. 1. Cor. 4. Ioan. 20.

Abſit, inquit Hier. *ut de Clericis quicquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedẽtes, Chriſti*

Ioan.20. in epiſt.ad Heliodor. & ad Evagr.& ad Fabiol.de veſtitu Sacerd. Lib.3.c.26. hiſt.Angl.

corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus, qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant, qui ſponſam Chriſti ſobria caſtitate conſervant. Et V. Beda: *Ubicunque,* inquit, *clericus aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus excipiebatur. Et ſi in itinere inveniretur, accurrebant, & flexa cervice vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant.* Et addit: *In tanta autem erant veneratione, quia tota illis cura erat Deo ſerviendi, non ſæculo; tota cura cordis excolendi, non ventris.* Atque hoc deplorandum, multos eſſe Sacerdotes, de quibus verum eſt illud Malachiæ 2. *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſecum. Vos receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis.* Sic & illud Evang. impletur in multis; *Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Proh nefas,* inquit Hier. *Orbis terrarum ruit, & in nobis peccata non ruunt. Pereunt cum Paſtoribus greges, quia ſicuti populus, ſic Sacerdos.* Ita ille ad Gaudent. Et in c. 3. ad Titum, queritur, *Laicos eſſe meliores quam clericos: quod,* inq. *vehementer deſtruit Eccleſiam Dei.*

Lib.3. Epiſt.9. Matth.8.

Tamen etiam malis Sacerdotibus honor deferendus, propter miniſterium quod habent, nec ſine peccato contemnuntur. *Ipſe Chriſtus, uſque ad paſſionis diem ſervavit Pontificibus & Sacerdotibus honorem,* ait D. Cypr. *quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſervaſſent. Nam cùm leproſum emundaſſet, dixit illi; Vade, & oſtende te Sacerdoti. Humilitate ea, qua nos quoque humiles eſſe docuit,*

Sacerdo

Digitized by Google

Sacerdotem adhuc appellabat quem ſciebat eſſe ſacrilegum. Item ſub ictu paſſionis, cùm alapam accepiſſet, & ei diceretur, Sic reſpondes Pontifici? nihil ille contumelioſè locutus eſt in perſonam Pontificis, ſed magis innocentiam ſuam tuitus eſt. Sic & Apoſtolus Paulus, cùm ei diceretur; Summum Sacerdotem Dei maledicis? reſpondit: Neſciebam, fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum; ſcriptum eſt enim, Principem populi tui non maledices. Ioan. 18. Actor. 23. Exod. 22.

Videant ergo qui tam facilè Sacerdotibus detrahunt, maledicunt, irrident. Qui quidem illis mihi ſimiles eſſe videntur, qui in navicula fluctuante in medio mari conſtituti, rident & gaudent, ſi naucletus malè naviculam dirigat; non cogitantes quantum ex imperitia nautæ ſibi immineat periculum. Conſtantinus Imperat. ut refert Theodoretus, libellos criminationis, quibus quidam Epiſcopi accuſabantur, ſibi oblatos, igni abſumendos curavit, jurans ſe ne verbum quidem in illis ſcriptum perlegiſſe. *Nam Sacerdotum vitia*, inquit, *non ſunt populo aperienda; ne ille inde, cauſa offendiculi accepta, licenter peccare aggrediatur.* Hoc quoque adjecit; *Si ſuis oculis Epiſcopum alienæ uxori ſtuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum ſuo paludamento ſe obtecturum, ne facinoris aſpectus eos qui idem ipſum cernerent, ulla ex parte læderet.* Auguſt. in Pſal. 105. in enarrat. Li. 1. c. 11. hiſtor.

Quam alieni ab hoc Imperatoris animo ſunt illi de quibus Auguſt. *Qui nihil aliud captant, niſi ut quiſquis vel Epiſcopus, vel clericus, vel monachus, vel ſanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credantur, ſed non poſſe manifeſtari. Et tamen ipſi, cùm aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxo-* Epiſt. 137.

res ſuas, nec accuſant matres ſuas. Etiam Ethnici honorarunt Sacerdotes. Alexander Magnus, ut refert Joſeph. l. 11. Antiq. c. 8. ex equo deſcendit ad honorandum magnum Pontificem Ieroſolymorum nomine Iaddus, dicens ſuis, *quod Deum in illo agnoſceret :* ac in ejus gratiam pepercit civitati, quam delere ſtatuerat.

Matth. 18. Secundò, debent ſubditi Prælatis Eccleſiaſticis obedientiam. Habent enim poteſtatem condendi leges toti Eccleſiæ utiles, ſicut ligandi & retinendi peccata, & ab Eccleſia ejiciendi rebelles, qui ejecti, tanquam Ethnici & publicani ab omnibus Chriſtianis haberi debent. Non enim legiſlatori minus convenit præcipere quàm Punire. Tenentur ergo ſubditi eorum legibus obedire, quòd eas vice Chriſti ferant. Unde Apoſtolus; *Obedite* Hebr. 13. *Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim* 1. Cor. 14. *non expedit vobis.* Ideoque etiam Apoſtolus de ejuſmodi mandatis loquens; *Si quis,* ait, *videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Vocat nimirum ſua mandata, mandata Domini; non quòd Corinthii ad ea naturali lege vel divina obligarentur, priuſquam ea dediſſet Apoſtolus; ſed *quia* (ſicut ait Bernard.) *quicquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendum eſt, quam ſi præcipiat Deus. Quid enim intereſt, utrum per ſe, an per ſuos miniſtros, ſive homines, ſive angelos, hominibus innoteſcat ſuum beneplacitum, Deus.* De præc. & diſpenſ.

Servis

Servis mandatur obedire Dominis,etiam gentilibus & inſolentibus,tanquam Deo ; aliis omnibus, principibus, etiam barbaris & improbis, quia *non eſt poteſtas niſi à Deo :* quantò magis Magiſtratibus Eccleſiaſticis,Sacerdotibus, & Epiſcopis,quos Scriptura nobis proponit tanquam Principes,Reges, Angelos, etiam Deos ? Ideoque vult Deus,ipſos audiri à nobis,tanquam ſe.*Qui vos audit,me audit*.Illos non offendi;*Nolite tangere Chriſtos meos*.Injurias his factas, ſuas reputat : *Non eſt contra nos murmur veſtrum , ſed contra Dominum.* Rebellionem contra eos graviſſimè punit,& vindicat,ut in Maria leproſa,Core, Dathan, Abiron, & ſociis , quos partim terra dehiſcens abſorbuit, partim ignis cœleſtis conſumpſit.

1.Petri 2. Rom.13. Pſal.44. Gen.14. Malach.2. Pſal.81. Matth.10. Pſal.104. Exod.16. Num.16.

Docet Nazianz. Epiſcopos poteſtate ſpirituali majores eſſe Regibus,& poteſtatem ſpiritualē præſtantiorem eſſe temporali ac terrena.Et Chryſ.cōfert poteſtatem ſacerdotis cum poteſtate regis, & dicit,*Sacerdotem tantò majorem à Deo poteſtatem accepiſſe,quantò cœlum terræ,& quantò anima corporibus præſtant. Reges enim corpora ligandi & ſoluendi poteſtatem habent : Sacerdotes verò animas ipſas ligant & ſoluunt*.Et S.Ambroſ. *Nihil,* inq. *eſt in hoc ſæculo excellentius Sacerdote, nihil Epiſcopo ſublimius reperitur*:ac ipſe Apoſtolus,*Sine ulla contradictione minor à meliore*,id eſt,majore, potiore, *benedicitur.* At reges ab Epiſcopis benedicuntur, non contrà. De Sacerdotibus eadem ratio : etſi enim ſub Epiſcopis, tantam poteſtatem habent & ipſi animas ligandi & ſoluendi , principes benedicendi , & ſacrificium illud admirandum celebrandi , quod angelicas vires longè ſuperat. Quare S.

In orat.ad pop. Chryſ.l.3. de Sacerd.

Digitized by Google

Ambr. cum Theod. Imper. in Presbyterio ſedere vellet, juſſit eum arceri, dicens: *Purpura Imperatores facit, non Sacerdotes*, ut refert Theodor. l. 5. hiſt. Imò Chryſoſt. etiam Diaconum majorem Imperatore habere poteſtatem. Vide apud Sulpit. de S. Martino, qui in menſa Imperatori prætulit presbyterum ſuum, illi poſt ſe pateram dans, nullum ſcilicet, exiſtimans digniorem.

Hom. 89. in Matth.

Sed peccatores, inquiunt, ſunt Apoſtolici, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri, ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei Sacramentis. *Nunquam verò conveniunt duo iſta, Epiſcopum eſſe, & peccatorem? falſum eſt. Epiſcopus erat Caiphas, & tamen quantus peccator? qui in Dominum mortis ſententiam dictabat. Si neges Epiſcopum, arguet te teſtimonium Joannis, qui eum in teſtimonium ſui Epiſcopatus etiã prophetaſſe refert. Apoſtolus erat Iudas, & licèt avarus, ſceleratus, electus à Domino. An tu de illius Apoſtolatu dubitas, quem Dominus elegit? Nonne ego vos duodecim elegi?* Sed dices, quomodo ipſe mihi dicit quæ ipſe non facit? *Non tibi ipſe dicit*, inq. Chryſ. *nam ſi illi non obtemperas, mercede privaris. Chriſtus hæc admonet. Plus aliquid dicam. Ne Paulo quidem obedire oportet, ſi quid dixerit proprium, ſi quid humanum; ſed Apoſtolo Chriſtum in ſe loquentem circumferenti.* Hominum mandata in Script. vocantur, quæ ipſi ex ſuo ingenio ſine legitima authoritate excogitant, ut erant multæ traditiones Iudæorum; non autem quæ ex poteſtate divinitus tradita, à Prælatis mandantur.

Apud Ber. ſer. 66. in Cant.

Joan. 11.

Joan. 6.

Hom. 2. in cap. 1. 2. ad Timoth.

Ante multa tempora, à tota Chriſti Eccleſia hæreticis connumeratus eſt Aërius, quòd doceret Eccleſiaſticas leges non obligare Chriſtianos, utpotè

Epiph. hæreſ. 75. Aug. in l. de hæreſ.

utpote donatos libertate à Chriſto. Unde dicebat, *ſi volo jejunare, qualemcunque eligam diem à meipſo, & jejunabo, propter libertatem.* Sic in cæteris. Quem ſecutus eſt ſceleratus Ioannes Hus, docens, Obedientiam Eccleſiaſticam, eſſe obedientiam ſecundùm adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ, præter expreſſam authoritatem Scripturæ. Sed ob hoc & multa alia à Conc. Conſtantienſi & Martino V. gregi Hæreticorum annumeratus eſt, & poſtea cum eo Martinus Lutherus. Art. 7. in bulla Leo. 10. Sed quid mirum, hæreticos nolle obſequi Sacerdotibus, cùm Cypriano teſte, *non aliunde hæreſes oboriantur aut ſchiſmata, quam inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur.* Loquens de Romano Pontifice, uti clarum eſt. Cyp. li. 1. epiſt 3. l. 4. epiſt. 9. & de unit. Eccleſ.

Cui etiam Reges & Principes obedientiam debent, ex quo ſceptra ſua Chriſto ſubmiſerunt, ac Eccleſiæ membra effecta ſunt, cùm illi ſine ulla exceptione dictum ſit, *Paſce oves meas,* quem ovili ſuo præfecit. Ioan. ult. Habet quidem illa poteſtas procurationem rerum humanarum; ſed quoniam hic illis ſcopus eſſe debet religionis & Dei mandatorum in otio & pace obſervatio; ideo in iis rebus, quæ ſalutis communis & cauſas religionis attingunt, meritò communi Paſtori acquieſcunt, & tanquam privatæ, & tanquam publicæ perſonæ. Quantum autem peccatum ſit rebellare Paſtoribus Eccleſiæ, ex Deuteronomio facile eſt colligere, *ubi jubetur occidi homo ille, qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, pro tempore Domino miniſtrantis.* Deut. 17.

Tertiò, debent ſubditi Prælatis Eccleſiaſticis benevolentiam ac fervidas orationes. Unde Paulus, tanquam jure ſuo utens, in omnibus ferè epiſtolis orationes ſubditorum pro ſe exigit. Et Theſſalonicenſes hortatur; *Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum; pacem habete cum eis*. Sic admonet & Corinthios, & Philippenſ. ac Hebræos. *Nos*, inquit D. Aug. *quos in iſto loco, de quo periculoſa redditur ratio, Dominus conſtituit, habemus duo quædam: Unum quod Chriſtiani ſumus, alterum quod Præpoſiti ſumus. Illud, quòd Chriſtiani ſumus, propter nos eſt; quòd autem Præpoſiti ſumus, propter vos eſt. In uno attenditur utilitas noſtra, in altero non niſi veſtra. Quod Chriſtiani ſumus, inde rationem reddemus Deo de vita noſtra; quod Præpoſiti ſumus, inde rationem reddemus Deo de diſpenſatione noſtra*. Subdit verò Aug. *Ad hoc iſtam difficultatem proponimus, ut cõpatientes nobis, oretis pro nobis*.

1. Theſſ. 5.

Tract. de Paſt. ca. 1. vide & epiſt. 264.

Terribilis eſt ſententia S. Chryſoſt. *Tu*, inquit, (ſubdito loquens) *rem tuam curas, quam ſi bene ordinâris, nulla tibi alia ſollicitudo impendet. Sacerdos autẽ, etſi propriam bene diſpenſaverit vitam, aliorum verò non cum diligẽtia curam habuerit, cum impiis in gehennam detrudetur*. Subdit Chryſoſt. *Cùm igitur periculi magnitudinẽ videatis, multa eos benevolẽtia proſequamini*. Denique D. Proſp. *Sacerdos*, inquit, *ſanctè vivere debet propter exẽplum, & docere propter ſuæ adminiſtrationis officium; certus quod ei nihil ſua juſtitia ſuffragetur, de cujus manu anima pereũtis exigitur. Et quid ei proderit nõ puniri ſuo, qui puniẽdus eſt alieno peccato? Paſtoris ergo miſereri oportet, qui*

In cap. 20. Ioan.

Lib. 1. de vit. contep. c. 20.

inter

inter nos quantò in loco ſuperiori, tantò in maiori periculo verſatur, ut ait S. Aug. in Regula. Aug. epiſt. 109.

Quartò denique, debent ſubditi Paſtoribus vitæ ſubſtentationem. *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus? Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Non tanquàm venale ſit Evangelium*, ait S. Aug. *ut iſtud ſit pretium eius, quod ſumunt qui annuntiant, unde vivant. Si enim ſic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino. Non enim eſt idoneus populus reddere mercedem illis, qui ſibi in charitate Evangelii ſerviunt.* 1. Cor. 9. Rom. 15. Tract. de Paſtorib. cap. 2.

Pulchrè declarat D. Aug. in Pſal. iſta omninò deberi miniſtris Eccleſiæ. *Non eſt*, inquit, *donatio eorum, ſed veſtra merces. Sed cujus rei? Quid dãt, quid accipiunt? Dant ſpiritualia, accipiunt carnalia; dant aurum, accipiunt fœnum.* Docet ibi etiam, non eſſe expectandum donec petant, ſed præoccupandos, ne petant. *Aliter enim paſcendum eſſe bovem Dei, aliter mendicum tranſeuntem: huic enim petenti das, illum tu præveni, ne petat.* Et dicit Paulus, *eos qui bene præſunt, preſbyteros duplici honore*, id eſt ſubſidio, *dignos eſſe, maximè eos qui laborant in verbo & doctrina.* In Pſ. 103. conc. 3. 1. Tim. 5.

Iniqui ergo ſunt & peccant graviter, qui decimas, vel conſuetas oblationes, aliáve ſubſidia pro Sacerdotibus fundata defraudant, aut non ſolvũt. Quibus graviter minatur Scriptura; *Terra ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, & non generans herbam opportunam illis à quibus colitur, reproba eſt* Heb. 6.

&

Digitized by Google

& maledicto proxima. Unde & Conc. Moguntinũ; Cap. 38. vide & Matiſc. c. 5. & Tribur. c. 13. *Metuendum eſt, ut quiſquis Deo debitum ſuum abſtrahit, ne fortè Deus per peccatum ſuum auferat ei neceſſaria ſua.* Et omnino putandum, inter alia ſcelera, quibus mundus plenus eſt, etiam hoc peccatum à Deo jam puniri, quo Paſtoribus vitæ ſuſtentacula à populo ſubtracta, aut denegata ſunt.

Act. 20. 1. Cor. 4. 2. Theſſ. 2. Conc. Agath. c. 36 Carth. 4. c. 51. 52. 53. epiſt. 7. De vita Chriſtia. Epiph. hær. 80. Non tamen hinc exiſtimare debent Sacerdotes, interdictum ſibi eſſe laborem manuum; quin & sãctè facient, ſi Pauli in hac re imitentur exemplum. Unde & in Conciliis, *non ſolum Monachis, ſed etiã Sacerdotibus animarum curam habentibus agricultura permittitur, abſque officii ſui duntaxat detrimento. Et aliis clericis opus rurale & alia artificiola, quibus victum ſibi ac veſtitum præparent, ſuadentur.* Huc ſpectare videtur S. Ignatius, quando dicit; *Nemo inter vos ſit otioſus.* Et Iuſtinus Martyr; *Pudor ille in vitio eſt*, inquit, *ut vereamini ſi ipſi manibus noſtris opus fecerimus, ne quis nos miſeros, & auxilio deſtitutos eſſe ſuſpicetur.* Rurſus Clemens in Conſt. lib. 2. c. 67 Vide Baro. to. 1. *Qui in Eccleſia juvenes eſtis, curate in omnibus rebus neceſſariis ſedulò miniſtrare. Cum omni diligentia operi veſtro vacate, ut omni tempore & vobis, & egentibus ſuppeditare poſſitis, ne Eccleſiam Dei oneretis. Etenim nos quoque vacantes verbo Evangelii, ſubciſivas operas non negligimus: alii enim ex nobis piſcatores ſunt, alii ſcenarũ artifices, alii agricolæ, nec unquã otioſi ſumus.*

Imò apud Iudæos communis quædam lex præſcripta erat, ut qui ſacras literas profiteri vellent, manuale quoddam opificium addiſcerent, quo victum quærerent, & ne ad peccandum eſſent procliviores. Unde & Paulus ſacris literis excultiſſimus, aliquod opificium didicit, quod

Digitized by Google

ad victum comparandum, cùm Evangelium prædicaret, ubicunque locorum conſiſteret, exercebat. Erat autem ars ſcœnofactoria, quæ ex pellibus facienda conſueret tabernacula, quibus milites uterentur in caſtris, & nautæ etiam ad operiendas naves. Talem artificem fuiſſe Paulum, teſtantur Origenes, & Chryſoſt.

Actor. 18. Tacit. l. 13. Cæſar l. 3. de bello civili. Hom. 17. in Num. Hom. 2. in epiſt. ad Rom.

MONITUM LXXII.

Regem honorificate.

1. Pet. 2.

INgentia ſunt beneficia, quæ Principes ac Magiſtratus ſeculares præſtant Reipub. quando officio ſuo rectè funguntur; publicam tranquillitatem conſervant; corpora, uxores, liberos, & divitias ab iniquis invaſoribus defendunt; utiles leges condunt, ſuum cuique jus reddunt, noxios ſupplicio, benemeritos gratia afficiunt. Eorum neceſſitatem pulchrè declarat D. Chryſ. *Illos tollere, eſt omnem vitæ noſtræ ordinem tollere, eſt gubernatorem à navi ſeparare, Ducem ab exercitu. Quod in domibus faciunt lignorum contignationes, hoc Principes in Civitatibus.* Hom. 6. ad pop. Unde Sapiens ac nobilis quidam Rex dicere ſolitus; *Maxima dona quæ hominibus à Deo data ſunt, Sacerdotii dignitatem, & Imperium exiſtimavi. Illa enim cœleſtia curat & diſpenſat; hoc autem legibus æquis & juſtis omnia quæ in terris ſunt procurat.*

Vide 7. Synod. act. 2. in reſponſ. Orientaliũ ad Tharaſium.

Unde multa Principibus à ſubditis debentur. In primis honor: Unde monet D. Petrus,

Regem

Regem(ſub quo alios Principes & Magiſtratus intellige) *honorificate. Scriptum eſt*, inquit S. Ignat. *Honora Deum & Regem. Epiſcopus honorandus, quia pro Salute populi Sacerdotium gerit: Rex, quia pacem & benevolentiam omnibus cogitat.* Et D. Greg. Nazian. Imperatorem alloquens: *Imperium*, inquit, *cum Chriſto tenes, cum ipſo in terris gubernas: Tu es imago Dei.* Ideoque graviter Deum offendunt, qui illis detrahunt, maledicunt, contumeliis afficiunt, qui eorum ſententias ac judicia calumniantur. Quæ vitia apud homines conſueta eſſe ſolent. Unde etiam lex Domini diligenter contra ea invigilans: *Diis*, ait, *non detrahes*, id eſt, Principibus & Iudicibus populi non maledices. Et rurſum; *Non judices contra judicem, quoniam ſecundum quod juſtum eſt, judicat.* Sicut enim ait Ioſaphat, *Non hominis exercent judicium judices, ſed Dei.*

1. Pet. 2. In epiſt. ad Smyrnenſ. In orat. ad Cives. Exod. 22. Eccleſ. 9. 2. Paral. 19.

Secundò debetur eis & peculiaris benevolentia, qua ſubditi ardenti amore à Deo eis precentur felices ſucceſſus, & verũ Dei timorem, etiamſi ipſi infideles ſint, aut pravi, eo quòd Princeps pacificè gubernans populum, multum adjumenti adfert Chriſtianæ pietati. Ideo Apoſtolus Timotheo Epiſcopo in primis mandat, ut hoc ſubditis ſuis proponat: *Obſecro*, inquiens, *primum omnium fieri obſecrationes, orationes*, &c. *pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.* Quem locum Apoſtoli rectè D. Auguſt. & alii veteres de Miſſæ Sacrificio intelligunt, in quo etiã pro Regibus preces à Sacerdote fundi ſolitas, etiam D. Ambr. aſſerit; *Oratione*, inquit, *petitur pro Regibus, pro populo, pro cæteris, loquens de iis* *quæ*

1. Tim. 2. Epiſt. 50. Chryſoſt. Theoph. Oecum. in comment.

quæ fiunt ad altare Domini. Sic & Ieremias Propheta ex ore Domini ad tranſmigratos in Babylonem; *Quærite pacem civitatis, ad quam vos tranſmigrare feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.* Et Baruch; *Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filii ejus, ut ſint dies illorum ſicut dies cœli ſuper terram; & ut det nobis virtutem Dominus, & illuminet oculos noſtros, ut vivamus ſub umbra Nabuchodonoſor regis Babylonis, & ſub umbra Balthaſar filii ejus, & ſerviamus illis multis diebus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum.* lib. 4. de Satra. c. 4. Ierem. 29. Baruch 1.

Tertiò, debent illis ſubditi Obedientiam, quia videlicet Vicarii Dei ſunt, & quod præcipiunt, id vice Dei præcipiunt. Unde Apoſtolus etiam de gẽtilibus loquens, qui tum cùm hæc diceret, Remp. adminiſtrabant; *Omnis anima,* inquit, *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Et iterum; *Dei miniſter eſt tibi* (benefacienti) *in bonum, & vindex in iram ei qui malum agit.* Ubi poteſtatem accipit Apoſt. pro ſuperiori authoritate, quæ jus habet præcipiendi, cuique obtemperare ſit laudabile. Nam Divina permiſſio ſeu conceſſio, quæ nomine poteſtatis interdum ſignificata eſt; quam accepit etiam Diabolus in Iob, & Iudæi ac Pilatus in Chriſtum, non eſt ea cui obedire ſit laudabile, ſed ei cùm ad malum ſit & peccatum, rectiſſimè ſimili poteſtate reſiſtitur. Nam uti nocere quibuſdam ad injurias inferendas paratis permittit Deus, ita ſe tueri & injuriam propulſare non prohibet. Rom. 13. Ibidem. Iob 1. & 2. Lucæ 22. Ioan. 19.

Unde inſulſa Lutheri doctrina, non eſſe bello repu

repugnandum Turcis invadentibus, ne videlicet Deo ipſi, ac ejus poteſtati reſiſtere homo videretur; alioqui nec Diabolo ad lapſum impellenti erit reſiſtendum; qui non tentaret quempiam, niſi juſto Dei judicio poteſtatem accepiſſet. Quiddamque ſimile Iulianus olim effutiit; ſi, inquiens,
Aug.lib.5. in Iulian. cap.3. libido pœna peccati eſt, neque niſi juſta à Deo inferatur, ergo abjicienda caſtitas, ne rebellis in Deum latam ab eo dicatur enervare ſententiam.

Inter cæteras gentilium calumnias, qua Chriſtianos calumniabantur, una erat, quod docerent ſe non debere Principibus ſubeſſe. Hinc diligenter hæc docuit Apoſtolus, unde & Tito mandat, ut admoneat *Chriſtianos Principibus & poteſtatibus*
Tit.3. *ſubditos eſſe, dicto obedire.* Et S. Petrus, *Subjecti,*
1.Pet.2. inquit, *eſtote omni creaturæ propter Deum; ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; quia ſic eſt voluntas Dei.* Contra quam quod fit, ſine dubio vitioſè fit. Vnde nemo imaginari debet ſe coram Deo nullum incurrere reatum, ſi clam Principibus & Magiſtratibus, leges eorum violet. Hinc & S.Paulus, *Qui poteſtati reſiſtit, Dei*
Roma.13. *ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et ne hoc intelligatur de civili damnatione (quæ in Script. nomine damnationis ſignificari non ſolet) quæ à Principe ſeculari infertur; ideo ſubdit clariùs; *Ideo* (nimirum, quia Princeps Dei miniſter eſt & vicarius) *neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram,* id eſt, pœnam hujus temporis, *ſed etiam propter conſcientiam,* quæ ob hujuſmodi factum læderetur ac macularetur;
nullæ

nulla autem re maculari conſcientia poteſt, niſi peccato.

Neque poteſt intelligi conſcientia aliena, eorum ſcilicet, qui non credunt, ne ſi viderint Chriſtianos non obedire, dicant religionem eorum valere ad excitandas ſeditiones. Sed textus contradicit omnino. Non enim ſolam timeri vult iram, quæ in pœna hujus temporis intelligitur, verùm etiam culpam, quæ contrahitur ex offenſa Dei. Ideo enim dicit propter conſcientiam illos ſubjici oportere, quia Dei miniſtri ſunt, qui ejus vice & authoritate in terris funguntur; ideo violatio Conſtitutionis eorum, cum Dei eſt offenſione conjuncta. Primorum certè Chriſtianorum etiam in literis hoſtium eorum, laus hæc reperitur, contra Principum leges nihil eos ſolitos agere, ſed obedienter imperata facere, quæ cum pietate & juſtitia non pugnarent. Euſeb.l.5. cap.32. hiſtor.

Hæc autem Obedientia Principibus debita omnia ea officia complectitur, quæ ad utilitatem Reipub. ab iis imperantur, ut militare, tributa perſolvere, & ſimilia: hæc enim juſtè exiguntur, tum ut ſtipendia laborum, quos pro Republ. ſubeunt, tum ut neceſſaria ad Reipubl. conſervationem. Unde Chriſtus in Evang. *Reddite*, ait, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*. Et Apoſtolus; *Reddite omnibus debita. Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. Magnum & ſpeciale documentum*, inquit Ambr. *quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docentur debere eſſe ſubjecti, ne quis putet conſtitutionem regis terreni eſſe ſolvendam. Si enim cenſum filius* Matth.22. Rom.13. Lib.5.in Luc.cap.5. Matth.17.

lius Dei ſoluit, quis tu tantus es, qui non putes eſſe ſoluendum? Et ille cenſum ſoluit, qui nihil poſſidebat: tu autem qui ſæculi ſequeris lucrum; cur ſæculi obſequium non recognoſcas?

Sed quid ſi iniquas leges condant, & iniquas exactiones imponant: his non tenemur parere, nec ſoluere: verbi gratia, cogit jus civile gentilium, tutorem dare pupilli pecuniam ad uſuram, non debet obedire. Chriſtiani enim Scriptura ac Patrum autoritate adducti, hoc præceptum contemnunt, admonentque diligenter ſolidi Theologi, necnon & canonum ac legum Doctores, quod ubicunque olim lege Gentilium tenebatur tutor pecunia pupilli fœnerare, tenetur hodie eam ponere ad juſtam negotiationem. Sic extitit lex Juſtiniani Imperat. qua religionis ingreſſus indifferenter alterutri conjugatorum permittebatur: *Verùm ſciendum*, ait Gregor. *quia etſi hoc humana lex conceſſit, tamen Divina prohibuit. Si enim continentiam, quam vir appetit, mulier non ſequitur, aut quam uxor appetit, vir recuſat, conjugium dirimi non poteſt, quia ſcriptum eſt: Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Idem Gregor. fortiter reſtitit legi Mauritii Imperat. videlicet, Nulli militum licere converti in Monaſterio. Sic etiam lege civili cogitur vidua non nubere ante expletum annum à morte ſui mariti prioris; non tenetur obedire: correctum eſt id per jus Canonicum, idque autoritate Apoſtoli dicentis, quod vidua per mortem viri, *ſoluta ſit à lege conjugii; & quod poſſit nubere cui vult*, ſine adjectione temporis.

Lib. 9. Regiſt. epiſt. 39.

1. Cor. 7. Lib. 29. epiſt. 61.

In Decret. de 2. nupt. duob. ult. capitibus.

Atque hac ratione non Principibus, ſed hominibus

minibus reſiſtitur, quorum poteſtas ad iſta ſe non extendit. Unde D. Aug. *Si jubeat poteſtas facere quod non licet, hic ſanè contemne poteſtatem: ipſos humanarum legum gradus advertito. Si aliquid juſſerit curator, nonne faciendum eſt? Tamen ſi contrà Proconſul jubeat, non utique contemnis poteſtatem, ſed eligis majori ſervire. Si aliud Imperator, & aliud Deus: da veniam Imperator; tu carcerem, ille gehennam minatur.* Et D. Proſp. *Sæpe in hoc ſæculo peccatores mundanam potentiam conſequuntur, cùm & ipſi ſint iniqui, publicarum tamen legum ſunt miniſtri; quorum poteſtas fidelibus honoranda eſt, propter utilitatem diſpoſitæ diſciplinæ. Sed ſi in id prorumpant, ut juſtos à veri Dei cultu conentur avertere, nulla eis obedientia, nulla præbenda conſenſio.* Ubi arguitur articulus Vvicleff, & Hus; *Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt prælatus in ſtatu peccati mortalis*: damnatus cum aliis in Conc. generali Conſtant. Si autem principes præcipiunt aliquid non quidem malum, ſed ſupra poteſtatem, niſi velim, obedire non obligor; ſaltem ratione poteſtatis, quæ ſe ad hoc non extendit, niſi fortè ratione ſcandali, quia non ſtatim diſcernitur ab aliis, utrum hoc ſub poteſtate contineatur, necne. Sic S. Cypr. increpat quoſdam, qui ob fidem in exilium miſſi redibant: *Ne fortè*, inq. *comprehenſi puniamini, non tanquam Chriſtiani, ſed tanquam nocentes*, & legis tranſgreſſores. Si autem manifeſtum ſit, non contineri, non teneor. Vide epiſt. 7.

Ser. 6. de verb. Domini.

In pſal. 124

Quod ſi certus non ſit ſubditus, iniquam eſſe legem vel exactionem Principis, tenetur obedire, quia non licet alteri id ſubtrahere, de quo dubitatur an ei debeatur. Melior eſt conditio poſſidentis. Unde Auguſt. contra Fauſt. *Ordo illi natu-*

Lib. 22. cap. 75. Vide Ber. de præc. & diſp.

ralis mortalium paci accommodatus, hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli authoritas atque conſilium penes Principem ſit: exequendi autem juſſa bellica miniſterium milites debeant paci ſalutique communi. Vir igitur juſtus conſtitutus etiam ſub Rege ſacrilego, poteſt & debet illo jubente bellare, civica pacis ordinem ſervans; cui quod jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt; ita ut fortaſſe reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi. Quæ verba Auguſtini, de viro juſto militante tantùm loquuntur, qui ad obediendum Principi eſt obligatus; debet enim præſumere eum juſtè agere, quamdiu ei non conſtat apertè contrarium: locum autem non habet in iis militibus, qui ſolam pecuniam quærunt, parati ſervire tam in juſto, quam in injuſto bello. Neque in his, qui cum omnino dubium ſit, num juſtum ſit bellum, incurioſè ad militandum ſe offerunt, cùm Principi non ſint obligati: Tum enim hi citra neceſſitatem periculo injuſtitiæ ſe temerè committunt.

Sed quid agendum ſi contingant Principes, qui tyrannicè in ſuas libidines expilant plebem? Nihilominus propter principatum honorandi ſunt; & ſi timeatur ex negatione tributorum Reipub. perturbatio, etiam eis tributa perſolvenda ſunt, & impoſitiones iniquæ; orandúſque eſt Deus, ut det eis ſaniorem mentem. Cogitandumque illud Prophetæ Iob, *Deus regnare facit hypocritam propter* Iob 34.
peccata populi. Nam talibus, inquit Aug. *poteſtas dominandi non datur, niſi ſummi Dei providentiâ, quãdo res humanas judicat talibus dominis dignas. Unde* Lib. 5. de Civit. c. 19.
Dei Sapientia; Per me reges regnant, & tyranni, id Prov. 8.
eſt,

Digitized by Google

eſt, peſſimi atque improbi reges, tenent terram. Dicit Oſeæ 13.
Propheta; *Dabo eis regem in furore meo. Sicut Saul* In pſal. 51. in præf.
rex datus Iudæis, ait Aug. *non ad eorum utilitatem, ſed correptionem.*

Phoca imperante, Deum ad diſceptationem provocans quidam S. Monachus, quæſivit cur tam impium impoſuiſſet Chriſtianis imperatorem? Audivitque vocem, neminem videns, ſibi dicentem; *Deteriorem illo alium inveniri non potuiſſe, & hoc meruiſſe Conſtantinopolitanorum flagitia.* Unde & Gregor. *Pro meritis ſubditorum diſponitur vita Præſidentium: id manifeſtum eſt hinc, quod furor Domini iratus eſt contra populum Iſraël, eo quòd incitatus fuiſſet David ad ſuperbè numerandum populum.* Ob hoc enim peccatum peſte perierunt 78. millia ſubditorum. Et minatur Dominus per Prophetam, quod *ob peccata populi, auferet validum & fortem, prophetam & ſenem conſiliarium, & honorabilem vultu,* &c. *& dabo,* inquit, *pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.*

Cedrenus in Phoca.

2 Reg. 24. Iſaiæ 3. Gregor. in Paſt. part. 1. cap. 1.

Quod autem dicitur de talibus, *Ipſi regnaverunt & non ex me,* hoc dicitur, non quòd eis nulla inſit poteſtas imperandi, ob quam jure honorentur, (& ad quam ipſe Saul, Ieroboam, Roboam & ſimiles tyrannos evexit) tametſi illum converterunt ad injurias ſubditorum, peccatis eorum ita exigentibus; ſed quod eorum ratio regendi, & adminiſtratio à Sapientiæ conſiliis aliena, non ex Deo, neque ex charitate ſubditis conſulendi, ſed ex libidine dominandi oriretur. Unde D. Greg. *Ex ſe,* inq. *non ex arbitrio rectoris regnant, qui nullis ſuffulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, ſed ſua cupidine accenſi, culmen regiminis rapiunt potiùs quàm*

aſſequuntur. Quos tamen internus judex & provehit, & non cognoſcit, quia quos permittendo tolerat, profectò per judicium reprobationis ignorat.

Quando autem falcem ſuam in alienam meſſem mittere conantur, ut non cogitantes ſe ſeculares Principes eſſe, reique civilis gubernatores, judicare audent de veritate fidei, jubere aliquid contra libertatem Eccleſiaſticam, eſt viriliter illis reſiſtendum. Quomodo S. Thomas Cantuarien. Henrico Regi Angliæ reſtitit uſque ad mortem, cùm leges ferret utilitati ac dignitati Eccleſiaſticæ repugnantes. Atque ut aliquid ex antiquitate adferam, ita reſtitit Oſius Cordubenſis, vir egregius, Conſtantio Imperatori Ariano; *Non te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divinæ, ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens, magno crimini fias obnoxius. Date (ſcriptum eſt) quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ Dei, Deo. Non ergo fas eſt nobis in terris Imperium tenere, neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes, ô Imperator.* Sic & S. Ambroſ. Valentiniano Auguſto; *Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea quæ Divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutiùs imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt, Quæ ſunt Dei, Deo; quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ. Publicorum tibi mœnium jus conceſſum eſt, non Sacrorum*, &c.

In vita.

Apud D. Athanaſ. in epiſt. ad Solitarios.

Matth. 22.

Epiſt. 33.

Matth. 22.

Hinc & Conſtantinus magnus noluit judicare de cauſis Epiſcoporùm, tempore Concil. Nicæni,

ni,ſe mutuò accuſantium, ut habet hiſtoria Tripartita. *Nam Sacerdotes de Sacerdotibus debent judicare*, ut dicebat idem Ambroſ. Valentiniano juniori. Quod pater ejus, Valentin. ſenior optimè intellexit, cùm ait; *Accerſitis Epiſcopis, eum collocate in Pontificali ſolio, cui nos quoque Imperii moderatores noſtra ſubdamus ſincerè capita, cujuſque reprehenſiones (cùm homines ſimus, & offendere neceſſe ſit) tanquam medicinæ curam libenter admittamus.* Qui etiam legibus ſanxit, *in cauſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicujus ordinis, judicare eum debere, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimilis, id eſt, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare.*

Lib.2.c.2.

Apud Theodo. lib.4.c.5.

Ambroſ. epiſt.32.

Quin etiam ſi aliàs argueretur Epiſcopus, & morum eſſet examinanda cauſa, etiam hanc voluit ad Epiſcopale judicium pertinere. Vnde & apud eundem Ambroſ. eſt epiſt. 24. *ne Epiſcopi cauſam Præfectus cognoſceret, magno populi ardore, ſtudioque effectũ eſſe.* Atque hæc libertas Eccleſiaſtica eſt ordinatione Dei, ut loquitur Conc. Trident. & Canonicis ſanctionibus conſtituta, quam ne Præfecti ſæculares, ſtudio cupiditatis, ſeu inconſideratione aliqua violent, diligenter inhibuit. Cujus etiam eſt mentio apud D.Bern. Et à D. Leone jubetur expelli ab Eccleſia, & ab altari arceri, qui prætermiſſo Sacerdote Eccleſiæ ſuæ, ad diſceptationem venerit ſecularium. Quod ſervari vult in omnibus negotiis clericorum.

Ambroſ. epiſt 24. epiſt.177. 216.257. epiſt.96. Vid.Conc. Milevit.c. 19. & in Decr.Silveſtri Pontif.

Digitized by Google

MONITUM LXXIII.

Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, &c.

Luc. 11.

POteſt hæc ſententia de tribus intelligi, Chriſto, Eccleſia, unoquoque fideli, maximè Prælato. Verbum enim æternum lux eſt, ſive lucerna; accenſum eſt, inquit V. Beda, quando innarnatum eſt, & in manifeſto poſitum. Per incarnationem Deus inviſibilis factus eſt viſibilis & omnibus conſpicuus. Luxit in humana natura doctrinis, miraculis, exemplis, ſicque ſeipſum toti mundo manifeſtavit. *Populus*, ait Iſaias, *qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam*. Ipſum Chriſtum doctrinis, exẽplis, miraculis coruſcantẽ, ut Zacharias ait in Cantico, *Erexit nobis cornu ſalutis*. In cornu duo notanda, habet fortitudinem, ſicut os; & extra carnem eminet, ut conſpiciatur. Significatur fortitudo Chriſti omnibus conſpicua. Illum conſtituit Pater firmum fundamentum ſalutis, & fecit eum ab omnibus cognoſci, ad hoc miſſus, ut omnes illuminaret per cognitionem veritatis, quo ſic conſumatur ignorantia; & accenderet per dilectionem juſtitiæ, quo ſic conſumatur cupiditas. Cognitio Chriſti Salvatoris omnibus ad ſalutem neceſſaria; *non eſt enim in alio aliquo ſalus. Si enim ignoretur quà eundum ſit, quid prodeſt noſſe quò eundum ſit?* inquit D. Auguſtinus. *Et aliud eſt de*

In commentario.

Iſaiæ 9.

Matth. 4. Lucæ 1.

Actor. 4. De Civit. l. 11. c. 2.

de ſilveſtri cacumine videre Patriam pacis, & iter ad eam non invenire; & fruſtrà conari per invia, circum obſidentibus & inſidiantibus fugitivis deſertoribus cum Principe ſuo leone & dracone: & aliud tenere viam illuc ducentem, cura cœleſtis Imperatoris munitam, ubi non latrocinantur qui cœleſtem militiam deſeruerunt. Vitant enim eã ſicut ſupplicium. Hæc Aug. Lib. 7. Confeſſ. c. ult.

Secundò, Deus Eccleſiam ſuam, quâm etiam neceſſe eſt ab omnibus cognoſci, extra quã Chriſti cognitio nihil prodeſt, in qua ſola univerſa ſalutis noſtræ chariſmata operatur, accendit, eámque omnibus conſpicuam, & acceſſibilem propoſuit. Unde vocatur *Civitas ſupra montem poſita, quæ abſcondi non poteſt*. Mons Chriſtus eſt, *qui implevit univerſam terram*: in quo domus domini Eccleſia fundata eſt, quam Prophetæ prædixerunt ita fore conſpicuam, ut omnes gentes ad eam concurrerent pro doctrina Dei. *Faciliùs*, ait Chryſoſtom.) *eſt ſolem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari. Illa* (inquit Amb.) *Ieruſalem quæ in cœlo eſt, in quo militat fides noſtra, in illo altiſſimo omnium locata monte, id eſt, Chriſto, Eccleſia, non poteſt tenebris & ruinis hujus mundi abſcondi; ſed fulgens candore ſolis æterni, luce nos gratiæ ſpiritualis illuminat.*

Matth. 5. Dan. 2. Aug. tract. 1. in 1. Canon. Ioan. lib. 3. cont. Fauſt. c. 13. & 14. De unit. Eccleſ. c. 14. Iſaiæ 2. Mich. 4. Chryſ. homil. 4. in verb. Iſa. 6. Vidi Dom. Ambroſ. l. 7. in Luc. Hilar. l. 7. de Trinit.

Eam (ait Hilar.) *lucem Eccleſia doctrinæ ſuæ, etiam imprudentiæ ſæculi invehit, ut licèt fidei Sacramentum non ſuſcipiat, tamen adverſus hæreticos veritatem Sacramenti à nobis intelligat prædicari. Magna enim vis eſt veritatis, quæ cùm per ſe intelligi non poſſit, per ea tamen ipſa, quæ ei adverſantur, elucet: ut natura ſua immobilis manens, firmitatem naturæ ſuæ quotidie dũ attentatur, acquirat. Hoc enim Eccleſiæ proprium eſt, ut tum vincat, cum læditur; tũ obtineat, cum deſeritur;*

tũ intelligatur, cum arguitur. Sic & Aug. *Obſcuratur,* inquit, *aliquando, & tanquam obnubilatur multitudine ſcandalorum: ſed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminet. Et ſi aliqua in verbis Divinis diſtributio facienda eſt, fortaſſe non fruſtra dictum ſit de ſemine Abrahæ: Sicut ſtellæ cœli, & ſicut arena, quæ eſt in littore maris; ut in ſtellis cœli pauciores, firmiores, clarioreſque intelligantur; in arena autem maritimi littoris, magna multitudo infirmorum atque carnalium, quæ aliquando tranquillitate temporis quieta & libera apparet, aliquando autem tribulationum & tentationum fluctibus operitur, & turbatur.*

Epiſt. 48.

Geneſ. 22.

Tertiò denique, unuſquiſque fidelis lucerna eſt accenſa à Deo luce fidei, veritatis, ac juſtitiæ; qui eum de tenebroſo lucidum, de mortuo vivum fecit. Magna Dei gratia illuminatio Chriſtiani, ut videat patriam pacis, & viam eò ducentem; quam utramque Scriptura valdè prædicat. Vt, *Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam; & ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Et, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino.* Et, *De tenebris vocavit vos in admirabile lumen ſuum.* Denique Propheta David; *Tu illuminas lucernam meã, Domine,* id eſt mentem meam, quæ eſt oculus animæ, quo Deum & Divina videt. Vel me, qui lucerna ſum, illuminata à te, lucens luce aliena, ut luna Solis. Ad hoc autem accenditur, & illuminatur, ut luceat, id eſt, bene operetur. *Sic luceat lux veſtra,* juſtitiæ & bonorum operum, *coram hominibus, ut videant opera veſtra bona,* &c. De Joanne Baptiſta dicitur, quod *erat lucerna ardens & lucens;* ardens intus charitate, lucens foris ſplendore virtutum, & bonorum operum. Talis quiſque lucerna eſſe debet, &

Matth. 4.
1. Pet. 2.
Epheſ. 5.
Pſal. 17.
Matth. 5.
Joan. 5.

ne

ne quidem perſecutionis tempore ab hoc ſplendore diſcedere. *Sicut ſtellas cœli non extinguit nox*, inquit S. Proſp. *ita mentes fideliũ adhærentes firmamẽto Scripturæ ſacræ, non obſcurat mundana iniquitas.* Sent. 120.

Non ergo accenditur lucerna, ut ponatur in abſcondito, ſed propterea debet homo illuminationem à Deo petere, ut foris in bonis operibus luceat, ſicut lucebant Philippenſes *in medio nationis pravæ & perverſæ, ſicut luminaria in mundo. Non eſt enim vera ſcientia boni*, ait idem Proſp. *niſi ad hoc comprehendatur ut agatur: non enim utiliter meditatur legem Domini, qui laborat, ut memoria teneat, quod actione non implet.* Hinc hortatur Apoſtolus jam illuminatos, ut *abjiciant opera tenebrarum, & induantur arma lucis*, id eſt, virtutes, quibus inſtructus homo, non ſolùm facit opera bona, ſed etiam contra vitia munitur. Vnde D. Hieron. de virtutibus loquens: *Sunt*, inquit, *ornamento, & tutamini; gemmæ vertuntur in ſcuta.* Et alibi, cùm dixiſſet; *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, addit, *Ut filii lucis ambulate, fructus autem lucis eſt in omni bonitate, juſtitia & veritate*, id eſt, in omni genere virtutum. Philip. 2. Sent. 24. Rom. 13. In epiſt. ad Nepot. Epheſ. 5.

Nemo autem exiſtimet, quod ſufficienter luceat, ſi bona opera faciat, niſi etiam in bonis operibus rectum finem habeat. Hinc ſubdit Dominus de intentione: *Lucerna corporis tui oculus eſt. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.* Quem locum pulchrè & breviter explicat Aug. *Per oculum*, inquit, *intellige intentionem, qua facit quiſque quod facit; & per hoc diſce, eum qui non facit opera bona intentione* Lucæ 11. li. 4. cont. Iulia. c. 3. circa finẽ.

intentione fidei bonæ, hoc eſt, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod illis operibus velut membris conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum.

Quæ quidem ſententia Divi Auguſtini poſitivè intelligenda, hoc eſt, fine malo & illegitimo; omnia quæ ex tali fine fiunt, tenebroſa ſunt. Non tamen oportet ut omnia quæ infidelis aut malus facit, ex illa intentione procedere; ſicut nec in homine juſto omnia ab oculo ſimplici diriguntur. In multis enim etiam juſtus peccat. Sic quando idem Auguſtin. exponit illud Pauli, *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; accipere videtur non merè negativè, ſed poſitivè: *Quod non eſt ex fide*, id eſt, quod eſt ex infidelitate, id eſt, *ſtulta & noxia voluntate*, ut ipſe ibidem. D. Bernard. rectiſſimè annotavit, *ad oculi ſimplicitatem duo requiri, Charitatem in intentione, Veritatem in electione*, electio autem mediorum eſt.

Iac. 3. 1. Ioan. 1. Rom. 14. Contr. Iul. ibidem. De præc. & diſp. quæſt. 2.

Comparat ergo Dominus finem ſeu intentionem oculo hominis. Sicut enim oculus totum hominis corpus, quod variis membris conſtat, illuminat; ita & finis, ſeu intentio totam hominis converſationem, quæ variis operibus componitur, ſanctificat. Sit aliquis pulcherrimus in officiis, ſit patiens, ſit caſtus, ſit ſobrius, ſit miſericors, etiam ſanguinem pro Chriſti nomine fundat, ſi iſta referat ad finem indebitum, tenebræ ſunt. *Noveris*, ait Aug. *non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes: officium autem eſt, quod faciendum eſt; Finis verò, propter quod faciendum eſt. Cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.*

Cont. Iul. ibid.

Vicina

Vicina ſunt vitia virtutibus, & quod facit charitas, etiam facit cupiditas. Magnum opus charitatis, omnia ſua diſtribuere pauperibus, poteſt etiam facere cupiditas: alioqui non diceret Apoſtol. *Etſi diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non hăbuero; nihil mihi prodeſt.* Quod majus charitatis opus, quàm tradere corpus ſuum, itaut ardeat? etiam poteſt facere cupiditas: alioqui non diceret Apoſt. *Si tradidero corpus meũ, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Non defuerunt*, inquit Aug. *non ſolùm hæretici, ſed nec Catholici, qui cauſa humanæ gloriæ paterentur: Si non eſſent tales, non diceret Apoſt. Si tradidero corpus meum, itaut ardeam, &c. Sciebat ergo poſſe eſſe quoſdam, qui hoc jactatione facerent, non dilectione. Ideo & David dicebat. Quoniam propter te mortificamur tota die. Potes enim videre mortificari hominem: quare mortificetur, neſcis. Deus hoc novit, res in occulto eſt.* Sic Apoſt. dicit ad Roman. quod *ſpes, quam tribulatio, patientia, probatio operantur, non confundit, quando charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Sicut confundit eos qui patiuntur ex cupiditate gloriæ, ex pertinaci ſuperbia, non ex amore Dei, aut Eccleſiæ, &c. ut hæretici.

Hier. cont. Lucifer.
1 Cor. 13.
Ibidem.
In pſal. 43.
1. Cor. 13.
Pſalm. 43.
Rom. 5.

Recta intentio eſt Deo in omnibus placere; curva, quærere ſua commoda, aliena ſuffragia, &c. per hanc fit, ut nihil ſit indifferens in particulari, tametſi ſit in ſpecie, ut colere agros, ædificare, manducare, &c. Sed hæc ſicuti bona redduntur, recta intentione faciendi, cæteriſque circunſtanſtiis; ita contrà, mala, ſi illæ deſunt. Quod autem dicit Apoſt. *Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt*, graves authores, in quibus princeps D. Chryſ. accipiunt de

Rom. 14.
D. Chryſ. in illũ loc.
Pſal. 26.

de fide ſeu credulitate, cui reſpondet verbum credendi, pro bona perſuaſione & fiducia uſurpatum. Vt ubi ſcriptũ eſt, *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Quod enim non eſt ex ea credulitate ſeu fiducia, qua ſe homo putet quod agit, rectè agere, peccatum eſt. Aut enim alioqui palam agit contra cõſcientiam, dũ illicitum eſſe judicat, quod agit; aut certè peccandi ſe periculo exponit, dum id aggreditur, de quo dubitat, recténe acturus ſit, an malè. Quod propoſito Apoſtoli convenit. Vnde
Rom. 14. præcedit; *Beatus qui non judicat*, id eſt, condemnat, *ſeipſum in eo quod probat*, reipſa dum agere ſtatuit.

MONITUM LXXIV.

Occurrerunt ei decem viri leproſi.

Luc. 17.

Li. 2. quæſt. Evang. c. 40. de verb. Apoſt. Serm. 10.

LEproſi ſunt homines ignorantiis & erroribus obnoxii, ſive, ut ait Aug. *qui ſcientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Lepra variis, falſiſque colorum fucis humana corpora variat atque maculat. Nulla eſt autem doctrina falſa, quæ non aliqua vera intermiſceat.* Hinc varios colores, id eſt, varias doctrinas habet; quaſdam veras, quaſdã falſas; quaſdam noxias, quaſdam innoxias. Habent agrum ſeminatum diverſo ſemine. De quibus
Levit. 19. Heb. 13.
Apoſt. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Leproſi erant Philoſophi, qui patriam pacis videbant, in ejus via errabant. Leproſi ſunt Iudæi, credunt futuram carnis reſurrectionem, Chriſti

reſurrectio

reſurrectionem factam non credunt. Leproſi ſunt hæretici, Chriſtum incarnatum credunt, ſed eandem carnem in Sacramento nobis reliquiſſe non credunt. Hi omnes & ſimiles,quia quædam verè ſciunt, at in aliis multis errant, leproſi dicuntur.De quibus D.Hieron.ex Tertulliano; *Philoſophi, Patriarchæ hæreticorum, Eccleſiæ puritatem perverſa maculavêre doctrina.* Tales ad Sacerdotes mittendi ſunt, ut rectam ac ſinceram fidei & ſalutis doctrinam accipiant. *Pauciſſimis enim donatum eſt*, ait D.Aug. *ut nullo ſibi homine prædicante, per ipſum Dominum vel Angelos cœlorum doctrinam ſalutis accipiant; multis verò id eſt donatum,ut Deo per homines credant.* Hieron. ad Creſipho. ex Tertul. l.de anima, tit.1. De bono perſever. cap.9.

Ac de hominum miniſterio neceſſario multa præclarè Aug.*Paulus*,inquit,*Apoſtolus,licèt divina & cœleſti voce proſtratus ac inſtructus, ad hominem tamen miſſus eſt,ut Sacramenta perciperet,& copularetur Eccleſiæ.Et Cornelius Centurio,quamvis exauditas orationes eius,eleemoſynaſque reſpectas ei angelus nuntiaverit, Petro tamen traditur imbuendus, per quem non ſolùm Sacramenta perciperet, ſed etiam quid credendum, quid ſperandum, quid diligendum eſſet,audiret. Et Spado ille, qui Iſaiam Prophetam legens,non intelligebat, nec ad angelum miſſus eſt,nec per angelum ei,quod non intelligebat, expoſitum eſt, aut divinitus in mente ſine hominis miniſterio revelatum eſt; ſed potius ſuggeſtione Divina miſſus eſt ad eum, ſeditque cum eo Philippus, qui noverat Iſaiam Prophetam, eique humanis verbis & lingua,quod in Scriptura illa tectum erat, aperuit.* In prologo l.de doct. Chriſt. Act.9. Act.10. Act.8.

Cætera vitia,ait idem Auguſt.*tanquam valetudinis, & quaſi membrorum animæ atque ſenſuum, per* In quæſt. Evang. ibi.

ſeipſum

Pſal.142. Ioan. 6. de Doct. Chriſt.li. 4.c.16. *Prophetis*,inquit Chriſtus. *Et erunt omnes docibiles Dei*,id eſt,omnes à Deo docebuntur. Cōmendatur gratia Dei. *Sicut enim corporis medicamenta*, inquit Aug. *quæ hominibus ab hominibus adhibentur, non niſi eis proſunt, quibus Deus operatur ſalutem, qui & ſine illis mederi poteſt, & tamen adhibentur, & ſi hoc officioſè, inter opera miſericordiæ vel beneficentiæ deputatur: ita & adjumenta doctrinæ tunc proſunt animæ adhibita per hominem, cùm Deus operatur ut proſint; qui potuit dare Evangelium homini etiam non ab hominibus, neque per hominem.* Galat. 1.

Ierem.31. Quando ergo dicit Propheta Ierem. *Non docebit unuſquiſque proximum ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: Omnes enim cognoſcent me, à minimo uſque ad maximum: novi teſtamenti æternam mercedem*, De Spir. & lit. cap.24. inquit Aug. *promittendo coniunxit, id eſt, ipſius Dei beatiſſimam contemplationem*. Alioqui jam fit quod dicit ipſe Apoſtolus, *Quomodo invocabunt in quem* Rom.10. 1.Tim.2. *non crediderunt? Aut quomodo credent quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Ordo diſcentium, docentiumque partim à natura conſtitutus eſt, ut oſtendit Apoſt. partim à Chriſto & Eccleſia. Contra ſtolidam illam perſuaſionem, qua putantur omnes habentes Spiritum ſanctum poſſe docere ea quæ ſunt fidei.

Certè in utroque teſtamento certos homines conſtituit Deus, per quos alii omnes, tam publici quàm privati, doctrinam ſalutis acciperent. In veteri quidem Sacerdotes Leviticæ tribus, reliquiſque præcepit, ut eos audirent, ab eis legem Deut.17. Domini diſcerent, & in ambiguis quæſtionibus Malach.2. ortis, eorum judicio fiderent, ut patet ex Deuteron. Unde & Malach. Propheta; *Labia Sacerdotis*

cuſtodient

cuſtodient ſcientiam,& legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt. In novo autem unum ſummum Sacerdotem conſtituit, à quo Eccleſiam ſuam regi voluit, quia ei *claves regni cælorum*, id eſt, regimen totius Eccleſiæ, commiſit; quem audiri voluit, quia ei *oves ſuas paſcendas* commiſit, à quo omnes in recta & orthodoxa fide conſervari debent, quia ei indefectibilem fidem promiſit. Cui adjungit alios *Paſtores & Doctores*, cum illo unum regimen conſtituentes, ſuntque ſub illo tanquam ſub capite conſtituti, *ut ſchiſmatis occaſio tolleretur, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*. His ſolis Sacramentorum & doctrinæ diſpenſatio, ac judicium conceſſum eſt; alij omnes etiam Principes ſeculares in his rebus oves ſunt, non Paſtores; diſcipuli, non magiſtri.

Matth. 16. Ioan. ult. Lucæ 22.

Epheſ. 4.

Hier. cont. Iovinian.

Nullus itaque ſæcularis, aut publicus, aut privatus falcem in alienam meſſem mittat, ut aut veritatem fidei, aut religionis docere, aut de ea judicare velit. Si princeps & poteſtates hujus ſæculi zelum religionis velint oſtendere, habent in quo id faciant, & Chriſto peculiariùs præ aliis ſerviant, nempe poteſtatem, & leges civiles gloriam Chriſti promoventes condendi, & gladium ultorem adverſus Chriſto & Eccleſiæ rebelles exerendi. Ezechias quidem Rex magno zelo hortatus eſt Sacerdotes & Levitas, ut officio ſuo probè fungerentur; & ex Iſaiæ Prophetæ conſilio, ipſe Regia uſus autoritate, ea quæ contraria erant avitæ Religioni Davidis abolevit; non tamen uſurpavit ſibi de falſa doctrina judicium; non ipſe falſos cultus ſua autoritate

Aug. epiſt. 50. ad Bonifac.

MONITUM LXXIII.

Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, &c.

Luc. 11.

POteſt hæc ſententia de tribus intelligi, Chriſto, Eccleſia, unoquoque fideli, maximè Prælato. Verbum enim æternum lux eſt, ſive lucerna: accenſum eſt, inquit V. Beda, quando innarnatum eſt, & in manifeſto poſitum. Per incarnationem Deus inviſibilis factus eſt viſibilis & omnibus conſpicuus. Luxit in humana natura doctrinis, miraculis, exemplis, ſicque ſeipſum toti mundo manifeſtavit. *Populus*, ait Iſaias, *qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam*. Ipſum Chriſtum doctrinis, exéplis, miraculis coruſcanté, ut Zacharias ait in Cantico, *Erexit nobis cornu ſalutis*. In cornu duo notanda, habet fortitudinem, ſicut os; & extra carnem eminet, ut conſpiciatur. Significatur fortitudo Chriſti omnibus conſpicua. Illum conſtituit Pater firmum fundamentum ſalutis, & fecit eum ab omnibus cognoſci, ad hoc miſſus, ut omnes illuminaret per cognitionem veritatis, quo ſic conſumatur ignorantia; & accenderet per dilectionem juſtitiæ, quo ſic conſumatur cupiditas. Cognitio Chriſti Salvatoris omnibus ad ſalutem neceſſaria; *non eſt enim in alio aliquo ſalus. Si enim ignoretur quà eundum ſit, quid prodeſt noſſe quò eundum ſit?* inquit D. Auguſtinus. *Et aliud eſt de*

In commentario.

Iſaiæ 9.

Matth. 4.
Lucæ 1.

Actor. 4.
De Civit. l. 11. c. 2.

de ſilveſtri cacumine videre Patriam pacis, & iter ad eam non invenire; & fruſtrà conari per invia, circum obſidentibus & inſidiantibus fugitivis deſertoribus cum Principe ſuo leone & dracone: & aliud tenere viam illuc ducentem, cura cœleſtis Imperatoris munitam, ubi non latrocinantur qui cœleſtem militiam deſeruerunt. Vitant enim eã ſicut ſupplicium. Hæc Aug. Lib. 7. Confeſſ. c. ult.

Secundò, Deus Eccleſiam ſuam, quâm etiam neceſſe eſt ab omnibus cognoſci, extra quã Chriſti cognitio nihil prodeſt, in qua ſola univerſa ſalutis noſtræ chariſmata operatur, accendit, eámque omnibus conſpicuam, & acceſſibilem propoſuit. Unde vocatur *Civitas ſupra montem poſita, quæ abſcondi non poteſt.* Mons Chriſtus eſt, *qui implevit univerſam terram:* in quo domus domini Eccleſia fundata eſt, quam Prophetæ prædixerunt ita fore conſpicuam, ut omnes gentes ad eam concurrerent pro doctrina Dei. *Faciliùs*, ait Chryſoſtom.) *eſt ſolem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari. Illa* (inquit Amb.) *Ieruſalem quæ in cœlo eſt, in quo militat fides noſtra, in illo altiſſimo omnium locata monte, id eſt, Chriſto, Eccleſia, non poteſt tenebris & ruinis hujus mundi abſcondi; ſed fulgens candore ſolis æterni, luce nos gratiæ ſpiritualis illuminat.*

Matth. 5. Dan. 2. Aug. tract. 1. in 1. Canon. Ioan. lib. 3. cont. Fauſt. c. 13. & 14. De unit. Eccleſ. c. 14. Iſaiæ 2. Mich. 4. Chryſ. homil. 4. in verb. Iſa. 6. Vidi Dom. Ambroſ. l. 7. in Luc.

Eam (ait Hilar.) *lucem Eccleſia doctrinæ ſuæ, etiam imprudentiæ ſæculi invehit, ut licèt fidei Sacramentum non ſuſcipiat, tamen adverſus hæreticos veritatem Sacramenti à nobis intelligat prædicari. Magna enim vis eſt veritatis, quæ cùm per ſe intelligi non poſſit, per ea tamen ipſa, quæ ei adverſantur, elucet: ut natura ſua immobilis manens, firmitatem naturæ ſuæ quotidie dũ attentatur, acquirat. Hoc enim Eccleſiæ proprium eſt, ut tum vincat, cum læditur; tũ obtineat, cum deſeritur;* Hilar. l. 7. de Trinit.

tũ intelligatur, cum arguitur. Sic & Aug. *Obſcuratur,* inquit, *aliquando, & tanquam obnubilatur multitudine ſcandalorum: ſed etiam tunc in ſuis firmiſſimis eminet. Et ſi aliqua in verbis Divinis diſtributio facienda eſt, fortaſſe non fruſtra dictum ſit de ſemine Abrahæ: Sicut ſtellæ cœli, & ſicut arena, quæ eſt in littore maris; ut in ſtellis cœli pauciores, firmiores, clarioreſque intelligantur; in arena autem maritimi littoris, magna multitudo infirmorum atque carnalium, quæ aliquando tranquillitate temporis quieta & libera apparet, aliquando autem tribulationum & tentationum fluctibus operitur, & turbatur.*

Epiſt. 48.

Geneſ. 22.

Tertiò denique, unuſquiſque fidelis lucerna eſt accenſa à Deo luce fidei, veritatis, ac juſtitiæ; qui eum de tenebroſo lucidum, de mortuo vivum fecit. Magna Dei gratia illuminatio Chriſtiani, ut videat patriam pacis, & viam eò ducentem; quam utramque Scriptura valdè prædicat. Vt, *Populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam; & ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Et, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino.* Et, *De tenebris vocavit vos in admirabile lumen ſuum.* Denique Propheta David; *Tu illuminas lucernam meã, Domine,* id eſt mentem meam, quæ eſt oculus animæ, quo Deum & Divina videt. Vel me, qui lucerna ſum, illuminata à te, lucens luce aliena, ut luna Solis. Ad hoc autem accenditur, & illuminatur, ut luceat, id eſt, bene operetur. *Sic luceat lux veſtra,* juſtitiæ & bonorum operum, *coram hominibus, ut videant opera veſtra bona,* &c. De Joanne Baptiſta dicitur, quod *erat lucerna ardens & lucens;* ardens intus charitate, lucens foris ſplendore virtutum, & bonorum operum. Talis quiſque lucerna eſſe debet, &

Matth. 4.
1. Pet. 2.
Epheſ. 5.
Pſal. 17.
Matth. 5.
Ioan. 5.

ne quidem perſecutionis tempore ab hoc ſplendore diſcedere. *Sicut ſtellas cœli non extinguit nox,* inquit S.Proſp. *ita mentes fideliũ adhærentes firmamẽto Scripturæ ſacræ, non obſcurat mundana iniquitas.* Sent. 120.

Non ergo accenditur lucerna, ut ponatur in abſcondito, ſed propterea debet homo illuminationem à Deo petere, ut foris in bonis operibus luceat, ſicut lucebant Philippenſes *in medio nationis pravæ & perverſæ, ſicut luminaria in mundo. Non eſt enim vera ſcientia boni*, ait idem Proſp. *niſi ad hoc comprehendatur ut agatur: non enim utiliter meditatur legem Domini, qui laborat, ut memoria teneat, quod actione non implet.* Hinc hortatur Apoſtolus jam illuminatos, ut *abjiciant opera tenebrarum, & induantur arma lucis*, id eſt, virtutes, quibus inſtructus homo, non ſolùm facit opera bona, ſed etiam contra vitia munitur. Vnde D. Hieron. de virtutibus loquens: *Sunt*, inquit, *ornamento, & tutamini; gemmæ vertuntur in ſcuta.* Et alibi, cùm dixiſſet; *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, addit, *Ut filii lucis ambulate, fructus autem lucis eſt in omni bonitate, juſtitia & veritate*, id eſt, in omni genere virtutum. Philip. 2. Sent. 24. Rom. 13. In epiſt. ad Nepot. Epheſ. 5.

Nemo autem exiſtimet, quod ſufficienter luceat, ſi bona opera faciat, niſi etiam in bonis operibus rectum finem habeat. Hinc ſubdit Dominus de intentione: *Lucerna corporis tui oculus eſt. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.* Quem locum pulchrè & breviter explicat Aug. *Per oculum*, inquit, *intellige intentionem, qua facit quiſque quod facit; & per hoc diſce, eum qui non facit opera bona intentione* Lucæ 11. li. 4. cont. Iulia. c. 3. circa finẽ.

intentione fidei bonæ, hoc eſt, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod illis operibus velut membris conſtat, tenebroſum eſſe, hoc eſt, plenum nigredine peccatorum.

Quæ quidem ſententia Divi Auguſtini poſitivè intelligenda, hoc eſt, fine malo & illegitimo; omnia quæ ex tali fine fiunt, tenebroſa ſunt. Non tamen oportet ut omnia quæ infidelis aut malus facit, ex illa intentione procedere; ſicut nec in homine juſto omnia ab oculo ſimplici diriguntur. In multis enim etiam juſtus peccat. Sic quando idem Auguſtin. exponit illud Pauli, *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; accipere videtur non merè negativè, ſed poſitivè: *Quod non eſt ex fide*, id eſt, quod eſt ex infidelitate, id eſt, *ſtulta & noxia voluntate*, ut ipſe ibidem. D. Bernard. rectiſſimè annotavit, *ad oculi ſimplicitatem duo requiri, Charitatem in intentione, Veritatem in electione*, electio autem mediorum eſt.

Iac. 3. 1. Ioan. 1. Rom. 14. Contr. Iul. ibidem. De præc. & diſp. quæſt. 2.

Comparat ergo Dominus finem ſeu intentionem oculo hominis. Sicut enim oculus totum hominis corpus, quod variis membris conſtat, illuminat; ita & finis, ſeu intentio totam hominis converſationem, quæ variis operibus componitur, ſanctificat. Sit aliquis pulcherrimus in officiis, ſit patiens, ſit caſtus, ſit ſobrius, ſit miſericors, etiam ſanguinem pro Chriſti nomine fundat, ſi iſta referat ad finem indebitum, tenebræ ſunt. *Noveris*, ait Aug. *non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes: officium autem eſt, quod faciendum eſt; Finis verò, propter quod faciendum eſt. Cùm itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.*

Cont. Iul. ibid.

Vicina

Vicina ſunt vitia virtutibus, & quod facit charitas, etiam facit cupiditas. Magnum opus charitatis, omnia ſua diſtribuere pauperibus, poteſt etiam facere cupiditas: alioqui non diceret Apoſtol. *Etſi diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habuero; nihil mihi prodeſt.* Quod majus charitatis opus, quàm tradere corpus ſuum, itaut ardeat? etiam poteſt facere cupiditas: alioqui non diceret Apoſt. *Si tradidero corpus meũ, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Non defuerunt,* inquit Aug. *non ſolùm hæretici, ſed nec Catholici, qui cauſa humanæ gloriæ paterentur: Si non eſſent tales, non diceret Apoſt. Si tradidero corpus meum, itaut ardeam,* &c. *Sciebat ergo poſſe eſſe quoſdam, qui hoc jactatione facerent, non dilectione. Ideo & David dicebat, Quoniam propter te mortificamur tota die. Potes enim videre mortificari hominem: quare mortificetur, neſcis. Deus hoc novit, res in occulto eſt.* Sic Apoſt. dicit ad Roman. quod *ſpes, quam tribulatio, patientia, probatio operantur, non confundit, quando charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Sicut confundit eos qui patiuntur ex cupiditate gloriæ, ex pertinaci ſuperbia, non ex amore Dei, aut Eccleſiæ, &c. ut hæretici.

Hier. cont. Lucifer.
1 Cor. 13.
Ibidem.
In pſal. 43.
1. Cor. 13.
Pſalm. 43.
Rom. 5.

Recta intentio eſt Deo in omnibus placere; curva, quærere ſua commoda, aliena ſuffragia, &c. per hanc fit, ut nihil ſit indifferens in particulari, tametſi ſit in ſpecie, ut colere agros, ædificare, manducare, &c. Sed hæc ſicuti bona redduntur, recta intentione faciendi, cæteriſque circunſtanſtiis; ita contrà, mala, ſi illæ deſunt. Quod autem dicit Apoſt. *Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt,* graves authores, in quibus princeps D. Chryſ. accipiunt de

Rom. 14.
D. Chryſ. in illũ loc.
Pſal. 16.

Digitized by Google

de fide ſeu credulitate, cui reſpondet verbum credendi, pro bona perſuaſione & fiducia uſurpatum. Vt ubi ſcriptũ eſt, *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Quod enim non eſt ex ea credulitate ſeu fiducia, qua ſe homo putet quod agit, rectè agere, peccatum eſt. Aut enim alioqui palam agit contra cõſcientiam, dũ illicitum eſſe judicat, quod agit; aut certè peccandi ſe periculo exponit, dum id aggreditur, de quo dubitat, rectène acturus ſit, an malè. Quod propoſito Apoſtoli convenit. Vnde
Rom. 14. præcedit; *Beatus qui non judicat*, id eſt, condemnat, *ſeipſum in eo quod probat*, reipſa dum agere ſtatuit.

MONITUM LXXIV.

Occurrerunt ei decem viri leproſi.

Luc. 17.

Li. 1. quæſt. Evang. c. 40. de verb. Apoſt. Serm. 10.

LEproſi ſunt homines ignorantiis & erroribus obnoxii, ſive, ut ait Aug. *qui ſcientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Lepra variis, falſiſque colorum fucis humana corpora variat atque maculat. Nulla eſt autem doctrina falſa, quæ non aliqua vera intermiſceat.* Hinc varios colores, id eſt, varias doctrinas habet; quaſdam veras, quaſdã falſas; quaſdam noxias, quaſdam innoxias. Habent agrum ſeminatum diverſo ſemine. De quibus Apoſt. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.*
Levit. 19. Heb. 13.
Leproſi erant Philoſophi, qui patriam pacis videbant, in ejus via errabant. Leproſi ſunt Iudæi, credunt futuram carnis reſurrectionem, Chriſti

reſurrectionem factam non credunt. Leproſi ſunt hæretici, Chriſtum incarnatum credunt, ſed eandem carnem in Sacramento nobis reliquiſſe non credunt. Hi omnes & ſimiles, quia quædam verè ſciunt, at in aliis multis errant, leproſi dicuntur. De quibus D. Hieron. ex Tertulliano; *Philoſophi, Patriarchæ hæreticorum, Eccleſiæ puritatem perverſa maculavêre doctrina.* Tales ad Sacerdotes mittendi ſunt, ut rectam ac ſinceram fidei & ſalutis doctrinam accipiant. *Pauciſſimis enim donatum eſt*, ait D. Aug. *ut nullo ſibi homine prædicante, per ipſum Dominum vel Angelos cœlorum doctrinam ſalutis accipiant; multis verò id eſt donatum, ut Deo per homines credant.*

Hieron. ad Creſipho. ex Tertul. l. de anima, tit. 1.

De bono perſever. cap. 9.

Ac de hominum miniſterio neceſſario multa præclarè Aug. *Paulus*, inquit, *Apoſtolus, licèt divina & cœleſti voce proſtratus ac inſtructus, ad hominem tamen miſſus eſt, ut Sacramenta perciperet, & copularetur Eccleſiæ. Et Cornelius Centurio, quamvis exauditas orationes eius, eleemoſynaſque reſpectas ei angelus nuntiaverit, Petro tamen traditur imbuendus, per quem non ſolùm Sacramenta perciperet, ſed etiam quid credendum, quid ſperandum, quid diligendum eſſet, audiret. Et Spado ille, qui Iſaiam Prophetam legens, non intelligebat, nec ad angelum miſſus eſt, nec per angelum ei, quod non intelligebat, expoſitum eſt, aut divinitus in mente ſine hominis miniſterio revelatum eſt; ſed potius ſuggeſtione Divina miſſus eſt ad eum, ſeditque cum eo Philippus, qui noverat Iſaiam Prophetam, eique humanis verbis & lingua, quod in Scriptura illa tectum erat, aperuit.*

In prologo l. de doct. Chriſt.

Act. 9.

Act. 10.

Act. 8.

Cætera vitia, ait idem Auguſt. *tanquam valetudinis, & quaſi membrorum animæ atque ſenſuum, per* In quæſt. Evang. ibi.

ſeipſum

ſeipſum interius & conſcientia & intellectu Dominus ſanat & corrigit; doctrina vel imbuendi per Sacramenta, vel catechizandi per ſermonem atque lectionem, Eccleſiæ propriè contributa ſunt. Poterant utique hæc omnia per angelum fieri, ſed abjecta eſſet humana conditio, ſi per homines hominibus verbum ſuum Deus miniſtrare nolle videretur. Quomodo enim verum eſſet, quod dictum eſt, Templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos; ſi Deus de humano templo reſponſa non redderet, & totum quod diſcendum hominibus tradi vellet, de cœlo atque per angelos perſonaret? Deinde ipſa charitas, quæ ſibi invicem homines nodo unitatis aſtringit, non haberet aditum refundendorum, & quaſi miſcendorum ſibimet animorum, ſi homines per homines nihil diſcerent.

De doct. Chriſt. ibidem. 1. Cor. 3.

De D. quidem Antonio legitur, quod *ſine ulla ſcientia literarum, Scripturas divinas & memoriter audiendo tenuerit, & prudenter cogitãdo intellexerit. Et de ſervo quodam Barbaro, quod literas quoque ipſas, nullo docente homine, in plenam notitiam orando ut revelarentur accepit, triduanis precibus impetrans, ut etiam codicem oblatum, ſtupentibus qui aderant, legendo percurreret. Et momento uno temporis adveniente Spiritu ſancto repleti Apoſtoli omnium gentium linguis locuti ſunt. Nos autem illas tentationes periculoſiſſimas & ſuperbiſſimas caveamus, quibus talium exemplis permoti ad ipſum Evangelium audiendum atque diſcendum, nolimus ire ad Eccleſias, aut codicem legere, aut legentem prædicantemque hominem audire, & exſpectemus rapi uſque in tertium cœlum, & audire ibi ineffabilia verba, aut ibi videre Dominum Ieſum Chriſtum, & ab illo potius aut angelis, quàm ab hominibus audire Evangelium. Sed quod per hominem diſcen*

De doct. Chriſt. ibid.

Act. 2.

2. Cor. 12.

diſcendum eſt, ſine ſuperbia diſcamus, & per quē docetur alius, ſine invidia tradat quod accepit. Hæc Aug.

Sunt nonnulli, inq. Greg. *qui ita per magiſterium Spiritus intrinſecus docentur, ut eis exterius humani magiſterii diſciplina etſi deſit, magiſtri intimi cenſura non deſit. Quorum tamen libertas vitæ ab infirmis in exemplum non eſt trahenda, ne dum ſe quiſque ſimiliter Spiritu Sancto impletum præſumit, diſcipulus hominis eſſe deſpiciat, & magiſter erroris fiat. Ut Moſes ab angelo in eremo edoctus; Baptiſta magiſtrū habuiſſe non legitur; Paulus gloriatur, quod non ab hominibus.* Habet ibi Greg. etiam de S. Honorato. *Sed hæc,* ait, *infirmis veneranda ſunt, non imitanda. Mens autem quæ divino ſpiritu impletur, habet evidentiſſima ſigna ſua, virtutes ſcilicet & humilitatē, quæ ſi utraque perfectè in una mente conveniunt, liquet quod de præſentia ſancti Spiritus teſtimonium ferat.* Ita ibid. Greg.

Lib. 1. Dialog. c. 1.

Exod. 3. Galat. 1.

Doctores ergo audiendi. Unde Paulus tam diligēter præcipit in Timotheo & Tito omnibus doctoribus, ut doceant quæ decent ſanam doctrinam, & conſequenter etiam ſubditis, ut hæc ab eis diſcant. Et tametſi Spiritus ſanctus ſit qui docet hominem ſcientiam, tamen etiam hominum officiū in docēdis hominibus ceſſare non debet, per quod ipſe operari conſuevit. Sicut laborante & ſeminante agricola, frumentum & alios fructus largiri cōſuevit Deus. *Neque enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Unde ipſis quoque miniſtris ſanctis hominibus, vel etiā ſanctis angelis operantibus, nemo rectè diſcit quæ pertinent ad vivendum cum Deo, niſi fiat à Deo docilis, cui dicitur in pſalmo: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Eſt ſcriptum in Prophetis,*

Pſal. 93.

1. Cor. 3.

Digitized by Google

Pſal.142. *Prophetis*, inquit Chriſtus. *Et erunt omnes docibiles*
Ioan. 6. *Dei*, id eſt, omnes à Deo docebuntur. Cōmendatur
de Doct. Chriſt. li. 4. c. 16. gratia Dei. *Sicut enim corporis medicamenta*, inquit Aug. *quæ hominibus ab hominibus adhibentur, non niſi eis proſunt, quibus Deus operatur ſalutem, qui & ſine illis mederi poteſt, & tamen adhibentur, & ſi hoc officiosè, inter opera miſericordiæ vel beneficentiæ deputatur: ita & adjumenta doctrinæ tunc proſunt ani-*
Galat. 1. *mæ adhibita per hominem, cùm Deus operatur ut proſint; qui potuit dare Evangelium homini etiam non ab hominibus, neque per hominem.*

Ierem. 31. Quando ergo dicit Propheta Ierem. *Non docebit unuſquiſque proximum ſuum, dicens: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me, à minimo uſque ad maximum: novi teſtamenti æternam mercedem,*
De Spir. & lit. cap. 24. inquit Aug. *promittendo coniunxit, id eſt, ipſius Dei beatiſſimam contemplationem.* Alioqui jam fit quod dicit ipſe Apoſtolus, *Quomodo invocabunt in quem*
Rom. 10. *non crediderunt? Aut quomodo credent quem non au-*
1. Tim. 2. *dierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Ordo diſcentium, docentiumque partim à natura conſtitutus eſt, ut oſtendit Apoſt. partim à Chriſto & Eccleſia. Contra ſtolidam illam perſuaſionem, qua putantur omnes habentes Spiritum ſanctum poſſe docere ea quæ ſunt fidei.

Certè in utroque teſtamento certos homines conſtituit Deus, per quos alii omnes, tam publici quàm privati, doctrinam ſalutis acciperent. In veteri quidem Sacerdotes Leviticæ tribus, reliquiſque præcepit, ut eos audirent, ab eis legem
Deut. 17. Domini diſcerent, & in ambiguis quæſtionibus
Malach. 2. ortis, eorum judicio fiderent, ut patet ex Deuteron. Unde & Malach. Propheta; *Labia Sacerdotis*

cuſtodient

cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt. In novo autem unum ſummum Sacerdotem conſtituit, à quo Eccleſiam ſuam regi voluit, quia ei *claves regni cœlorum*, id eſt, regimen totius Eccleſiæ, commiſit; quem audiri voluit, quia ei *oves ſuas paſcendas* commiſit, à quo omnes in recta & orthodoxa fide conſervari debent, quia ei indefectibilem fidem promiſit. Cui adjungit alios *Paſtores & Doctores*, cum illo unum regimen conſtituentes, ſuntque ſub illo tanquam ſub capite conſtituti, *ut ſchiſmatis occaſio tolleretur, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*. His ſolis Sacramentorum & doctrinæ diſpenſatio, ac judicium conceſſum eſt; alij omnes etiam Principes ſeculares in his rebus oves ſunt, non Paſtores; diſcipuli, non magiſtri.

Matth. 16. Ioan. ult. Lucæ 22. Epheſ. 4. Hier. contr. Iovinian.

Nullus itaque ſæcularis, aut publicus, aut privatus falcem in alienam meſſem mittat, ut aut veritatem fidei, aut religionis docere, aut de ea judicare velit. Si princeps & poteſtates hujus ſæculi zelum religionis velint oſtendere, habent in quo id faciant, & Chriſto peculiariùs præ aliis ſerviant, nempe poteſtatem, & leges civiles gloriam Chriſti promoventes condendi; & gladium ultorem adverſus Chriſto & Eccleſiæ rebelles exerendi. Ezechias quidem Rex magno zelo hortatus eſt Sacerdotes & Levitas, ut officio ſuo probè fungerentur; & ex Iſaiæ Prophetæ conſilio, ipſe Regia uſus autoritate, ea quæ contraria erant avitæ Religioni Davidis abolevit; non tamen uſurpavit ſibi de falſa doctrina judicium; non ipſe falſos cultus ſua autoritate

Aug. epiſt. 50. ad Bonifac.

diſcrevit à veris; non Sacerdotum officium inuaſit. Sed ita refert de illo Scriptura: *Locutus eſt* (2.Paral.30) *Ezechias ad cor omnium Levitarum, qui habebant intelligentiam bonam ſuper Domino.* Rurſum; *Fecit* (Eccl.48.) *Ezechias quod placuit Deo, & fortiter ivit in via patris ſui, quam mandavit illi Iſaias propheta magnus & fidelis in conſpectu Dei.*

Habebat inſigne exemplum patris ſui Ioſaphat, qui Sacerdotes, & Levitas miſerat prædicatum legem Domini, nobilibus ſuis præſidii loco eis adjunctis; qui dum Sacerdotibus aderant, non minus populum docebant legem autoritate, quàm (2.Reg.19.) Sacerdotes verbo. Qui & Sacerdotibus & Levitis præcepit, ut judicium & cauſam Domini judicarent habitatoribus Iſraël. *Ubicunque,* inquit, *quæſtio eſt de lege, mandato, cæremoniis,* &c. *oſtendite eis, ut non peccent in Dominum,* &c. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter, in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit; porrò Zabadias, qui eſt dux in domo Iuda,* (Deut.17.) *ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officiū pertinent,* &c. Ubi ſedulò diſtinguit officium Sacerdotis ab officio Regis. Sciebat enim in lege ſibi præceptum, ut peteret legem à Sacerdotibus Leviticæ tribus. Sciebat quid Moyſes, exortis circa legem ambiguis quæſtionibus, agere mandaſſet. Sciebat id (Malach.2.) quod longè poſterior eo Propheta dixit, *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam,* &c. ut ſup. Ubi manifeſtè etiam de ipſa ſubſtantia Religionis fit mentio, non ſolùm de civilibus cauſis. Sicut & Chriſtus hoc repetens in Evang. ait, *Super Cathedram* (Matth.23.) *Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite.*

(2.Par.34.) Similiter Ioſias anno 18. regni ſui, affuit quidem

dem potentia ſua Sacerdotibus & Levitis, idololatriam exterminans; ſed eorum officium non aſſumpſit. Docebatur quippe à Ieremia Sacerdote, qui 13. anno regni ejus, quinto videlicet anno ante everſionem peregrini cultus, prophetare exorſus eſt, quod quiſque vocationi ſuæ incumbendo,& non invadendo alienum officium, Deo placeret. Nunquam inter tot idololatrias puer 16. annorum, paternam idololatriam contempſiſſet, & ex corde toto Domino adhæſiſſet,niſi egregios Magiſtros audiviſſet. Sic Joas cunctis diebus,quibus docuit eum Joiada Sacerdos, Deo acceptus fuit,proſpereque egit. Ozias autem evidenti plaga percuſſus eſt, quia invaſit officium Sacerdotale.Propter ſimilem cauſam & Saul rejectus à Domino, ut non eſſet rex,quia uſurpaverat ſibi officium alienum, cùm tamen neceſſitate compulſus videretur.

2.Paral.14.
2.Par.26.
1.Reg.13.

Sic in novo teſtamento, Conſtantinus Cæſar, quid dixerit in Synodo Nicæna, quoque gradu ibi ſe fuiſſe agnoſcat, refert Ruffinus ita eum Epiſcopos allocutum; *Deus vos conſtituit Sacerdotes,& poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi,& ideo nos à vobis rectè judicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus judicari,* &c.Sic & Valentinianus ſenior,cùm ad eum legati Epiſcoporum veniſſent oratum,ut ſibi de doctrina fidei rectè conſtituenda in unum conveniendi poteſtas permitteretur,reſpondit:*Sibi,qui unus è laicorum numero erat, non licere ſe ejuſmodi negotiis interponere. Et ideo Sacerdotes & Epiſcopi,* inquit, *quibus hæc curæ ſunt, ſeorſum per ſe,ubicunque ipſis libitum fuerit,in unum conveniant.*

Li.10.hiſt. cap.2.
Soſom.lib. 6.c.7.hiſt.

Lib.9.c.7. hiſt.Trip. Extat lex Theodoſij, quâ vult omnes ſibi *ſubjectos in tali religione verſari, quam*, inquit, *Petrus Romanis tradidit, Damaſus Pontifex hodie ſequitur*, &c. Gratianum imitatus, qui ſcripſerat legem, præcipiens ut *expulſi Paſtores ad ſua ovilia redirent, ſacraque Baſilicæ eis traderentur, qui communionem Damaſi ſequerentur*. Idem prudenti conſilio uſus, non diſputationes hæreticorum audire voluit, ſed hoc interrogavit eos, *an ſuſciperent Magiſtros Eccleſiæ, qui ante diviſionis tempora extitiſſent*. Qua brevi quæſtiuncula planè eorum ora obſtruxit.

Theod.li.5. c.2.hiſt.

Lib 9. c.19. hiſt.Trip.

MONITUM LXXV.

Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.

Ioan. 4.

MUlta ſunt in Eccleſia ſigna & prodigia advertenda, quæ meritò homines ad fidem ejus amplectendam & ſemper retinendam debent inducere. Primum eſt multitudo miraculorum, quæ initio Eccleſiæ ab ipſo Chriſto, ejuſque Apoſtolis ſunt facta, & deinceps ab aliis ſanctis, quæque adhuc hodie ad fidem ſtabiliendam in variis locis eduntur. *Miraculum autem voco id*, ait Aug. *quicquid arduum aut inſolitum ſupra ſpem vel facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil eſt populis aptius, & omninò ſtultis hominibus, quàm id quod ſenſibus admovetur. Sed hæc duplicia ſunt. Quædam enim ſolam admirationem habent, ut volare*

De utilit. cred.c.16. & ſeq.

in

in aëre; alia etiam utilitatem, ut ſi deſperatus ſtatim convaleſcat.

Talia facta ſunt tempore Chriſti, Apoſtolorum, & aliorum. Sanati languidi, mundati leproſi, inceſſus claudis, cæcis viſus, ſurdis auditus eſt redditus: aqua in vinum converſa, ſaturata quinque millia quinque panibus, tranſita pedibus maria, mortui reſurrexerunt. Homines unius linguæ, vel ut multùm duarum, linguis omnium gentium locuti; claudus ab uberibus matris ad Apoſtolorum verbum in Chriſti nomine poſt 40. annos incolumis conſtitit; ſudaria de eorum corporibus ablata, ſanandis profuere languentibus, umbra eorum tranſiens ſuper ægrotos varios ordine poſitos, eos ſanavit, & alia multa ſtupenda in Chriſti nomine per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores ad noſtra uſque tempora facta ſunt & fiunt. Miracula facta tempore D. Auguſt. habet ipſe de Civit. Dei: ab ipſo S. Martino, Benedicto, Bernardo, Dominico, Franciſco, &c. edita, referuntur in eorum Vitis. *Quamvis autem tanto fortior eſt fides,* inquit Aug. *quanto minus iſta requirit, proſunt tamen, ut ex his veluti primordiis lacteſcentibus germinet fides, & ex illa teneritudine in ſuum robur coaleſcat.*

Idem de Civit. li. 22. ca. 5. & ſeq. Matth. 11. Ioan. 2. Ioan. 6. Matth. 14. Matth. 9. Luc. 7. Ioan. 11. Actor. 2. Actor. 3. & 14. Actor. 19. Actor. 5.

Auguſt. de Civit. lib. 22. cap. 8. Gregor. in Dialog. Sulpitius in vita S. Mart. &c. Lib. 2. cap. 32. de peccat. merit.

Secundum eſt, ſequentium credentiumque multitudo. De qua D. Auguſt. *Tenet me in Eccleſia multitudo populorum atque gentium.* Et S. Bern. *Fidem mihi credibilem facit credentium multitudo.* Hoc maximum eſt miraculum, quod mundus res tam incredibiles, paucis, iiſque idiotis, & juxta ſæculum abjectis & infirmis prædicantibus credidit; qui etſi miracula ſtupenda non feciſ-

Cont. epiſt. Fundam. cap. 4. Serm. 3. in vigil. nat.

ſent, majus tamen eſt miraculum, mundum eis ceſſiſſe ſine miraculis. *Quiſquis etiam nunc quærit prodigium, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit,* inquit Auguſt.

Ibid. de Civit.

In multitudine autem ſequentium eſt; primò, conſenſio tot populorum & gentium, per tot loca extenſa, per tot tempora hucuſque perdurans in eadem fide & doctrina, ejuſdemque perpetua conformitas.

Deinde, ſupra modum mirabile eſt, quod res tam incredibiles & arduas homines crediderunt, ut perſonarum Trinitatem in una natura, Deum hominem crucifixum, Carnis reſurrectionem, præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, ſimiliaque humanum captum planè ſuperantia; quæ etiam anus & puellæ noſcunt omnes, & doctus Plato neſcivit, Demoſthenes eloquens ignoravit; item quod unicus Deus à vulgo colatur, & quod nullum corpus pro Deo colatur. Quæ advertens Propheta David, cum ſtupore admiratur, dicens: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*; de quibus tamen alibi dicit, *Mirabilia teſtimonia tua.*

Hieron. ad Paulinum.

Pſalm 99.

Pſal. 118.

Denique, ſanctiſſimi mores, & vita tot hominum: *Continentia uſque ad tenuiſſimum victum panis & aquæ, & non quotidiana ſolùm, ſed etiam per plures dies perpetuata jejunia; caſtitas uſque ad conjugii proliſque contemptum; patientia uſque ad cruces, flammaſque neglectas; liberalitas uſque ad patrimonia diſtributa pauperibus; denique totius mundi aſpernatio uſque ad deſiderium mortis;* & qui talia non amplectuntur, ſe infirmos agnoſcunt, & favent, & prædicant, & laudant. *Virginitatem in cœlum fero,* inquit

Auguſt. de util. credendi, c. 17.

Hieron. in Apol. pro lib. Contr. Iovin. ad Pammach.

inquit Hier. *non quia habeam, ſed quia magis miror quod non habeo. Ingenua & verecunda confeſſio eſt, quo ipſe careas, id in aliis prædicare.*

Poſtremò, ardens charitas, & ſumma pax atque unitas inter Chriſtianos, de qua Chriſtus: *In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei ſitis, ſi dilectionem habueritis adinvicem.* Et Irenæus dotes Eccleſiæ recenſens: *Eſt*, inquit, *in ea præcipuum dilectionis munus, quod eſt pretioſius quàm agnitio, glorioſius autem quàm prophetia, omnibus autem reliquis chariſmatibus eminens.* Ioan. 13. Lib. 4. c. 63. cont. hæreſ.

Tertium eſt, quod hæc omnia, quæ jam in mundo apud Chriſtianos videmus impleri, & ab Eccleſia prædicari, à Prophetis ante multa ſæcula monſtrantur eſſe prædicta, etiam ipſius Eccleſiæ à gentilibus & hæreticis oppugnatio, quod utique nullius hominis induſtriæ, vel fraudulentiæ, vel magiæ aſcribi poteſt. Nec poſſunt hi libri poſt rerum eventum dici eſſe conficti, cùm inimici Chriſti Iudæi per varias gentes diſperſi, teſtentur libros illos ante Chriſti natalem, ut ſacros à gente Iudæa eſſe receptos. *Atque ideo*, inquit D. Auguſtin. *occiſi non ſunt Iudæi, quòd gentibus credentibus neceſſarij forent.* Primò, ut in ramis ſuperbiæ præciſis, inſerto Deus miſericordiam ſuam demonſtraret oleaſtro. Deinde, ſi fortè, quando paganus aliquis dubitaverit, cùm ei dixerimus Prophetias de Chriſto, ad quarum evidentiam obſtupeſcit, & admirans putaverit à nobis eſſe conſcriptas; de codicibus Iudæorum probamus, quia hoc totum antè prædictum eſt. Auguſt. lib. 13. c. 7. & ſeq. cont. Fauſt. Auguſt. in Pſalm. 58. Epiſt. 59. ad quæſt. 9.

Hinc Petrus dicit, *Propheticum ſermonem certiorem voce delapſa de cælo in monte. Certiorē dixit, nō* 2. petr. 1.

meliorem, non veriorem. Tam enim verus ſermo ille de
Aug. ſer. 115. in Nov. *cœlo, quàm Propheticus, tam bonus, tam utilis. Quid eſt ergo certiorem? niſi in quo magis confirmatur auditor. Quare hoc? quia ſunt infideles, qui ſic detrahunt Chriſto, ut dicant eum magicis artibus feciſſe quæ fecit; poſſent ergo & illam de cœlo vocem ad illas referre. Sed Prophetæ antea fuerunt, non dico ante iſtam vocem, ſed ante Chriſti carnem.* Hinc immeritò Lactantius D. Cyprianum arguit, quod in tractatu
Lib. 5. c. 4. Inſtitut. contra Demetrianum Scripturis uteretur, quas ille non recipiebat. Quia enim illæ propheticè multa prænuntiant, ad perſuadendum valdè ſunt accommodatæ, cùm demonſtrent jam impletum, quod fuerat antè prædictum. Unde edictis Imperatorum erant proſcriptæ.

Non ergo dicat infidelis, poſteaquam iſta per mundum fieri cœperunt, Chriſtianos has literas
Cont. Fauſt. ibid. compoſuiſſe, *hoc verendum eſſet*, ait Aug. *niſi eſſet latè ſparſus, lateque notus populus Iudæorum, & portaret libros, quibus Chriſtiani erudiuntur, illi onerātur. Per eorum quippe codices probamus, non à nobis tanquam de rerum eventu commonitis, iſta eſſe conſcripta, ſed olim in illo regno prædicata ac ſervata, nunc autē manifeſtata, & impleta.* Atque ut exempli cauſa quædam adferam, neminem latet, quantas à regibus hujus ſæculi perſecutiones pertulerit Chriſtiana
Pſalm. 2. Aug. epiſt. 42. religio: quod cùm quis audit tantò antè prædictū, ut, *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus*; quomodo non movebitur ad fidem? Deinde etiam viſum eſt prædictos reges terræ Chriſti imperio poſtea ſalubriter ſubjugatos, & hoc prædictū

eſt;

eſt; *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſervient ei.* Ipſa quoque ſimulachra gentium per Chriſti nomen periere de terra; & hoc ibi prædictum. *Dii qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra, & de ſub cœlo.* Hæc & ſimilia audiens de Prophetis, quomodo non movebitur ad fidem? Pſalm. 71. Ierem. 10.

Quod autem ipſi in quorum libris iſta prænuntiantur, non teneant ejuſdem Evangelii nobiſcum ſocietatem (ne quis ea re promoveatur) etiam hoc ab eiſdem Prophetis prædictum eſt. *Cognovit bos,* (ait Iſaias) *poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem me non cognovit.* Et iterum, *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi.* Et, *Dedit illis Deus ſpiritũ cõpunctionis, oculos ut non videant,* &c. Et, *Abjiciet eos Deus meus, quia nõ audierũt eũ, & erunt vagi in nationibus,* atque hanc juſtam pœnam cæcitatis eorũ ex aliis occultis peccatis Deo cognitis eis eveniſſe, etiam hoc ſignificatur in eiſdẽ Scripturis. Iſai. 1. Iſai. 56. Iſai. 6. Oſeæ 9.

Si autem quis moveatur, quod & ipſi Chriſtiani in multas hæreſes, variaſque diſcedunt; neque hoc à Prophetis prætermiſſum eſt. *Ephraim ut avis avolavit, educit filios ſuos ad interfectorem.* De hæreticis intelligit D. Hier. Et, *Filii matris meæ pugnaverunt contra me:* dicunt boni Catholici de hæreticis, qui baptiſmo Eccleſiæ regenerati, lacte doctrinæ ſalutaris educati, poſtea pravo aliquo affectu vel libidinis, vel ambitionis, vel avaritiæ ſtimulati, deſerunt eam, & oppugnant, velut ingrati pulli in matrem ſuam recalcitrantes. Et: *Clamavit perdix,* inquit Ieremias, *fovit quæ non peperit, faciens divitias non cum judicio.* Huic impuro, fraudulento, malevolo, contentioſo animanti, Oſeæ 9. & ibid. D. Hieron. Cantic. 6. Ierem. 17. Ambroſ. epiſt. 8.

&

Aug.de Paſtor.ca.12. & Diabolus ipſe comparatur ab Ambroſio. Et miniſtri ejus hæretici, ab Auguſtino, & Hieronymo.

Hieron.ad Cteſiph. *Perdix nimis contentioſum animal, notum eſt quanta aviditate ipſius contentionis currat in laqueum.* Aug.cont. Fauſt.ut ſup. *Non enim diſputare amant hæretici, ſed quoquo modo ſuperare impudentiſſima pervicacia, ut congregent quæ non pepererunt. Chriſtianos enim, quos maximè Chriſti nomine ſeducunt, jam per ipſius Chriſti Evangelium natos inveniunt, & faciunt illos divitias ſuas; non ſanè cum judicio, ſed cum temeritate inconſiderata. Non enim intelligunt, ibi eſſe veram & ſalubrem, & quodammodo germanam atque radicalem Chriſtianam ſocietatem; unde iſtos ſeparaverunt, quos ad ſuas divitias congregaverunt.* De Civit. lib.16.c.2. Præfiguratos eoſdem dicit Aug. in medio Noë filio; Cham enim callidus interpretatur, & medius erat tanquam ab utroque ſe diſcernens, & inter utrumque remanens, nec in primitiis Iſraëlitarum, nec in plenitudine gentium. *Quid igitur hic ſignificat, niſi hæreticorum genus callidum, non ſpiritu ſapientiæ, ſed ſpiritu verſipellis aſtutiæ, quo ſolent hæreticorum fervere præcordia, & pacem perturbare ſanctorum.* Epiſt.119. *Semper enim inquieta eſt hæreticorum animoſitas*, ait alibi.

Vis ergo ſcire quo manifeſto indicio inter tot Cont.Fauſtum,ibid. errores, tenebris Eccleſiam Chriſti, in quam jam credere tanta rerum antea prædictarum manifeſtatione compelleris? Ierem.17. 2.Cor.3. Docet idem Propheta Ieremias conſequenter, Eccleſiam Chriſti ipſam eſſe prædictam, quæ omnibus apparet & eminet. *Ipſa enim eſt ſedes gloriæ, de qua dicit Apoſtolus: Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Unde iſte dicit, ſedes autē gloriæ exaltata eſt, ſanctificatio noſtra.* Propter motus enim parvulorum, qui poſſent ſeduci ab hominibus

minibus à manifeſtatione claritatis Eccleſiæ, Dominus quoque providens, ait; *Non poteſt abſcondi civitas ſupra montem poſita:* cum utique montem, qui juxta Prophetiam Danielis ex parvo lapide crevit, & factus eſt mons magnus, ita ut impleret univerſam terram. Matth. 5. Daniel. 2. Vide Mon. 7. part. 4.

Commotus autem ad fidem, atque in Eccleſiæ gremio fovendus, collocatus, monendus deinde eſſet, quos mores tenere deberet, & ut non perturbetur eorum multitudine, in quibus ea non inveniret, quæ obſervare juberetur. *Sciatque cum paucis hæreditatem Dei, cum multis autem ſignacula ejus participanda; cum paucis communicanda ſanctitas vitæ, cum multis autem ſanctitas ſacramenti: eoſdémque paucos in comparatione multitudinis malorum, paucos dici; eſſe autem per ſeipſos conſideratos in magno numero, diffuſo toto terrarum orbe, creſcentes inter zizania, & cum palea, uſque ad diem meſſis & ventilationis.* Hoc in Evangelio dictum, hoc à Prophetis antè prædictum; ante enim prædictum eſt, *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias:* ante prædictum eſt, *Habitavi cum habitantibus Cedar; cum his qui oderunt pacem, eram pacificus:* antè prædictum eſt, *Signa in fronte eos, qui gemunt & mœrent ob iniquitates populi mei, quæ fiunt in medio eorum.* Aug. cont. Fauſt. ibid. Matth. 13. Cantic. 2. Pſalm. 119 Ezech. 9.

Unde eſt iſte communis luctus piorum apud Davidem; *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus.* Babylon enim impia civitas malorum, flumina ſunt errores & peccata, quibus rapiuntur ad mortem; juxta illos conſtituti flent, quia Dei juſtitiam violari multis modis conſpiciunt. Attendant autem, quod ſequitur in Ieremia; *Exſpectatio, ſive patientia Iſraël, Domine.* Patienter enim feren Pſalm. 136 Ierem. 17.

Digitized by Google

ferendum eſt, quod ait, *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem,* ne impatientia tolerandi malos, relinquantur boni, qui propriè ſunt corpus Chriſti; & ideo cùm illi relinquuntur, ille relinquatur. *Teneat itaque ſe*, ait idem Aug. *ad legem Dei, & non ſequatur prævaricatores ejus; non enim ſecundum illorum ſenſum, ſed ſecundùm illius veritatem judicabitur.* Conjungatur bonis, quos videt ſecum amare Regem ſuum: multos enim inventurus eſt, ſi & ipſe talis eſſe cœperit. Neque hoc eum movere debet, quia multi Diabolo conſentiunt, & pauci Dominum ſequuntur: quia & frumentum in comparatione palearum valde pauciorem habet numerum. Sed ſicut agricola novit quid faciat de ingenti acervo paleæ, ſic nihil eſt Deo multitudo peccatorum, qui novit quid de illis agat, ut adminiſtratio regni ejus ex nulla parte turbetur, atque turpetur.

De catech. rudib. cap. 19. 25.

Epiſt. 157.

MONITUM LXXVI.

Vnde ememus panes, ut manducent hi?

Ioan. 6.

EX hoc miraculo quinque panum, multa nobis utilia ſumenda ſunt. Primò, conſideranda eſt Divina providentia, & cura de hominibus, quibus communiter quidem providet per media naturalia: nonnunquam etiam quando iſta deſunt, per ſupernaturalia, quando ita expedire judicaverit. Naturaliter quotidie nobis provi

Vide Aug. de Geneſ. ad lit. cap. 8. & 17.

Digitized by Google

providet ac ſuſtentat per creaturas, quibus inſeruit *rationes quaſi ſeminales*, ut Auguſtin. loquitur, earum rerum quæ nobis ſunt neceſſariæ, ut multiplicando ſegetes, herbas, beſtias, arbores, &c. In creatione enim eam vim rebus indidit, ut iſta poſſint ad noſtros uſus producere. Quomodo autem ſupra naturam ſuis providerit, variis exemplis è Scripturis ſacris declarat D. Baſil. Ut quando ſitientibus Iſraëlitis aquam de petra eduxit, eſurientibus panem & carnes de cœlo dedit: quando Prophetæ Eliæ manè & veſpere, panem & carnes per corvum detulit, animal vorax, & avarum, aliena rapere ſolitum: quando Danieli ſextum jam diem inter leones ſine cibo agenti mirabiliter de prandio proſpexit: Sic Paulo Eremitæ, ut refert Hieronym. attulit quotidie corvus dimidiatum panem per 60. annos, integrum cùm hoſpes adveniſſet Antonius. In hoc Evangelio, in loco deſerto, ex quinque panibus ſupra naturam multiplicatis ſatiavit quinque millia hominum.

Baſi..hom. 8.de fame.
Exod. 16.
Exod. 17.
3 Reg. 17.
Daniel. ultimo.
Hieron. in vita Pauli.
Ioan. 6.

Hæc Dei providentia tam ſollicita ac potens ad ſubveniendum & benefaciendum, etiam rebus quaſi deſperatis, addit & auget nobis fiduciam in Domino, & animos confugiendi ad ipſum, etiam quando humanitus omnia perdita videntur; quia ceſſantibus mediis naturalibus, ipſe nihilominus, qui legibus naturæ ſuperior eſt, iuvare poteſt: & hoc ſæpe in rebus noſtris experimur. Unde Propheta David, *Oculi mei ſemper ad Dominum*, quacunque neceſſitate premar, quia ſæpè deſperatis rebus præſentem ejus opem ſenſerat: ut cùm in modum coronæ cinctus

Pſalm. 24.
1. Reg. 23.

Digitized by Google

ctus eſſet ab exercitu Saül, ita ut deſperaret ſe poſſe evadere à facie ejus; niſi repentinus nuntius de Philiſtinis irruentibus in terram, Domino ita providente, eum abire coegiſſet. Grandi ſpe ac

Daniel.3. fiducia freti dicebant tres pueri ad Regem; *Poteſt nos Deus eripere de camino ignis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare*: (ſicut & fecit) *quod ſi noluerit, ſcito quod Deos tuos non colimus, & ſtatuam, quam erexiſti, non adoramus.*

Daniel.13. Sic Suſanna matrona pudiciſſima, in rebus deſperatis, jam convicta quaſi adultera & damnata, cùm duceretur ad ſupplicium; *habens fiduciam in Domino*, mirabiliter à præſenti morte & turpi

2.Paral.20 infamia liberata eſt. Sic & Rex Ioſaphat, in ſummis anguſtiis poſitus, ita ad Dominum; *In nobis quidem non eſt tanta fortitudo; ut poſſimus huic multitudini reſiſtere; ſed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Ecce deerant humana præſidia, confugit ad Divina, & adjutus eſt. Meritò ergo hor-

1. Petr.5. tatur Apoſt. Petrus: *Omnem veſtram ſollicitudinem in ipſum projicientes. Ipſi enim cura eſt de vobis.*

2.Corint.1. Ipſi, per emphaſin dicitur: Ipſi, omnipotenti, qui quicquid vult poteſt, qui eſt *pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* Quantum ſolatium miſeris, quod tam bonus & tam potens curet de nobis.

Secundò docemur hîc non parci eſſe in bonis Domini erogandis, ſed bona à Deo data, ſive ſpiritualia, ſive temporalia, libenter aliis communicare. Primò, quia ideo dantur. Chriſtus hîc dedit diſcipulis panes, non ut ſervarent, ſed ut aliis diſtribuerent. Cur enim, putas, dantur tibi dona

Dei?

Dei? Non ut ſerves, aut prodigas, aut pro libitu expendas; *ſed ad utilitatem*, inquit Paulus, habentis & aliorum. Hinc vocantur in Evang. *diſpenſatores*; hinc & ratio diligens exigetur, quomodo fuerint expenſa. *Muneribus Dei*, inquit D. Leo, *juſtè & ſapienter utendum; meritò enim rationem eorum quæſiturus eſt, quæ nõ magis poſſidẽda tradidit, quàm diſpenſanda cõmiſit. Sicut autẽ pereunt malè condita, ſic & inſipienter expenſa.* Servus piger, ob talentum abſconditum, reprehenditur, denudatur, & damnatur. *Non punitur, quia intervenit, aut quia non integrum reddidit*, ait S. Aug. *ſed quia non erogavit: quia non erogaſti, inde te puniam. Intelligatur autem pœna interverſoris ex pœna pigri.* Si enim tam graviter punitur, qui non utitur, multò ſanè graviùs punietur, qui bonis Domini abutitur.

1. Cor. 12.

Leo ſer. 4. de collect.

Matth. 25.

In Pſal. 99.

Secundò, quod ſi diſtribuantur, non ſolùm non pereunt, ſed etiam accipiunt incrementum. Patet in hoc miraculo. Chriſtus dedit panes diſcipulis, diſcipuli diſtribuerunt populo. Res mira. Quinque ſolum erant panes, antequam dividerentur; dum autem cœperunt dividi, inter manus diſcipulorum ita ſunt multiplicati, ut quinque millia hominum ſatiarent. Ita ſe habent dona Dei; pauca remanent, imò ſæpè etiam pereunt, cum quis ea privata habere cupit: multiplicantur cùm liberaliter diſtribuuntur. Sic D. Aug. *Multa*, inq. *de hac re tenemus, dabit cætera, cùm ea quæ data ſunt, cœperimus impẽdere. Ait enim, Qui habet, dabitur ei. Dabit ergo habẽtibus, id eſt, cũ benignitate utẽtibus eo quod acceperunt, adimplebit, atque cumulabit quod dedit. Illi quinque erãt panes antequã inciperent dari eſurientibus. Quod ubi fieri cœpit, cophinos & ſportas, ſatiatis*

Matth. 14.

De doct. Chriſt. in præfat.

Matth. 13.

ſatiatis tot hominum millibus, impleverunt. Sicut ergo ille panis cum frangeretur, accrevit; ſic ea quæ Dominus jam præbuit, cum diſpenſari cœperint, eo ipſo ſuggerente multiplicabuntur. Quomodo non augebit in ſe omnia bona ſua, inq. Proſp. *qui ea non ſolùm non invidet habentibus, ſed etiam non habentibus, in quantum poteſt, divinitus inſpiratus, impertitur. Creſcit ſemper charitatis facultas*, ait idem, *dum uſu major, & largitate fit ditior*. Habet D. Baſil. exemplum de Vidua Sarephtana: & de puteis qui continuò exhauſti, copioſiores evadunt.

De vit. cō-temp. lib. 3. cap. 28. Sentent. 95

Hom. 8. de fame.

Tertiò, docemur qualiter affecti eſſe debent, qui cibo ſpiritali, ut juſtitia, verbo Dei, ejus Sacramento paſci volunt. *Præcepit*, inq. Evang. *turbæ diſcumbere ſuper fœnum, vel terram. Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco*, per quod tranſitoria ſignificantur. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus ut flos fœni.* Debent ergo ſedere ſuper fœnum. Sedere, humiliari eſt. *Surgite poſtquam ſederitis*, oportet nos *humiliari ſub potenti manu Dei.* Materiam ſe humiliandi abundè habet homo in ſe, cùm videt qualis ſit natura ſua ſine Dei gratia, *nihil habens in ſuis viribus, niſi periculi facilitatem; imò, quantum in ipſo eſt, nil niſi iram ſibi theſauriſans*; Gratiæ Dei eſſe ſi bonum aliquod faciat, peccatum aliquod vitet; eam autem gratis dari, & ſicut data eſt, ita poſſe auferri; cùm homo *etiam inter ipſa Dei auxilia ad lapſũ ſemper propendeat*. Omitto miſerias corporis varias, innumeras hujus vitæ tẽtationes ac pericula ex hoſtiũ multitudine, laqueos & inſidias in omnibus penè rebus collocatas.

1. Petri 1. Pſal. 126. 1. Petri 5. Proſp. de voc. gent. lib. 1. cap. 6. Rom. 2. Aug. lib. 5. in Iulian. cap. 3. Proſp. ibid.

Non ergo audeat ſe homo in iſta ſolitudine ſuperbè erigere, ſed humiliet ſe. Tamen *ſuper fœnum*, id

Sapien. 14.

id eſt, ſic ſe ſub Deo humiliet, ut tamen terræ dominetur, iſtis terrenis ſit ſuperior, non illis amore ſe ſubdat, qui gravem illis, quos occupavit, ſervitutem ac jugum ſolet imponere; ut manifeſtum eſt in avaris, luxurioſis, ſuperbis; quantum laborant, quanta cura conficiuntur, ut opes, honores, voluptates aſſequantur; cum quanta ſollicitudine & timore poſſident, quanto mœrore ac dolore amittunt? Mala eſt humilitas, dominam ancillæ, animam carni, hominem terræ ſubditum eſſe.

Sancti qui in hoc ſæculo captivi tenentur, id eſt, ſe captivos intelligunt, & quaſi inviti hîc detinentur, dicunt apud Pſalmiſtam; *Super flumina Babylonis hic ſedimus*. Babylon ſæculum hoc; ubi confuſio eſt errorum omnium & peccatorum, & æternæ confuſioni, id eſt, damnationi, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, deſtinatur. Flumina ejus ſunt, quæ fluunt & tranſeunt in Babylone, ut terrena omnia, opes, honores, voluptates, potentia, forma, robur, amici, &c. Sedent, quia ſe humiliant, ſtatum humanæ miſeriæ intelligentes; tamen ſuper flumina, quia non illis ſuccumbunt, non propter illa à Deo recedunt, non in illis confidunt, non pendent ex rebus hujus ſæculi, quia etſi pulchra ſunt in Babylone, tamen fluxa, caduca, & inſtabilia ſunt omnia. Illa eſt eorum conditio & modus, inquit Sanct. Auguſtin. *Oriuntur, & occidunt, & oriendo quaſi eſſe incipiunt: creſcunt, ut perficiantur, & perfecta ſeneſcunt & intereunt: imò cùm oriuntur & tendunt eſſe, quò magis celeriter creſcunt ut ſint, eò magis feſtinant ut non ſint.*

Pſal. 136. & ibid. D. Auguſt.

In Confeſ. lib. 4. ca. 10.

Hinc Sancti amorem ſuum transferunt ab

Aug.ibid. cap.11. iſtis terrenis ad ipſum Deum; *illa enim diſcedunt, ut ſuccedant alia, & ſic compleatur Univerſitas. Deus autem ipſe non diſcedit aliquò, ut ei ſuccedatur; ibi ergo figunt manſionem ſuam, ubi eſt locus quietis imperturbabilis, ubi non deſeritur amor, ſi ipſe non deſerat. Inferiora iſta habent etiam ſuam ſpeciem ac decus,* in- In confeſ. lib.2.cap.5. quit Aug. *tamen in iſtis adipiſcendis aut poſſidendis, non eſt egrediendum abs te, Domine, neque deviandum à lege tua: propter ea autem peccatum admittitur, dum immoderata in iſta inclinatione, meliora & ſumma deſeruntur, tu Domine Deus noſter, & veritas tua, &* In pſal.136 *lex tua.* Et rurſum; *Ecce in Babylonia ſunt pulchra quæ tenent, quæ capiunt; non te teneant, non te decipiant, aliud eſt ſolatium captivorum, aliud gaudium* De Imitat. li.2.cap.1. *liberorum.* Et alius Sapiens; *Quid hic circumſpicis, cùm iſte non ſit locus requietionis tuæ? In cœleſtibus* Philip.3. *debet eſſe habitatio tua, & ſicut in tranſitu cuncta ter-* Coloſſ.3. *rena ſunt aſpicienda. Tranſeunt omnia, & tu cum eis* Sapien.5. *pariter: vide ut non inhæreas, ne capiaris & pereas. Apud altiſſimum ſit cogitatio tua, & deprecatio tua ad Chriſtum ſine intermiſſione dirigatur.*

MONITUM LXXVII.

Caro concupiſcit adverſus Spiritum; Spiritus autem adverſus carnem.

Galat. 5.

Ex D.Aug. ſer.49.in Nov. Rom.7. VIta juſti in iſto adhuc corpore, bellum eſt, nondum triumphus. Hujus autem belli quando erit triumphus? Ideo Apoſtolus dixit & voces

voces belli,& voces triumphi. Voces belli; *Non enim quod volo,ago; ſed quod odi,illud facio. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis.* Voces triumphi; *Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt; Abſorpta eſt mors in victoria,* &c. De bello loquitur Apoſt. ad Galat. fidelibus ſcribens jam pugnātibus: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis ne perfeceritis.* Non dixit, ne feceritis, ſed ne perfeceritis. Quare hoc? ſequitur & dicit, *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, Spiritus autem adverſus carnem: Hæc enim invicem adverſantur, ut non ea quæ vultis faciatis. Quod ſi Spiritu ducimini;* &c. Quid eſt Spiritu duci? Spiritui Dei conſentire jubenti, non carni concupiſcenti. Tamen concupiſcit, & reſiſtit; & vult aliquid, & non vis tu: perſevera, ut nolis tu. 1. Cor. 15. Galat. 5.

Deſiderium tuum tamen eſſe debet ad Deum; ut non ſit ipſa concupiſcentia, cui reſiſtas. Reſiſtis enim, & non conſentiendo vincis; ſed melius eſt hoſtem non habere, quàm vincere. Hoſtis ille aliquando non erit. Refer animum ad vocem triumphi, & vide ſi erit. *Ubi eſt mors contentio tua? non erit. Ubi eſt mors aculeus tuus?* Quæres locum ejus, & non invenies. Non enim hæc quaſi alia natura eſt, ſicut inſaniunt Manichæi. Languor noſter eſt, vitium noſtrum eſt: non ſeparatum alibi erit, ſed ſanatum nuſquam erit. *Ergo concupiſcentias carnis ne perfeceritis.* Melius quidem erat implere quod lex dicit, *Ne concupiſcas.* Plenitudo eſt iſta virtutis, perfectio juſtitiæ, palma victoriæ, *Ne concupiſcas.* Hoc quia modò impleri non poteſt, vel illud impleatur quod Scriptura intendit, *Et poſt concupiſcentias tuas non eas.* Melius eſt eas non ha- 1. Cor. 15. Exod. 20. Deut. 5. Roman. 7. Eccleſ. 18.

bere,ſed quia ſunt,noli poſt eas ire.Volunt poſt te ire,noli poſt eas ire.Si nolint poſt te ire,non erunt, quia contra mentem tuam non rebellabunt. Rebellant,rebella;pugnant,pugna;expugnant,expugna. Hoc ſolùm videte ne vincant.

Ecce aliquid inde ponam unde cætera intelligatis.Noſtis eſſe homines ſobrios,pauciores ſunt, ſed ſunt.Noſtis eſſe & ebrioſos, abundant. Baptizatus eſt ſobrius,quantùm pertinet ad ebrietatem, non habet cum qua pugnet,habet alias concupiſcentias, cum quibus pugnet. Baptizatus eſt & ebrioſus. Audivit, & cum timore audivit inter cætera mala, quibus hominibus malè viventibus intercluditur regnum Dei, commemoratam eſſe
1.Cor.6. Galat.5. & ebrietatem. Audivit,& timuit. Baptizatus eſt, dimiſſa ſunt illi omnia, quibus inebriatus eſt. Reſtat adverſaria conſuetudo. Ergo habet cum qua pugnet renatus.Præterita enim ejus vitia omnia dimiſſa ſunt ei,obſervet,vigilet,pugnet ne aliquando inebrietur. Surgit ergo illa concupiſcentia potandi, titillat animum, ingerit faucibus ſiccitatem,inſidiatur ſenſibus, vult etiam, ſi poteſt fieri, penetrare murum, adire incluſum, trahere captivum.Pugnat, repugna.

O ſi & ipſa non eſſet. Si conſuetudine hujus vitæ acceſſit, bona conſuetudine mortificetur: tu tantùm noli ei ſatisfacere, noli eam cedendo ſatiare, ſed reſiſtendo necare. Tamen quamdiu eſt, hoſtis eſt; ſi ei non conſentias, & nunquam inebrieris, minor & minor erit quotidie. Nam ſunt vires illius, ſubjectio tua. Si enim ei ceſſeris & inebriatus fueris, das ei vires. Sed laboras, quia tibi validum adverſarium mala conſuetudine ipſe

ipſe feciſti. Non laboraſti ut nutrires eum, labora ut vincas eum. Et ſi minùs idoneus es adverſus eam, roga Deum. Tamen ſi te non vicerit, quamvis ipſa tua mala conſuetudo luctata ſit tecum: ſi te non vicerit, feciſti quod ait Apoſtolus, *Concupiſcentias carnis ne perfeceritis.* Facta eſt concupiſcentia titillando, ſed non eſt perfecta conſentiendo.

Quod dixi de ebrietate, hoc de omnibus vitiis, de omnibus cupiditatibus intelligas. *Cum aliquibus enim nati ſumus, aliquas conſuetudine fecimus. Nam propter illas cum quibus nati ſumus, baptizantur infantes, ut ſolvantur à reatu propaginis malæ, quam habuerunt. Conſuetudini ergo ſemper repugnandum, quia ipſa concupiſcentia cum qua nati ſumus, finiri non poteſt, quamdiu vivimus. Quotidie minui poteſt, finiri non poteſt.* Per illam dictum hoc noſtrum *mortis corpus.* De ipſa dicit Apoſt. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Tunc nata eſt iſta lex, quando contempta eſt & tranſgreſſa prima lex. Quæ eſt prima lex? Quam in paradiſo accepit homo. Nonne nudi erant, & non confundebantur? Quare? niſi quia nondum erat lex in membris repugnans legi mentis. Fecit homo factum puniendum, & invenit motum pudendum. Et quia ſenſerunt pudendum, curaverunt tegẽdum. Ecce unde trahitur originale peccatum, ecce unde nemo naſcitur ſine peccato, ecce propter quod Dominus non ſic concipi voluit, quem virgo concepit. Soluit illud qui venit ſine illo. Soluit illud qui non venit ex illo.

Rom. 7. Ibid. Geneſ. 2.

Non ergo quod vult agit Apoſt. quia vult non concupiſcere, & tamen concupiſcit, ideo non quod vult agit. Nunquid illa concupiſcentia mala

trahebat Apoſtolum ſubjugatum ad concupiſcendum ad fornicationem? Abſit, luctabatur, non ſubjugabatur. Sed quia nolebat hoc habere contra quod luctaretur, ideo dicebat: *Non quod volo, ago.* Concupiſcere nolo, & concupiſco: ſed tamen concupiſcentiæ non conſentio. Non enim aliis diceret, *Concupiſcentias carnis ne perfeceritis, ſi cas ipſe perficeret. Sed conſtituit ſibi ante oculos pugnam ſuam, ne timeres tuam.* Si enim hoc non dixiſſet Apoſt. quando videres moveri concupiſcentiam in membris tuis, cui tu non conſentires; tamen cùm eam moveri videres, forſitan deſperares de te, & diceres: Si ad Deum pertinerem, ſic non moverer. Vide Apoſtolum pugnantem, & noli te facere deſperantem.

Galat. 5.

Video, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et quia nolo ut repugnet, caro enim mea eſt, ego ipſe ſum, pars mea eſt, *non quod volo ago, ſed quod odi malum, hoc ago,* quia concupiſco. Quod ergo bonum ago? quia concupiſcentiæ malæ non conſentio, ago bonum, & non perficio bonum. Et concupiſcentia hoſtis mea agit malum, & non perficit malum. Quomodo ago bonum, & non perficio bonum; ago bonum, cum concupiſcentiæ malæ non conſentio; ſed non perficio bonum, ut omninò non concupiſcam. Rurſus ergo quomodo hoſtis mea agit malum, & non perficit malum: agit malum, quia movet deſiderium meum: non perficit malum, quia me non trahit ad malum. Et in iſto bello eſt tota vita ſanctorum.

Rom. 7.

Jam quid dicam de immundis, qui non repugnant? Subjugati pertrahuntur, nec pertrahuntur, quia

Digitized by Google

quia libenter ſequuntur. Hæc,inquam, eſt pugna ſanctorum, & in hoc bello ſemper homo periclitatur, quouſque moriatur. Sed in fine, id eſt, in triumpho illius victoriæ, quid dicitur, imò quid dicit Apoſtolus, jam præmeditans triumphum? *Tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, Abſorpta eſt mors in victoria. Ubi eſt mors contentio tua?* Vox triũphantium. *Ubi eſt mors aculeus tuus? aculeus autem mortis eſt peccatum*, cujus punctione facta eſt mors. Peccatum quaſi ſcorpius eſt, pupugit nos, & mortui ſumus. Sed quando dicitur, *Ubi eſt mors aculeus tuus?* Sed quo facta es, non quem feciſti. Quando ergo dicitur, *Ubi eſt mors aculeus tuus?* Utique non erit, quia peccatum non erit. *Aculeus autem mortis eſt peccatum.* 1. Cor. 15. 1. Cor. 15.

Ideo & iſte miles, & in iſto bello tam exercitatus, ut eſſet & Dux, cùm laboraret in hoc bello cõtra hoſtem, & diceret, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*, legem fœdam, legem miſeram, vulnus, tabem, languorem, ſubjunxit, *Miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et gementi ſubventum eſt, *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quãdo corpus habebis ubi nulla concupiſcentia remanebit? *Cum mortale hoc induerit immortalitatem*, & dicetur morti: *Ubi eſt contentio tua?* Et non erit. *Ubi eſt mors aculeus tuus.* & nuſquam erit. Modò quid? Audi igitur: *Ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati.* Mente ſervio legi Dei non conſentiendo; carne autem legi peccati, concupiſcendo. Et hac delector, & ibi concupiſco, ſed non vincor: titillat, inſidiatur, pulſat, trahere conatur: *Miſer ego quis me liberabit de corpore mortis* Rom. 7. 1. Cor. 15. Rom. 7.

 hujus?

Digitized by Google

hujus? Nolo ſemper vincere, ſed aliquando volo ad pacem venire. Nunc ergo, fratres, tenete iſtum modum; *Mente ſervite legi Dei, carne legi peccati*; ſed ex neceſſitate, quia concupiſcitis, non quia conſentitis. Hactenus Auguſt.

MONITUM LXXVIII.

Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.

Roman. 7.

Ex D. Aug. lib. 2. cont. Iul. cap. 9.

DIcit B. Ambroſius, *unum ſolum hominem Mediatorem Dei, & hominum, eo quòd ſit natus ex Virgine, nec ſenſerit naſcendo peccatum, generationis obnoxia vinculis non teneri; omnes autem homines ſub peccato naſci, quorum ipſe ortus in vitio eſt, quia concupiſcentiæ voluptate concreti, priùs ſubirent contagia delictorum, quàm vitalem de hoc aëre ſpiritum ducerent; ipſamque concupiſcentiam tanquam legem peccati in corpore mortis hujus, legi mentis uſque adeò repugnare, ut adverſus eam, non ſolùm quicunque boni fideles, ſed Apoſtolicæ etiam virtutis magnitudo pugnaverit, ad hoc ut per Chriſti gratiam caro animæ ſubjugata in concordiam revocetur. Quorum duorum quæ primitùs ſine peccato creata ſunt, ex primi hominis tranſgreſſione facta diſcordia eſt.*

Et quis hæc dicit? Homo Dei Catholicus, & Catholicæ veritatis adverſus hæreticos, uſque ad periculum ſanguinis propugnator acerrimus, ſic tui

ſui Doctoris teſtimonio prædicatus, ut diceret quod ejus fidem, & in ſcripturis puriſſimum ſenſum, ne inimicus quidem auſus eſt reprehendere: Qui creatorem Deum non ſolùm animarum, verum etiam corporum adverſus Platonicorum Philoſophorum aſſeveravit errorem; qui nuptiarum bonum, & cauſa propagandi generis humani divinitus inſtitutum, & pudicitia conjugali ſanctam ejus copulam prædicavit. Qui neminem dixit juſtificari à peccato, niſi cui fuerint per baptiſmum dimiſſa omnia peccata. Qui coluit juſtè juſtum Deum; qui perfectionem hominis in juſtitia atque virtute, abſit ut impediat deſperando, ſed eam tamen perfectionem, cui nihil adjiciendum ſit, in alia vita ſperat, quæ implebitur in reſurrectione mortuorum.

In lib. de Philoſophia. In Apol. David, cap. 12. De paradiſo, cap. 10. Ambr. ſuper Iſaiam.

In hac autem vita humanam juſtitiam in quadam militia belloque conſtituit, non ſolùm adverſus æmulas aëreas poteſtates, ſed adverſus ipſas noſtras cupiditates, per quas & illi exteriores inimici nos dejicere, vel penetrare moliuntur. In hoc bello & ipſam carnem adverſariam gravem dicit, cujus utique natura ſicut primitùs condita eſt, nobiſcum concordiſſima permaneret, niſi primi hominis prævaricatione vitiata, ſuo nobiſcum languore confligeret.

In hoc bello ille vir ſanctus monet nos ſæculum effugere, & in ea fuga quanta ſit difficultas, imò impoſſibilitas, niſi Dei gratiâ opituletur, oſtendit. Dicit mortua quædam vitia per remiſſionem in baptiſmate omnium peccatorum; ſed eorum nos curare debere quodam-

De fug. ſæc. cap. 1.

modo

modo ſepulturam. Et in hoc ipſe opere talem deſcribit cum vitiis mortuis nos habere conflictum,
Rom.7. ut non quod volumus agamus, ſed quod odio habemus, hoc faciamus.
Galat.3. Multa in nobis peccatum reluctantibus nobis operari, redivivas plerumque reſurgere voluptates: Luctandum nobis eſſe adverſus carnem, adverſus quam luctatus eſt Paulus,
Rom.7. quando dicebat: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Præcipit ne carni noſtræ confidamus, ne nos ei credamus, cùm
Ibidem. Apoſtol. clamet: *Scio quia non habitat in me, id eſt, in carne mea, bonum: velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*

Ecce quantam nos pugnam cum mortuis habere peccatis ille ſtrenuus Chriſti miles, & Eccleſiæ fidelis Doctor oſtendit. Quomodo enim peccatum mortuum eſt, cùm multa operetur in nobis, reluctantibus nobis? Quæ multa? niſi deſideria ſtulta & noxia, quæ conſentientes mergunt in interitum & perditionem? quæ utique perpeti, eiſque non conſentire, certamen eſt, conflictus eſt, pugna eſt. Quorum pugna? niſi boni & mali, non naturæ adverſus naturam, ſed naturæ adverſus vitium jam mortuum, ſed adhuc ſepeliendum, id eſt, omninò ſanandum.

Quomodo ergo mortuum dicimus in baptiſmate, ſicut etiam iſte vir dicit, & quomodo habitare in membris fatemur, & multa operari deſideria reluctantibus nobis, quibus non conſentiendo reſiſtimus, ſicuti etiam hic vir fatetur: niſi quia mortuum eſt in eo reatu, quo nos tenebat, & donec ſepulturæ perfectione ſanetur, rebellat & mor-
Rom. 6. tuum? Quanvis jam non eodem modo appelletur

pecca

peccatum, quo facit reum, ſed quod reatu primi hominis ſit factum,& quod rebellando nos trahere nititur ad reatum, niſi adjuvet nos gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ne ſic etiam peccatum mortuum rebellet, ut vincendo reviviſcat,& regnet.

In quo bello laborantes, quamdiu *vita humana tentatio eſt ſuper terram*, non ideo ſine peccato non ſumus, quia hoc quod eo modo peccatum dicitur,operatur in membris repugnans legi mentis,etiam non ſibi, ad illicita non conſentientibus nobis. Quantum enim ad nos attinet, ſine peccato ſemper eſſemus, donec ſanaretur hoc malum, ſi ei nunquam conſentiremus ad malum. Sed quibus ab illo rebellante, etſi non lethaliter, ſed venialiter, tamen vincimur,in his contrahimus unde quotidie dicamus, *Dimitte nobis debita noſtra.* Sicut conjuges, quando modum generationi neceſſarium,cauſa ſolius voluptatis excedunt: Sicut continentes, quando in talibus cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium,ſed intentionem mentis, non ſicut oportet, ne illò incidat, inde avertentes, aut ſi inciderit, inde rapientes. Hactenus Auguſt.

Iob 7.

Matth.6.

Quod autem dicit Gregor. *tentationem carnis non fieri ſine peccato*, cavendum ne perperam accipiatur. Poſſet enim videri patrocinari errori hujus ætatis, quo aſſeritur omnis concupiſcentiæ motus etiam in renatis eſſe peccatum, nimirum contra luculentiſſima Script.teſtimonia.Ait enim Apoſtolus de hujuſmodi motibus, quos invitus patiebatur in carne,*Si quod nolo facio*, ſcilicet carne,

Rom.7.

Rom.8.

ne, *jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Et infrà, *Nil ergo nunc damnationis iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant*, &c. Eódem accedit, quod D. Iacobus concupiſcentiam tentantem ſeu allicientem, & ſollicitantem ad peccatum diſtinguit ab ea quæ concipit, paritque peccatum. Dominus etiam ait in Evang. ea ſola, *quæ de corde exeunt*, id eſt, voluntate, inquinare hominem. Nec olim in veteri lege pro cæde involuntaria, aut ſtupro per vim accepto, pœna ſtatuebatur.

Iacob. 1. Matth. 15.

His ſi veterum doctrina jungatur, efficitur tota res illuſtrior. Docet Aug. *quando ratio refrænat & compeſcit cupiditatem, non labi nos in peccatum, ſed cum aliquanta luctatione coronari.* Et alibi negat, *ſine propria voluntate ullum poſſe eſſe peccatũ propria vitæ.* Et idem dicit, *grandibus baptiſatis concupiſcentiam nihil eſſe nocituram, ſi ei ad illicita non conſentiatur.* Proinde in lib. de perfect. juſtitiæ ſcribit, *propter eos motus, quibus ratio non conſentit, ſed obſiſtit, neminem dicere debere, Dimitte nobis debita noſtra.* Quod idem reperias lib. 50. hom. Sentit idem Chryſ. *Si*, inquit, *concupiſcentiæ non conſentit voluntas, concupiſcentia ſola non damnat; magis autem glorioſam reddit Virginitas coronam.*

Li. 2. cont. Manich. cap. 14. Lib. 1. de pec. merit. cap. 35. & lib. 2. ca 4. De perf. juſt. circa finem. Matth. 6. Lib. 50. hom. Hom. 52. in Matth.

D. verò Hilarii quæ fuerit ſententia, diſcitur ex Aug. in Jul. ubi permulta referuntur ad hanc rem pertinentia. Eandem doctrinam habet Epiph. docens, *vetus quidem fermentum eſſe concupiſcentiam, quod expurgare debemus, & tantum docere Apoſtolũ ſanctos exercere juſtitiam, ſine ullius admixtione peccati.* Sed & Cyrill. *voluptatem*, ait, *quandam omne peccatum præcurrere.* Et infrà, *aſſerit hominem ceſ-*

Lib. 2. c. 8. In hæreſi Origen. In Ioan. lib. 5. c. 51.

ſare à peccato, quando franat concupiſcentiam, nec ab ea ſuperari ſe permittit, ſed nondum tamen eam extirpat, abjectionem enim perturbationum, majus quiddam eſſe, quàm ut hujus vita infirmitati conveniat.

Conſonat his quoque ſolidorum Scholaſticorum doctrina, velut D. Thomæ. *Concupiſcentia carnis,* ait, *contra Spiritum, quando ei actualiter ratio reſiſtit, non eſt peccatum, ſed materia exercendæ virtutis.* Et Bonaventura annotat, *in peccato duo notari poſſe, alterum quod culpa ſit, alterum quod vitium; horum illud ſine liberi arbitrii conſenſu eſſe non poſſe, alterum verò ex hoc eſſe, quod ſit potentia, cujus eſt actus deordinata, neque effecta juxta naturalem inſtitutionem. Atque hoc modo accipi debere quod dicitur tentationem carnis non eſſe abſque peccato, quia non ſit ſine vitio, non quia cum culpa conjuncta ſemper ſit.* Contra Cajetanum, *qui dicit, videri ſibi omnem vitioſum carnis motum eſſe culpam, & peccatum ſaltem veniale,* ex teſtimoniis D. Aug. & D. Thom. malè intellectis; cùm Aug. de plena, deliberata & voluntaria concupiſcentia loquatur, quæ tamen metu ſupplicii cohibetur, ne in opus erumpat. Thom. verò, ut ſuprà, id eſt, ſine vitio.

1.2.q.80. art.3.ad 3.

In diſt.24. lib.2. ſent. art.3.q.1.

De Civit. lib.4. c.10. 3.par. q.de tentatione Chriſti.

Non rectè ergo dixit Caſſian. peccatum eſſe quod vel inviti à ſummi boni contemplatione retrahamur, inde colligens univerſos Sanctorum actus eſſe peccata; ſicut & illud imperitè, quod ait, bonitatem noſtram Divinæ bonitatis comparatione in malitiam verti. Ex quo videtur Lutherus dogma ſuum hauſiſſe, quo docet univerſa Sanctorum opera eſſe peccata.

Collat.23.

Digitized by Google

MONITUM LXXIX.

Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & majeſtate.

Lucæ 21.

CHriſtus Dominus ad nos è ſinu Patris miſſus, non ſolùm tanquam Redemptor, qui pretio ſui ſanguinis nos redimeret, & iram Patris placaret; ſed etiam ut Doctor, qui nos ſalutem doceret, & verbo ac exemplo viam ad eam demonſtraret. Unde ſe miſſum eſſe dicit à Patre, *unctum à Spiritu ad evangelizandum*, ad prædicandum, duo præſertim, *Annum Domini acceptabilem, & Diem retributionis.* Quantum ad primum attinet; *Ecce,* inquit Apoſtolus, *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Hoc enim tempus electum à Deo ad operandum ſalutem hominum, & in quo ipſi homines ſuam ſalutem poſſunt mereri. Status enim merendi conjunctus eſt cum via humanæ peregrinationis, quam Deus voluit poſt peccatum morte terminari. Unde Apoſtolus, *Statutum eſt hominibus ſemel mori; poſt hoc autem judicium*, quaſi dicat, uſque ad mortem via tenditur, poſt mortem verò ſecundùm Dei judicium retributionis terminus.

Vide Greg. in Paſt. par. 1. cap. 3. Lucæ 4. Pſal. 2. 2. Cor. 6. Iſai. 49. Proſp. de voc. gent. lib. 2. cap. 9. Hebr. 9.

E ſtatu ergo merendi exceſſerunt jam ſancti defunctorum ſpiritus, terminata ipſorum in morto

te peregrinationis via: ita fit ut quicquid poſtea
recipiunt per beatam corporum reſurrectionem,
id reddatur meritis in hac vita comparatis. Quæ Auguſt. de
ergo pro defunctis commendandis frequentat cura pro
Eccleſia, illi Apoſtolicæ non ſunt adverſa ſen- mort.cap.
tentiæ, qua dictum eſt: *Omnes aſtabimus ante tri-* 1. Vide
bunal Chriſti, ut referat unuſquiſque prout geſſit in Dionyſ.in
corpore, ſive bonum, ſive malum. Quia etiam hoc me- fine Hier.
ritum ſibi quiſque cùm in corpore viveret, compara- Eccleſ.cap. 12.
vit, ut ei poſſint iſta prodeſſe. Non enim omnibus Rom. 14.
proſunt: & quare non omnibus proſunt? niſi propter 2. Cor. 5.
vitæ differentiam, quam quiſque geſſit in corpore.

Quo circa hîc omne meritum comparatur, quo Vide Mel-
poſſit poſt hanc vitam relevari quiſpiam vel gravari. chiad. Pap.
Nemo autem ſe ſperet quod hîc neglexit, cùm obierit, epiſt. Aug.
apud Deum promereri; ſicut Chriſtus dixit: Venit Ench.cap. 110.
nox, quando nemo poteſt operari. Et Apoſt. *Dum* Ioan. 9.
tempus (inquit) *habemus, operemur bonum.* Quod Galat. 6.
tempus explicat cùm dicit, *unumquemque receptu-* 2. Cor. 5.
rum prout geſſit dum eſſet in corpore. Unde & Ec- Eccl. 9.
cleſ. admonet: *Quodcunque poteſt manus tua, in-*
ſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec Sa-
pientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu pro-
peras. Et alius; *Ante obitum tuum operare juſti-* Eccl. 14.
tiam, quoniam non eſt apud inferos invenire ci-
bum. Non igitur amplius proficient animæ ſan-
ctorum, quàm uſque ad eam magnitudinem cha- Vide D. Ba-
ritatis, quam meruerunt in hac vita. ſil. de vera

Similiter mors peccandi periculis fideles ſub- Virginit.
trahit, & in non peccandi ſecuritate conſtituit, ut
ad deteriora converſionem jam non metuant.
Si enim poſt hanc vitam periculum adhuc eſſet Cypria. de
peccandi, quid magni illi præſtitum eſſet, qui *ra-* Mortal.
ptus Sap. 4.

ptus eſt ex hac vita, ne malitia mutaret intelle-
Matth.24. *ctum ejus?* Aut quomodo verum eſſet, *Qui perſe-*
Apoc.2. *veraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Et, *Eſto*
Ambr.in 16.ca.Lucæ. *fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*
Poſt mortẽ ergo nequeunt merita mutari, inq. Ambr.
Eccl.11. *Sed lignum ubicunque ceciderit, ſive ad auſtrum, ſive ad aquilonem, illic erit.* Objiciebant Pelagiani Catholicis, quod dicerent poſt reſurrectionem tales proceſſus futuros, ut ibi incipiant homines quæ hîc
Cont. 2. epiſt. Pelag.li.3. cap.7. noluerint, mandata Dei complere. *Sed quis hoc ferat?* inquit Aug.

Secundò, miſſus & unctus eſt ad prædicandum diem retributionis, in quo Deus judicabit hunc mundum, *reddens unicuique ſecundum opera ſua.*
Act. 10. Quem etiam diligenter præcepit & voluit populo inculcari. *Præcepit nobis,* ait Petrus Cornelio, *prædicare populo & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum.* Quod mandatum implevit Paulus in prima ſua concione ad
Act.17. Athenienſes. *Statuit,* inquit, *Deus diem in quo judi-*
Act.24. *caturus eſt orbem in æquitate.* Et apud Felicem Præſidem *diſputabat de juſtitia, caſtitate, & judicio,* tanta animi contentione, ut tremefactus Præſes ſermonem abrumperet.

Admodum autem ſapienter Magiſter hic doctrinam ſuam inſtituit; quod ſcire utile erat, id hominibus aperiens; quod autem ſcire nocivum foret, id celans aut differens. Id manifeſtum eſt in re propoſita, videlicet, Die retributionis. Utile hominibus erat ſcire, illum aliquando venturum ad Iudicium, & redditurum unicuique ſecundùm opera ſua. Utile, inquam, bonis ad ſolatium, malis ad terrorem. Solatur bonos, quan-

do

do cogitant opera ſua omnia, quæ hic latent; & ab impiis improbantur, coram teſte ac Iudice Deo fieri, qui ea ſemel in lucem proferet; ac oſtendet non fruſtra ab eis facta, cumulatiſſimè remunerando. Terret quoque malos; quando cogitant omnia ſua facta coram eodem teſte ac Iudice fieri, qui *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium* ipſorum; ac graviſſimè puniet. Id ergo in Scriptura aperuit, ut quando dicitur; *Iudicabit Dominus populum ſuum*. Et; *Iudicabit Dominus orbem in juſtitia*. Et; *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium*. Et; *Filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui; & tunc reddet unicuique ſecundum opera ſua*. Et; *Ecce venio citò; & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua*.

1. Cor. 4.
Deuter. 32.
Pſalm. 95.
Eccleſ. ult.
Matth. 16.
Apoc. 22.

Quod autem ſcire inutile erat, tacuit, videlicet; tempus & diem quo venturus eſt. Quem ſe etiam neſcire dixit; *quia in magiſterio ejus non erat*; inquit S. Auguſtin. *ut per eum ſciretur à nobis. Neque enim aliquid ſcit Pater, quod Filius neſcit; cum ipſa ſcientia Patris ille ſit, qui ſapientia ejus eſt. Eſt autem Sapientia ejus, filius ejus, verbum ejus. Sed quia ſcire nobis non proderat, quod quidem ille noverat, qui docere nos venerat, non tamen hoc quod nobis noſſe non proderat, non ſolùm ſicut magiſter aliquid docuit, ſed ſicut magiſter aliquid non docuit. Tanquam magiſter enim ſciebat, & docere quod proderat, & non docere quod oberat.*

In pſal. 36. conc. 1.

Agit autem Auguſt. contra eos; qui voluerunt ſibi arrogare ſcientiam illius temporis computatione aliqua annorum; nempe poſt 7. millia

In pſalm. 6.

Digitized by Google

annorum, quia dies reſurrectionis Octava dicitur.
Actor. 1. Arguit eos ex Scripturis; ut, *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate.* Et, *Dies Domini veniet tanquam fur.* Et, *De die illa & hora nullus ſcit, neque filius;* non quòd ipſe neſciat, ſed quòd neſcire faciat eos, quibus hoc non expedit ſcire, id eſt, non eis hoc oſtendit. Meliùs eſt enim ignorare, ut ſemper vigilemus. Propterea enim incertum eſſe voluit, ut dum nullam nobis horam certam polliceri poſſumus, omni momento exſpectemus venturum, quem quando venturus ſit, ignoramus; & omni momento judicis exſpectatione ſuſpenſi, ſic vivamus quaſi ſtatim judicandi. Unde Dominus; *Vigilate, quia neſcitis qua hora filius hominis venturus ſit, ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico* (addit Chriſtus) *omnibus dico. Quibus enim omnibus dicit, niſi electis & dilectis ſuis ad corpus ejus pertinentibus, quod eſt Eccleſia?*

Matth. 24. Marc. 13. Marc. 13.

Non ſolùm ergo illis dixit, quibus tunc audientibus loquebatur, inquit D. Aug. *ſed etiam illis qui fuerunt poſt illos ante nos, & ad noſipſos, & qui erunt poſt nos uſque ad ejus noviſſimum adventum. Nunquid autem omnes inventurus eſt dies ille in hac vita, aut quiſquam dicturus eſt, quod etiam ad defunctos pertineat, quod ait, Vigilate, ne cùm repentè venerit, inveniat vos dormientes? Cur itaque omnibus dicit, quod ad eos ſolos pertineat, qui tunc erunt, niſi quia eo modo ad omnes pertinet, quomodo dixi. Tunc enim unicuique veniet dies ille, cùm venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus eſt illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Chriſtianus, ne imparatum inveniat eum Domini adventus. Imparatum autem inveniet*

Aug. epiſt. 80. & lib. 83. quæſt. q. 59. Marc. 13.

Digitized by Google

niet ille dies, quem imparatum invenerit ſua vitæ hujus ultimus dies. Certè enim hoc ſaltem manifeſtum erat Apoſtolis, non eorum temporibus, cum hic in carne viverent, Dominum eſſe venturum; & tamen quis dubitet eos præcipuè vigilaſſe, & ſervaſſe quod omnibus dixit, ne imperatos repentè veniens inveniret? ita Aug.

Epiſt. 80. ad Eſych.

Qui & alibi; *Quò*, inquit, *proficit iſte ſermo? Ut quoniam diem noviſſimum ſcimus venturum; utiliter autem ſcimus venturum, & utiliter ignoramus quando venturus ſit; paratum cor habeamus bene vivendo, ut non ſolum non timeamus venturum illum diem, ſed & amemus. Dies quippe ille, ſicut infidelibus laborem auget, ſic fidelibus finit. Quid autem horum duorum eſſe velis, antequam veniat, nunc eſt in tua poteſtate; cùm venerit, non erit. Elige ergo cum tempus eſt, quia Deus quod miſericorditer occultat, miſericorditer differt.* Sic Aug.

In pſal. 36. Conc. 1.

MONITUM LXXX.

Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus?

Matth. 11.

CAuſa vinculorum & carceris Præcurſoris Domini omnibus nota eſt; erat autem veritatis prædicatio, & correptio Herodis de adulterio; & ideo beata vincula, felix captivitas. Non erat canis mutus, nec reſpiciebat perſonam hominum. D. Cypr. ad Martyres in metallo conſti-

Iſai. 56. Matth. 23.

Epiſt.77. ad Mart. tutos ſcribens : *Vincula veſtra*, inquit, *non vincula ſunt, ſed ornamenta; nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam.* Et D. Ignat. de ſuis vinculis: In epiſt. ad Epheſ. *A Syria*, ait, *uſque Romam hæc vincula circumfero, ſpirituales margaritas, in quibus contingat mihi conſummari precibus veſtris.* Sic gloriatur Apoſtolus, ſcribens in epiſt. *Paulus vinctus.* *Multa quidem alia*, inq. Chryſ. Hom. 16. ad pop. *illuſtrem illum reddebant, ſed maximè vincula quibus ob Chriſtum circundatus.*

Joannes in vinculis, Herodes in delitiis ; Ioannes in carcere, Herodes in palatio; & tamen Ioannes Dei amicus, Herodes mancipium Diaboli : illius pulchriora vincula & carcer, quàm hujus palatium & delitiæ. Quid præeligendum, ſuo exemplo oſtendit Hebr. 11. *Moyſes, quando grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti.* Quanta differentia ſæpè Luc. 16. cernitur in hac vita inter bonos & malos ? Hi bona recipiunt in vita ſua, illi mala. Sed quanta erit in futura : hi conſolantur, illi cruciantur. *Intelligam*, ait David, Pſal. 72. *in noviſſimis eorum.* Et, *Omnis conſummationis vidi finem.* Pſal. 118. Hoc & tu fac, & non facilè turbaberis, proſperitate malorum, & bonorum afflictione.

Notanda autem eſt ſollicitudo Baptiſtæ de ſuis diſcipulis : Ipſe eos relicturus erat, de meliore magiſtro providere volebat. Ad Chriſtum ergo remiſit, cujus, cùm ſit Ioan. 4. *mundi Salvator*, *& mediator Dei & hominum*, 1. Tim. 2. cognitio ad ſalutem eſt neceſſaria. Ioan. 14. *Via* enim eſt, per quam itur, quatenus

homo.

Digitized by Google

homo. *Vita*, ad quam itur, quatenus Deus, & ſummum rationalis naturæ bonum. *Non eſt in alio aliquo ſalus.* Non quod ipſe de Chriſto dubitaret, quem baptiſarat, ſuper quem Spiritum S. deſcendere viderat, de quo tam illuſtre teſtimonium Patris audierat, *Hic eſt filius meus dilectus*, &c. quem digito demonſtrarat, & teſtatus erat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sed ut ejus diſcipuli inſtructiores & certiores redderentur. *Ecce*, inquiens, *agnus Dei*, quia innocens, obmuteſcens in paſſione ſicut agnus, immolatus pro hominibus. Tollit autem peccata, remittens præterita, præſervans à futuris, dans veram legis obedientiam, denique eò ducens, ubi ampliùs peccari non poterit.

Actor. 4. Matth. 3. Ioan. 1. Iſai. 53.

Satisfecit autem Chriſtus abundè deſiderio Ioannis, dum ante oculos diſcipulorum ejus poſuit certa ſigna ſui adventus, ex quibus is facilè poterat deprehendi, quia per prophetas in Scripturis de Meſſia erant prædicta. Unde Chriſtus, *Opera quæ facio, teſtimonium perhibent de me; illis credite, ſi verbis non vultis.* Quorum primum eſt, miraculorum patratio, de quibus apud Iſaiam: *Tunc aperiētur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Hæc autem à Chriſto fiebant, Unde ait, *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt*, &c. Corpora autem ſanabat, ut oſtenderet ſe eſſe curatorē animarum. Benè docet Dominus, recurrendum ad Scripturam ſacram, & ſigna, quæ ibi ſunt, non ad phantaſmata humana, rationes Philoſophicas, &c. in quibus ſæpe error & mendacium. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, ait David. *Cui attendendum*

Vide Aug. epiſt. 3. 42. Cont. Fauſt lib. 13. c. 7. & ſeq. Ioan. 10. Iſai. 35. Matth. 11. Aug. lib 9. de Geneſ. ad lit. Pſal. 118.

Epiſt.77. ad Mart. tutos ſcribens : *Vincula veſtra*, inquit,*non vincula ſunt,ſed ornamenta; nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant,ſed clarificant ad coronam*. Et D.Ig- In epiſt. ad Epheſ. nat.de ſuis vinculis: *A Syria*, ait, *uſque Romam hæc vincula circumfero, ſpirituales margaritas, in quibus contingat mihi conſummari precibus veſtris*. Sic gloriatur Apoſtolus,ſcribens in epiſt. *Paulus vinctus*. *Multa quidem alia*,inq. Chryſ. *illuſtrem illum red-* Hom.16. ad pop. *debant , ſed maximè vincula quibus ob Chriſtum circundatus*.

Joannes in vinculis,Herodes in delitiis ; Ioannes in carcere, Herodes in palatio;& tamen Ioannes Dei amicus,Herodes mancipium Diaboli : illius pulchriora vincula & carcer, quàm hujus palatium & delitiæ. Quid præeligendum,ſuo exem- Hebr.11. plo oſtendit *Moyſes , quando grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis:magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem,majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum,improperium Chriſti*. Quanta differentia ſæpè Luc.16. cernitur in hac vita inter bonos & malos ? Hi bona recipiunt in vita ſua, illi mala. Sed quanta erit in futura : hi conſolantur,illi cruciantur.*Intel-* Pſal.72. *ligam*,ait David , *in noviſſimis eorum*. Et , *Omnis* Pſal.118. *conſummationis vidi finem*. Hoc & tu fac , & non facilè turbaberis, proſperitate malorum,& bonorum afflictione.

Notanda autem eſt ſollicitudo Baptiſtæ de ſuis diſcipulis : Ipſe eos relicturus erat, de meliore magiſtro providere volebat. Ad Chriſtum er- Ioan.4. go remiſit,cujus , cùm ſit *mundi Salvator , & me-* 1.Tim.2. *diator Dei & hominum* , cognitio ad ſalutem eſt Ioan.14. neceſſaria. *Via* enim eſt,per quam itur , quatenus

homo.

homo. *Vita*, ad quam itur, quatenus Deus, & ſummum rationalis naturæ bonum. *Non eſt in alio aliquo ſalus.* Non quod ipſe de Chriſto dubitaret, quem baptiſarat, ſuper quem Spiritum S. deſcendere viderat, de quo tam illuſtre teſtimonium Patris audierat, *Hic eſt filius meus dilectus*, &c. quem digito demonſtrarat, & teſtatus erat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sed ut ejus diſcipuli inſtructiores & certiores redderentur. *Ecce*, inquiens, *agnus Dei*, quia innocens, obmuteſcens in paſſione ſicut agnus, immolatus pro hominibus. Tollit autem peccata, remittens præterita, præſervans à futuris, dans veram legis obedientiam, denique eò ducens, ubi ampliùs peccari non poterit.

Actor. 4. Matth. 3. Ioan. 1. Iſai. 53.

Satisfecit autem Chriſtus abundè deſiderio Ioannis, dum ante oculos diſcipulorum ejus poſuit certa ſigna ſui adventus, ex quibus is facilè poterat deprehendi, quia per prophetas in Scripturis de Meſſia erant prædicta. Unde Chriſtus, *Opera quæ facio, teſtimonium perhibent de me; illis credite, ſi verbis non vultis.* Quorum primum eſt, miraculorum patratio, de quibus apud Iſaiam: *Tunc aperietur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Hæc autem à Chriſto fiebant, Unde ait, *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt*, &c. Corpora autem ſanabat, ut oſtenderet ſe eſſe curatorē animarum. Benè docet Dominus, recurrendum ad Scripturam ſacram, & ſigna, quæ ibi ſunt, non ad phantaſmata humana, rationes Philoſophicas, &c. in quibus ſæpe error & mendacium. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, ait David. *Cui attendendum*

Vide Aug. epiſt. 3.42. Cont. Fauſt lib. 13. c. 7. & ſeq. Ioan. 10. Iſai. 35. Matth. 11. Aug. lib 9. de Geneſ. ad lit. Pſal. 118.

2.Petr.1. monet Petrus, *in loco hoc caliginoſo*. Et Iſaias Pro-
Iſai.8. pheta: *Ad legem magis*, inquit, *& ad teſtimonium*.
Matth.16. Increpantur Phariſæi quod hæc ſigna non atten-
Vide Hier. debant, *Faciem cœli*, ait, *dijudicare noſtis, ſigna tem-*
in cap.8. *porum non poteſtis?*
Iſai.

August.in psal.103. conc.3. Luc.4. Pſalm.2. Matth.23. Alterum ſignum eſt, Evangelizatio pauperum, *Unxit me Evangelizare pauperibus*; intelligitur cum effectu, ſic ut credant, ſequantur, faciant. *Prædicans præceptum ejus? Unus eſt magiſter veſter*, quia ſolus cor illuſtrat & inflammat; ſine cujus interiori doctrina, fruſtra cujuſlibet hominis lingua laborat; 1.Cor.3. *non enim qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*. De iſtis pauperibus frequens eſt mentio in Pſalm.71. pſalmis: *Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum*. Et, *Orphano* Pſalm.9. *tu eris adjutor, tibi derelictus eſt pauper*, &c. Sunt autem humiles, qui ſuæ miſeriæ conditionem agnoſcunt, quod ex ſe miſeri ac miſerabiles ſunt, cæci & nudi. Iſta humilitas maximè convenit homini in hac vita, & eum reddit idoneum & capacem Iſai.66. ſanitatis & ſalutis. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem?* &c. Matth.11. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*, videlicet in oculis ſuis, id eſt, humilibus.

Deinde, *contemptibilia primò elegit Deus, ut con-* 1.Cor.1. *funderet eos qui apud homines magni habentur*. Confunduntur, quando nihil eſſe oſtenduntur; quod fit, Aug.ſerm. 115 & 140 in Nov. cùm alii iis præferuntur. *Videte vocationem veſtrã, fratres*, inquit Apoſtolus, id eſt, congregationem fidelium à Chriſto vocatorum: *Non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi* August.& Proſp.in pſalm.110. *nobiles*. Addit, *ſecundem carnem*, ne injuriam faciat veris Chriſtianis, qui veri ſunt ſapientes, quia

Deum

Deum & Chriſtum cognoſcunt,& diligunt; veri potentes, vitiis ac tentationibus reſiſtentes; veri nobiles,quia virtutibus clari. Sed illis prælati ſunt ſtulti,infirmi,ignobiles,ne ſuæ ſapientiæ,potentiæ, aut nobilitati tribuerent, quod ex mera Chriſti gratia donatum eſt, & ſic *evacuaretur Crux Chriſti.* Deinde illa erant converſionis impedimenta: vocantur enim Chriſtiani, *ad humilitatis jugum & crucis opprobrium*,quæ illi averſantur & fugiunt.

Boët.de conſol.lib. 3.Met.5. Hieron.ad Celant.

1.Cor.1.

Li.8. Conf. cap.2.

Diſcipulis autem Ioannis abeuntibus,progreditur Chriſtus ad ejus laudes. Quarum prima eſt, quod *non erat arundo ventis agitata,* qua ſignificatur homo inconſtans, qui ſervit tempori, ſervit auribus hominum, ac eorum moribus ſe accommodat. *Arundinem enim,* inquit Greg. *mox ut aura contigerit, in partem alteram inflectit: Sic carnalis animus mox ut favore vel detractione tangitur,ſtatim in partem alteram inclinatur.* Dicebat ille apud Terentium, *laudant, vituperant, & ego: aiunt, aio; negant, nego. Nolite fieri ſervi hominum*, ait Apoſtolus. Tales ſunt qui id probant & faciunt quod vident hominibus placere, ſive bonum ſit, ſive malum. Multi etiam ſunt qui ex levi tentatione facilè bonum propoſitum, quod bene firmaverant, deſerunt. Imò videmus populum pro arbitrio Principum,quibus ſubſunt, fidem ac religionem ipſam quotidie mutare; quod abſurdiſſimum. Verè dixit Poëta;

Vide Mon. 32.

Greg.hom. 6.in Evang.

Terent.in Eunucho.

1.Cor.7.

Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Etſi homines mutentur, lex tamen Dei, ejuſque fides ac juſtitia perſeverat; ideóque iis firmiter inhærendum. Monet Apoſtol. *Stabiles eſtote,& immobiles. Et, Non circumferamur omni vento*

1. Cor. 15. Epheſ. 4. Eccleſ. 10. Apocal. 3. Rom. 13. Amos 6.

doctrina. Et Sapiens: *Locum*, inquit, *tuum ne dimiſeris*. Et Ioannes, *Tene quod habes*.

Secunda laus Baptiſtæ, quod *non veſtiebatur mollibus*, ut illi qui *carnis curam faciunt in deſideriis*, ſectantur carni amica & commoda; *Qui dormiunt in lectis eburneis, & laſciviunt in ſtratis ſuis*; qui edunt ſuperflua, & magis delectabilia, qui molles ſunt in veſtibus, & ſic *non tam tegunt, quàm nudant corpora ſua*, oſtendentes ea eſſe petulca, laſciva, lubrica, libidinoſa, non ſubjecta ſpiritui. Baptiſta corporis ſui erat domitor fortiſſimus. *Veſtis erat de pilis camelorum, eſca locuſtæ & mel ſilveſtre*, locus deſertus, horridus & incultus, *zona pellicea circa lumbos*: omnia continentiæ & pœnitentiæ præparata. Et qui per ſimiles aſperitates corpus caſtigat, non odit, ſed amat (ſicut non odit qui amaris etiam pharmacis morbum corporis extinguere conatur;) ſic ille odit & perſequitur malum quod eſt in corpore, ut corpus ipſum ſervet, ut obediens ſit ſpiritui, paratum ad opera neceſſaria, conatur illud reformare ad illam pulchritudinem, quam habebit in reſurrectione, quando erit *ſpiritale*, ideſt, *ſpiritui plenè ſubjectum*. Ardua pœnitentia Sanctorum meritò nos terrere debet; quorum peccata magna & horrenda, pœnitentia nulla aut parva: illorum autem peccata exigua, & magna pœnitentia.

Hieron. ad Lætam, ad Princip. Matth. 3. Aug. lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 24. Aug. Ench. c. 91. Serm. 71. in Nov.

Tertia laus, *Ioannes erat pluſquam Propheta*. Prophetæ dicuntur qui adventum Chriſti prædixerunt, & ferè in allegoriis locuti ſunt; Ioannes autem Chriſtum demonſtravit, *Ecce agnus Dei*, & apertè locutus eſt. Dicit Apoſt. *quod Iuſtitia Dei teſtificata eſt à lege & Prophetis*. Teſtificabatur lex juſtitiam,

Ioan. 8. Rom. 3.

ſtitiam,non præſtabat.*Rubus ardebat,& non combu-* Aug.ſerm.
rebatur, quia malitia per legem manifeſtabatur, 21.& 57.
non conſumebatur,uti D.Aug.explicat; & ſic exi- in Nov.
gendo juſtitiam & non præſtando, ſatis indicabat
eam ab alio,Chriſto videlicet,exſpectandam eſſe.
Sic & Prophetæ prædixerunt juſtitiam per Chri-
ſtum dandam: ut; *Iuſtus ex fide,* venturi Chriſti, Rom.1.
vivit, ut ipſe Paulus interpretatur. Ideo Ioannes Galat.3.
pluſquam Propheta,quia longè eminentioris dig- Hebr.11.
nitatis eſt, eſſe miniſtrum juſtitiæ, quàm eam ſo-
lùm prædicere.*Ioannes*,inq.Aug.*Mediatorem ipſum* Lib.3.c.4.
non aliqua umbra futuri,vel allegorica ſignificatione, cont.2.
vel ulla prophetica prænuntiatione venturum eſſe ſig- epiſt.Pelag
nificans, ſed digito demonſtrans, ait; *Ecce Agnus*
Dei. Tanquam dicens; Quem multi juſti videre cu- Ioan.1.
pierunt, in quem venturum ab ipſius generis humani Luc.10.
initio crediderunt, de quo Abrahæ dicta ſunt pro- Galat.3.
miſſiones, de quo ſcripſit Moyſes, de quo lex & Pro- Ioan.5.
phetæ ſunt teſtes.Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit pec- Rom.3.
cata mundi. Sic Auguſt.

MONITUM LXXXI.

Confeſſus eſt, quia non ſum ego
Chriſtus.

Ioan. 1.

PRæcurſor Domini, Baptiſta, variis hîc modis
oſtendit ſuam humilitatem. Primò, humi-
liter negando, quod non erat: *Non ſum ego Chri-* Luc.3.
ſtus; cœperant enim cogitare, ne fortè ipſe eſſet
Chri

Chriſtus,ob inſignem vitæ ſanctitatem. *Non ſum*
Malach.4. *Helias*;videlicet in perſona,quem ſciebant ex Malachia venturum ; in officio tamen erat, unde
Matth.11. Chriſtus de eo,*Ipſe eſt Helias*. Sicut enim hic erit præcurſor Iudicis; ita Ioannes erat præcurſor Redemptoris. Sed Judæi non diſtinguebant hunc duplicem adventum. *Non Propheta*, aliquis videlicet ex ſuperioribus, qui præceſſerant ; vel loqui-
Actor.7. tur de Propheta,de quo Moyſes : *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris, tanquam me, ip-*
Luc.1. *ſum audietis*. Alioqui Pater ejus in Cantico ; *Tu puer*, inquit, *Propheta altiſſimi vocaberis*. Imò ipſo Chriſto teſte, *pluſquã Propheta eſt*,ut jam dictum.

Mon. præc. Sancti recuſant honores, quibus ſunt indigni, ut Angelus in Apoc.Ioanni, volenti eum adorare,
Apoc.22. *Vide*, inquit, *ne feceris, conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum*. Et Paulus Lycaonibus volentibus
Actor.14. ei ſacrificare tanquam Deo;*Quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines*,&c. Etiam illos recuſant,quibus digni ſunt ob vitæ merita.*Bo-*
Li.10.Cõf. cap.37. *næ enim vita,bonorumque operum comes*, ait D.Aug. *& ſolet & debet eſſe laudatio*. Sed ſoli Deo volunt omnem laudem & gloriam tribui, qui iſta in eis
Pſal.113. operatur.Unde dicunt:*Non nobis,Domine,nõ nobis, ſed nomini tuo da gloriam*. Deinde propter ſuperbiæ periculum ; *etſi enim facile cuique eſt*, ait idem
Epiſt.64. Aug.*laude carere dum denegatur*; *difficile tamen eſt*
Pſalm.69. *ea non delectari,dum offertur*:hinc David;*Avertantur ſtatim erubeſcentes,qui dicunt mihi euge,euge* ; id
In epiſt. ad Trallia. eſt,qui me laudant.*Qui me laudant*,ait S.Ignat. *illi me flagellant*, id eſt, pœna & dolore afficiunt.

Superbi acceptant omnia, etiam laudes quas non merentur,& cupiunt haberi tales, quales non ſunt,

Digitized by Google

ſunt, nimio vanitatis amore. Herodi acclamabat populus, *Dei voces, & non hominis*; *& continuò percuſſit eum Angelus Domini, eo quòd non dediſſet honorem Deo*; *& conſumptus à vermibus, expiravit.* Actor.12.
Sic Alexander magnus, Iovis filius habitus; ſed acceptum vulnus hominem eum eſſe docuit, ut ipſemet agnovit & dixit. Seneca epiſt.60.
Et Antichriſtus oſtendet ſe tanquam ſit Deus, ſed interficietur ſpiritu oris Domini. 2.Theſſ.2.
Multa de cultu Divino uſurpata ſunt, queritur Aug. *quæ honoribus tribuuntur humanis, ſive humilitate nimia, ſive adulatione peſtifera.* De Civit. li.10.c.4.
Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur, ait Propheta. Pſalm.9.
Sed inquit Aug. *Qui laudari vult ab hominibus, Deo vituperante, non defenditur ab hominibus, illo judicante, nec eripitur illo damnante.* Li.10.Cõf. cap.36.

Secundò, oſtendit Ioannes humilitatem ſuam, humiliter fatendo quod erat, nempe, *Vox clamantis in deſerto.* Non dicit ſe clamare, ſed vocem eſſe alterius, Dei qui in illo clamabat, verbo, exemplo. *Non enim vos eſtis qui loquimini*, ait Chriſtus Apoſt. *ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*, hoc ſciebat, hoc confitebatur. Matth.10.
Et, *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Matth.10.
Sic Paulus: *Deus*, inquit, *locutus eſt patribus in Prophetis.* Hebr.1.
Et Petrus, *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* 2.Petr.1.
Hoc attendant ipſi Doctores, ne quid ſibi tribuant; unde idem Petrus, *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* 1.Petr.4.
Hoc attendant & populi, ut verba eorum & monita non ſpernant, ſed in honore & autoritate habeant ac ſequantur; ne Deum ipſum ſpreviſſe videantur, ut ipſe dicit ſe contemptum, quando Moyſes & Samuel contempti ſunt, qui Dei locum tenebant, in quibus ipſe loqueba- Exod.16. 1.Reg.8.

queba

2.Cor.13. quebatur, per quos ipſe agebat. *An experimentum*
Rom.15. *quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus?* ait Paulus. Et rurſum; *Nihil audeo loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus.*

Tertiò, declarat ſuam humilitatem vilificando miniſterium ſuum, & opus quod faciebat. *Ego*, inquit, *baptizo in aqua*, id eſt, corporaliter tantum abluo, & mundo; quod & ancillæ in culina faciunt. Baptiſmus Ioannis non mundabat animam, nec dabat remiſſionem peccatorum; ſed ſolus Bap-
Aug.tract. 8.in Ioan. tiſmus Chriſti, de quo D. Aug. *Quæ eſt tanta virtus*
Ioan.3. *aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Per illam dicimur *renaſci, regenerari, renovari, ſaluari.* Unde Chriſtus in Evangelio, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum cœlorum.*
Epheſ.5. Et Paulus; *Mundans eam* (Eccleſiam) *lavacro aquæ*
Tit.3. *in verbo vitæ.* Et rurſum; *Salvos nos fecit per lavacrũ regenerationis & renovationis Spiritus S.* Et Petrus,
1.Petr.3. *Saluos vos facit ſimilis formæ baptiſma.* Ergo Baptiſta: ego, inquit, foris corpus abluo, animam mundare non poſſum; ego foris hortor, malas hominum voluntates immutare non poſſum. Quam poteſtatem à ſe in Chriſtum derivando, ejuſque miniſterium honorificando, magis ſe humilem oſten-
Matth.3. dit. Unde ait, *Hic me fortior eſt, & ipſe baptiſat in ſpiritu.* Nos contrà facimus, noſtra ſolemus extollere & oſtentare; aliena, etſi majora, deprimere &
Philip. 2. obſcurare. *Superiores ſibi invicem arbitrantes*, ait
Kemp.lib. 1.cap.7. Apoſt. & alius Sapiens, *Si quid boni habueris, crede de aliis meliora, ut humilitatem conſerves.*

Non ſunt ſequendi Lutherani, qui dicunt eundem fuiſſe baptiſmum Ioannis & Chriſti: in quem errorem inciderunt, quòd putent baptiſ-
mum

mum Chriſti tantùm eſſe ſignum gratiæ, non cauſam, cùm Petrus & Paulus tribuant illi efficaciam ſalutis, ut jam oſtenſum; & baptiſmus Ioannis non fuerit Sacramentum, ſed aſſuefactio quædam, & præparatio ad baptiſmum Chriſti, & externa cæremonia exhortans ad pœnitentiam, qua mundantur animæ in baptiſmo Chriſti. Magna eſt autem inter illos differentia. Primò Baptiſmus Ioannis, dicitur baptiſmus Ioannis. Chriſti baptiſmus, nunquam dicitur baptiſmus Petri aut Pauli, vel alicujus miniſtri. 2. baptiſmus Ioannis, non neceſſarius, nec ſufficiens ad ſalutem. Chriſti autem ſic. 3. poſt baptiſmum Ioannis baptiſati ſunt multi, quia Ioannis tantum erat; ſed poſt baptiſmum Chriſti, etiam datum à Juda, nullus baptizatus eſt, quia non Judæ, ſed Chriſti erat.

Locis citat.

Aug. tract. 5. in Ioan.

Act. 10. 19.

Quartò, Baptiſta oſtendit hic ſuam humilitatem, quia ſe fatebatur *indignum, ut ſolueret ejus corrigiam calceamenti*. Conſiderabat enim Chriſti dignitatem & excellentiam, quia Deus omnium creator & rector; & ſuam vilitatem, quia de limo formatus, peccatis obnoxius, &c. Hac conſideratione ſibi ipſi vileſcit, ſeque humiliat. Eandem humilitatem declaravit, quando Chriſtus baptiſimi percipiendi gratia eum acceſſit. *Ego*, inquit Chriſto, *à te debeo baptiſari, & tu venis ad me?* Ex ſimili humilitate dixit Petrus, ſtupore correptus in captura piſcium, *Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum.* Sic & quando in cœna voluit illius lavare pedes: *Domine*, ait, *Tu mihi lavas pedes?* In quibus verbis magna eſt Emphaſis, quam cogitandam potiùs vult Auguſt. quàm exprimendam.

Matth. 3.

Luc. 5.

Ioan. 13.

In illum loc. Ioan.

dam. *Quid eſt*, inquit, *Tu? Quid eſt, Mihi?* Sic in verbis Joannis, quid eſt, *Tu?* Quid eſt, *Me?* *Cogitanda ſunt potius, quam dicenda, ne fortè quod ex his verbis aliquatenus quidem concipit anima, non explicet lingua.* Eſt & emphaſis in dictione, Pedes, quam ſic explicat Theophylact. *Tu lavas pedes meos illis manibus, quibus oculos cæcorum illuminaſti, quibus leproſos mundaſti, quibus mortuos ſuſcitaſti; tu qui hæc majora feciſti, meos, ſervi & imperiti, & non manus, neque aliam partem honeſtiorem, ſed pedes, qui extremæ omnium, maximeque ſordidæ partes, ac ignominioſæ habentur?* &c.

In eundem locum.

Matth. 8.

Ex tali humilitate etiam dixit Centurio, *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*, quam imitatur Chriſtianus communicans Chriſti corpus in V. Sacramento, ad quod faciendum hortatur D. Chryſoſt. Sic & Auguſt. in Confeſſ. volens in ſe humilitatem excitare; *Domine*, inquit, *quid mihi es: & quid tibi ſum ego?* Ego terra & limus; ex te autem bona omnia, & ſalus mihi univerſa. *Omnes ſancti*, ait S. Gregor. *quanto magis interna Divinitatis conſpiciunt, tanto magis ſe nihil eſſe cognoſcunt. Nunquam ſe Abraham cinerem & pulverem eſſe profeſſus eſt, niſi cùm Dei habere collocutionem meruit.* Sic Iſai. Propheta dicit, *omnes homines coram Deo quaſi nihil eſſe.* Et Dominus ipſe de ſe, *Qui eſt, miſit me.* Quaſi reliqua omnia nihil eſſent. Dicebat Laur. Juſtinia. *Veram eſſe ſcientiam ſcire, Deum eſſe omnia, ſe nihil. Loquar ad Dominum meũ*, ait quidam Sapiens, *cum ſim pulvis & cinis. Si me amplius reputavero, ecce tu ſtas contra me, & dicunt teſtimonium verum iniquitates meæ, nec poſſum contradicere. Si autem me vilificavero, & ad nihilum redegero,*

Hom. 5 in diverſ. Script. lib. 1. Confeſſ. c. 5. Lib. 18. Moral. & lib. 24. c. 27 Geneſ. 18. Iſaiæ. 40. In vir. c. 9. Kemp. lib. 3. c. 9.

degero, & ab omni reputatione defecero, atque ſicut ſum, pulveriſavero: erit mihi propitia gratia tua, & vicina cordi meo lux tua, & omnis æſtimatio quantumcunque minima, in valle nihilitatis meæ ſubmergetur, & peribit in æternum.

MONITUM LXXXII.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, &c.

Luc. 4.

Significatur hic Novi Teſtamenti gratia, ſive quales debeant eſſe homines, & quales futuri eſſent per Ieſu-Chriſti gratiam. Vallis nomine humiles intelliguntur, qui miſeriam & paupertatem ſuam agnoſcunt, nihil magni de ſe ſentiunt, nihil ſibi tribuunt, à Deo omnia exſpectant; hinc eſuriunt & ſitiunt, orant & ſupplicant, & ſic implentur & ſatiantur. *Eſurientes implevit bonis, humilibus dat gratiam. Spiritus Domini requieſcit ſuper humilem.* Dicitur in Evang. de Magdalena, quod *ſedebat ſecus pedes Domini. Quanto humilius ſedebat,* ait D. Aug. *tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis.* Contrà de ſe ait Aug. ante converſionem; *Tumore meo ſeparabor abs te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos.*

Lucæ 1.
1. Petr. 5.
Iſai. 66.
De Verb. Dom. ſer. 27.
Li. 7. Conf. cap. 7.

Mons & collis ſuperbi ſunt, qui de ſe præſumunt, ſibi placent, ſuam gloriam quærunt, contemnunt alios: & quia unus alio ſuperbior & arrogan

rogantior eſt, hinc mons & collis, mons colle altior. Vel fortè, mons eſt qui de magnis gloriatur, collis qui de paruis. Illi ergo humiliabuntur, quia ex ſuperbis fient Chriſti gratiâ humiles, ſic
Li.8. Conf. cap.2. ut edoment frontem ad crucis opprobrium, ſubjiciant collum ad humilitatis jugum. Vide Saulum ſuperbum, *cædes & minas ſpirantem in diſcipulos Domini*, factum humilem Paulum, *Domine, quid me vis facere?* Chriſti enim exemplo ipſam diſcunt humilitatem. De quo D. Aug. in Confeſ. *Verbum tuum, æterna veritas, ſuperioribus creaturæ tuæ partibus ſupereminens, ſubditos erigit ad ſeipſam; in inferioribus autem ædificavit ſibi humilem domum de limo noſtro, per quam ſubdendos deprimeret à ſeipſis, & ad ſe trajiceret, ſanans tumorem, & nutriens amorem; ne fiducia ſui progrederentur longiùs, ſed potiùs infirmarentur, videntes ante pedes ſuos infirmam Divinitatem ex participatione tunicæ noſtræ pelliceæ, & laſſi proſternerentur in eam: illa autem ſurgens levaret eos.* Sic Aug.

Actor.9.

Li.7.Conf. cap.18.

Poteſt hoc etiam accipi in malum: Superbi enim valde humiliantur, quando à Deo deſeruntur, etſi ſibi & aliis magni videantur: ruunt enim in aperta ſcelera, errores, confuſiones, in hac vita: de qua noxia humilitate ait Iſaias, *Incurvatus eſt homo, humiliatus eſt vir.* Mons erat David, cùm de ſe præſumens dixit, *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum:* ſed quomodo humiliatus? *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus*; lapſus in fœdum adulterium ſimul & homicidium. Mons erat Petrus, quando de ſe præſumens, ait; *Animam meam pro te ponam:* ſed valde humiliatus, quando ter

Iſai.2. Pſalm.29. Ioan.13.

Domi

Dominum ſuum turpiter negavit.

Sic Origenes graviſſimè lapſus, *dum gratia Dei inſolentiùs abutitur, dum ingenio ſuo nimium indulget, ſibique ſatis credit, cum parvipendit antiquam religionis Chriſtianæ ſimplicitatem, dum ſe plus cæteris ſapere præſumit*. Sic Tertullianus; quem tanti fecit, tamque charum habuit Divus Cyprian: *ut ne diem quidem ſine ejus lectione traduceret, ſolitus notario dicere, Da magiſtrum, Tertullianum ſignans*; quàm graviter lapſus? dum ubique cenſorem Eccleſiæ agit, dum nulla animi ſubmiſſione præditus, dum alios, qui ſibi præferebantur, ſuperbia tumidus æmulatur, &c. In futura autem vita magis humiliabuntur, quandò, niſi reſipiſcant, in infernũ præcipitabuntur, ut ſint ſemper cum Diabolo, qui *rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ*, ut quos ſecum habuit in cõſortio delicti, habeat & in cõſortio ſupplicii.

Vincent. Lirinenſ. cõt. Novat.

Pont. in vita. Vid. Baro. tom. 2.

Iob 41.

Erunt prava in directa, id eſt, homines pravi, perverſi, obliqui, fient recti. *Deus creavit hominem rectum*, ait Sap. hoc amiſit per peccatum, reparatur autem paulatim per gratiam Chriſti Mediatoris, perficietur in futuro ſæculo. Ad rectitudinem duo præcipuè pertinent; ut anima Deo obediat, inferiora omnia ipſi animæ. Talis erat homo creatus; ſed peccato turbata omnia; ſic ut ne in in juſtis quidem anima perfectè obediat Deo, nec animæ caro. Hinc querela Prophetæ, *Quare me poſuiſti contrarium tibi?* Et Apoſt. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*. Plena rectitudo erit in cœlo, hic ad eam contendere & conari debemus, ut anima magis magiſque obediat Deo, corpus & inferiora omnia animæ. Hoc petimus, quando cum Davide oramus; *Spiritum rectum innova in viſceribus*

Eccleſ. 7.

Vide Aug. lib. 7. Confeſſ. cap. 7.

Iob 7.

Rom. 7.

Galat. 5.

Pſal. 50.

bus meis. Rectus enim Spiritus eſt, quando Deo ſerviens, dominatur corpori, ac inferioribus omnibus. *Tunc ratio ordinatiſſimum,* inquit S. Leo, *tenebit principatum, ſi mens rectori ſuo ſubdita & ſupernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcaverit, & in ſuo mortali corpore regnare peccatum non ſiverit.*

Ser. 1. de Quadrag.

Rom. 6.

Et aſpera in vias planas, id eſt, homines moroſi, aſperi, difficiles, fient gratia Chriſti ſuaves, manſueti. Legimus in hiſtoriis quod efferæ quondam ac barbaræ nationes, dum Chriſtianam Religionem ſuſciperunt, manſuefactæ ſunt, & ad omnem humanitatem compoſitæ. De Paulo prophetice dictum eſt; *Benjamin lupus rapax, manè,* ideſt prius, *rapit prædam; veſpere,* id eſt, poſtea, *dividet eſcas:* qui enim prius crudelis perſecutor, poſtea fidelis prædicator; prius non niſi minas & cædes ſpirans, poſtea ſuavem doctrinæ ſalutaris odorem de ſe ſpargens. Hoc ſignificatum eſt in ænigmate Samſonis, *De comedente exivit cibus, & de forti dulcedo. Quando fremuerunt gentes,* inq. D. Aug. *tunc leo ille viro forti Samſon venienti ad ducendam de alienigenis uxorem, Chriſto ſcilicet deſcendenti ad habendam Eccleſiam de gentibus, ibat in obviam. Sed quid egit? Accepit, tenuit, fregit, diſſipavit leonem, factus eſt in manibus ejus velut hœdus caprarum. Quid enim fieret populus fremẽs, niſi languidus peccator? Occiſa autem illa feritate, jam non ſic fremit regia poteſtas, non ſic fremit populus gentium, imò verò in ipſo regno gentium invenimus leges pro Eccleſia, tanquam favum in ore leonis.*

Geneſ. 44. Aug. ſer. 14 de Sanct. & ſer. 105. in Nov.

Act. 9 Iudic. 14 In Pſal 80. & Cõt. Fauſt. lib. 12. c. 32

2. Cor. 6.

Monet Apoſtol. *Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia,* quia in hac vita multa

occur

occurrunt adverſa; *in caſtitate*, non dantes ullam ſignificationem alicujus impudicitiæ. Poſtea addit, *in ſuavitate*, cordis ſcilicet, verborum & morum. Et alibi; *Servum Dei non oportet litigare, ſed manſuetũ eſſe ad omnes*, etiam hoſtes, quod admodum difficile eſt, ſervare ſuavitatem illam erga eos, qui nos contumeliis & injuriis afficiunt. Rurſum Paulus: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Eſtote autem invicem benigni, miſericordes*, &c. 2. Tim. 2. Epheſ. 4.

Et videbit omnis caro ſalutare Dei, id eſt, videbit Chriſtum, qui eſt ſalutare Dei, per quem Deus ſalutem hominum operatur; *non eſt enim in alio aliquo ſalus*, & ideo ejus cognitio ad ſalutem neceſſaria eſt. Videbit, inquam, hic per fidem, quod meritum eſt, poſtea per ſpeciem, quod eſt præmium. *Niſi credideritis, non intelligetis*, ait Propheta. *Credenti*, inquit Aug. *colligitur meritum, videnti redditur præmium*. Sed quomodo *omnis caro?* omnis homo. Sed nónne multi non credunt, & in infidelitate permanentes, damnantur? *Omnis ergo caro*, id eſt, ex omni genere carnis, reges, privati, nobiles, ignobiles, viri, fœminæ, domini, ſervi, Iudæi, gentiles, docti, indocti, divites, pauperes, humiles, ſublimes, infantes, pueri, adoleſcentes, juvenes, ſenes, &c. Sicut dicit Chriſtus, *Omnia traham ad meipſum*, id eſt, omnes electos, qui ſumuntur ex omni genere hominum, & ex omni loco. Unde in Apocal. dicitur: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omni tribu, lingua, populo, natione*, &c. Sic dicit Apoſtolus, quod *Deus vult omnes ſalvos fieri: non quod nullus hominum eſſet*, inq. S. Aug. *quem ſalvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit* Actor. 4. Iſaiæ 7. Apud Proſ. Sent. 361. Ioan. 12. Apoc. 7. 1. Tim. 2. In Enchir c. 103.

Matth. 11. *apud eos, quos dicit acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi feciſ-*
Pſalm. 64. *ſet; ſed intelligit omne genus hominum, per varias dif-*
Auguſt. in hunc Pſal. *ferentias diſtributum. Ad te omnis caro veniet*, ait David. *Quare ad illum omnis caro veniet? quia carnem aſſumpſit*, inq. Aug. *Quò veniet omnis caro? Tulit inde primitias ex utero virginali; aſſumptis primitiis, cætera conſequentur, ut holocauſtum compleatur.*

Alium ſenſum habet D. Greg. *Quia omnis caro*, inquit, id eſt, *omnis homo, ſalutare Dei, videlicet*
Hom. 20. in Evãg. & V. Beda. *Chriſtum in hac vita videre non potuit.* Referens hoc ad futurum judicium: de quo Apoſt. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*, &c. *Conſtitutus eſt enim à Deo judex vivorum & mortuo-*
2. Cor. 5. *rum. Ubi ergo*, ait idem Greg. *in hac ſententia Pro-*
Actor. 10. Eadẽ Hõ. *pheta, prophetiæ oculum, niſi ad extremi judicii diem tetendit? ubi cum apertis cœlis, miniſtrantibus Angelis, conſidentibus Apoſtolis, in ſede Majeſtatis ſuæ Chriſtus apparuerit, omnes hunc, & electi, & reprobi pariter videbunt; ut & juſti de munere retributionis ſuæ ſine fine gaudeant, & injuſti in ultione ſupplicii in perpetuum gemant.* Hoc ergo Iudicium
De cõpũct. cordis. Chriſtiani ſemper ante oculos habere debent. *Et hoc ſolum eſt, quod expoſcitur à nobis*, ait D. Chryſoſt. *ut ſemper recordemur, & ad animum revocemus mala noſtra, & conſcientiam geſtorum noſtrorum habeamus ante oculos, ut pro his ſupplicemus Deo: ut gehennam ponamus in conſpectibus noſtris, & angelos, qui in die iudicii ubique diſcurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos qui trudendi ſunt in gehennam, ac ſuppliciis tradendi.*

Lib. 3. de vit. cont. cap. 12. *Sed cùm nos ad illud Iudicium venerimus*, ait D Proſp. *ab eo iudice iudicandi, qui nec falli occultatione criminum poteſt, nec ad impunitatem promerendam*

merendam muneris alicujus oblatione corrumpi, cùm cœperint omnium ſecreta revelari, & non ſolùm actus & verba, ſed etiam ipſæ cogitationes oſtendi, quid faciemus ſub tanti Iudicis Majeſtate? Si nobis dicat; Si potuiſtis, quare non reſtitiſtis deſideriis peccatorum? Si non potuiſtis, quare meum contra peccatum non quæſiſtis auxilium? aut vulnerati, quare pœnitendo non adhibuiſtis vulneri veſtro remedium? Nonne ad hæc obmuteſcens, & quid excuſationis referant non habentes, dicet, ligate eos manibus & pedibus, & mittite in tenebras exteriores? Hæc & ſimilia qui cogitat, libenter audit vel legit, futura credit & metuit, facilè vitiis omnibus repudium dat, & omnia blandimenta carnalia refrænat.

MONITUM LXXXIII.

Domus mea domus orationis eſt.

Lucæ 19.

OMnis locus idoneus eſt ad Deum, qui ubique eſt, deprecandum. *Oculi Domini*, inquit Sap. *in omni loco contemplantur bonos & malos*; illos ad juvandum & exaudiendum; hos verò ad puniendum, & reprobandum. *Quò ibo à ſpiritu tuo*, ait David, *& quò à facie tua fugiam? Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus.* Daniel oravit in lacu leonum, & liberatus eſt: Manaſſes in tenebroſo carcere, & exauditus eſt; tres pueri in camino ignis, & erepti ſunt; Jonas in ventre ceti, & dixit Dominus piſci, & evomuit Jonam in aridam.

Prover. 15. Pſal. 138. Ierem. 23. Daniel. ult. Daniel. 3. Jonæ 2.

Digitized by Google

Ideoque expedit in omni loco & tempore breuem ſaltem orationem ad Dominum ejaculari, & hoc faciunt illi in cœna & prandio, in lecto, &

Epiſt.121. cap.10.

itinere, in mediis fabulis & occupationibus, qui multùm in ſtudio pietatis profecerunt. *Dicuntur fratres in Ægypto,* inquit Aug. *crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breviſſimas, & raptim*

1.Tim.2.

quodammodo jaculatas. Ita mandat Apoſtolus viris & mulieribus, *Volo eos orare in omni loco.* Notandum hic, Paulum à laicis requirere, ut in agro, in ſilvis, in domo, in officina, in itinere, in navi, & quovis loco orent. Nunc Clerici quidam admodum ſibi pii videntur, ſi præſcriptas tantùm preces recitent.

Putant autem Græci, Paulum id dixiſſe ad confutandam Iudaicæ ſuperſtitionis dementiam, qui in uno loco tantum, nempe Ieroſolymis, putabant Deum orandum. Sicut olim tantùm licuit illic ſacrificia offerre. Chriſtianis, ſicut pro omnibus orare præceptum eſt, ita omnis locus orationi aptus eſt.

Chryſoſt. & alii. Ioan. 4.

Qui quidem commentarius verus eſt de publica & ſolenni cum ceremoniis & ſacrificiis oratione: apertè enim jubet lex, ut Iudæi in terra captivitatis ſuæ invocent Deum. D. Ambroſ. putat hoc admonere Paulum, ne putarent Chriſtiani in ſola Eccleſia orandum; *in qua,* ut ait Chryſ. *fideles maximè orationis cauſa conveniunt.*

Baruch 3. Ambroſ. in hunc locum Pauli. In eundem Chryſoſt.

Quo loco idem Apoſt. præſcribit Chriſtianis modum orandi, quem non debemus prætermittere. *Levantes,* inquit, *puras manus.* Levare manus habitus eſt petentis & ſperantis auxilium ex alto. Sicuti ſubmergendi extendunt manus; ac tali habitu orabat Moyſes, & impetrabat, quem ſi paululum

Exod.17.

lulum intermiſiſſet, ſubtrahebatur & divinum auxilium. Puras dicitur, id eſt, mundas; non quidem aqua lotas; ſed mundas à cædibus, verberibus, furtis, rapinis, cupiditate, libidine, atque ad eleemoſynam porrectas. Unde Dominus, apud Prophetã: *Cùm extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*, id eſt, ſordibus peccatorum. *Quia manus*, inquit Aug. *levantur, ut impetres quod vis; ipſas manus cogita in operibus bonis exercere, ne erubeſcãt levari ad Deum*. D. Ambroſ. Theodoſ. Imper. poſt cædem Theſſalonicæ factam, templum intrare volenti; *Quî quæſo*, inquit, *manus injuſta cæde & ſanguine reſperſas extendere audes, & eiſdem ſanctum Domini corpus accipere?* Deinde dicit Apoſt. Iſaiæ 1. In pſal. 61. Theod. lib. 5. c. 17. hiſt.

Abſque ira, id eſt, prophana injuriarum memoria. Sicut dicit Chriſtus, *Cùm ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem*. Duplex tentatio piorum periculoſa. Prima circa Deum & Divina, tædij & faſtidij; quia aufert orationem, ad quam confugiendum monet Scriptura contra peccata imminentia, & commiſſa. Secunda, circa proximum, iræ atque vindictæ. *Si quid enim aliis ſenſibus, aliis cupiditatibus peccaveras, hinc ſanandum erat, quia dicturus eras, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: illo perdito, cuncta tenentur, omninò nihil dimittitur*. Marc. 10. Aug. in pſal. 106. Serm. 1. de orat. Dom. Matth. 6.

Denique dicit Apoſt. *Et diſceptatione*, id eſt, hæſitatione, ambiguitate, dubitatione. *Non licet*, inquit Chryſ. *prorſus ambigere, ſi puras ad Deum levemus preces, nos exauditum iri. Quæcunque enim*, inquit Chriſtus, *petieritis, credentes accipietis*. Et Jacobus, *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo; po-* In illum locũ Pauli. Matth. 21 Jacob. 1.

ſtulet autem in fide nihil hæſitans. In oratione requiritur fides, qua credamus, Deum exauditurum debitè invocantes, & revera eventurum ipſis quod petunt; nobiſque donandum quicquid ab eo petimus, eo modo quem ipſe præſcripſit. Non autem omnes certos eſſe debere, quod à Deo exaudientur. Cum conſtet multos orantes non exaudiri. Et quis ſcit, an debitè oret?

In cõment. hujus loci, lib. 6. de Sacrament. cap. 5.

D. Ambroſ. per diſceptationem intelligit, Cogitationem ad alia divagantem. *Nunc*, inquit, *de diſceptatione videamus. Plerumque negotiator venit ad orationem, aut avarus; de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate, & putat quod eum Deus poſſit audire? Et ideo quando oras, Divina humanis te præferre convenit. Quæ ſegnitia eſt*, inquit D. Cypr. *alienari & capi ineptis cogitationibus, & profanis, cùm Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loquaris? Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cùm ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui cum rogas, quando ipſe memor tui non ſis? Hoc eſt ab hoſte in totum non cavere: hoc eſt, quando oras Deum, majeſtatem Dei negligentia orationis offendere. Quapropter ſollicitè & cautè Apoſtolus admonet; Inſtate orationi, vigilantes in ea; docens ſcilicet eos impetrare quod poſtulant de Deo poſſe, quos Deus videat in oratione vigilare.*

Cypria. de orat. Dom.

Ibidem. Matth. 6.

Ergo juxta præceptum Apoſtoli, in omni loco orandum. D. Cypr. dicit hoc eſſe magiſterium Chriſti, etiam in ſecretis locis orare, & hoc etiam convenire fidei, ut ſciamus Deum ubique eſſe præſentem. Quæ tamen ratio non tollit certa tempora & loca orandi. Unus ex erroribus Huſſitarum

ſitarum fuit; Templum Dei latè patentis mundum eſſe, coarctare Majeſtatem ejus, qui Eccleſias, Monaſteria, Oratoriaque conſtituunt, tanquam propitior in eis Divina bonitas inveniatur. Atque hæc ratio fuit Ieroboam abſtrahendi populum à Templo Dei; timebat enim defectionem populi, ne templo & cæremoniis illicerentur, ut Joſephus teſtatur. *Nullus*, inquit, *Deo vacuus locus, ubique vota precantium reſpicit & exaudit.*

Æneas Sylvius in hiſtor. Bohem.

Lib. 8. Antiq. cap. 12.

Dominus Deus, quia nos ſenſibiles ſumus, & diſtinctis rebus diſtincta loca tribuimus, ut ſomno, labori, cibo ſumendo, &c. dignatur etiam locum ſibi deligere, ad quem orandi cauſa fideles conveniant, non quaſi ipſe loco indigeat, ſed ut nos per corporalem domum, in qua omnia ad pietatem provocant, ad ferventiùs orandum excitet; imò in gratiam noſtri domum manufactam benedicit, & in loco ſibi conſecrato invocantes ſe exauditurum, Salomoni ſpecialiter promiſit; ita ut in templo orans, non ſolùm quia orabat, ſed etiam quia ibi orabat, exauditus ſit à Domino.

Actor. 17.

3. Reg. 8.

Unde etiam Apoſtoli, Spiritu ſancto miſſo è cœlo, illud templum Salomonis frequentabant. *Erant ſemper in templo*, ait Lucas, *laudantes & benedicentes Deum.* Et rurſum: *Quotidie perdurantes unanimiter in templo. Tobias ſolus pergebat in Ieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominũ Deum Iſraël.* Daniel qui in templo orare non poterat, utpote captivus; tamen ter de die (*myſterio Trinitatis*) *feneſtris apertis contra Ieruſalem* orabat. Ezechias infirmus faciem verſus templi parietem convertit, *quia ad templum ire non poterat*, inquit Hiero.

Actor. 2.

Luc. ult.
Tob. 1.
Daniel. 6.
Cypr. de oration. Dom. in fine.
Iſaiæ 38.
Hiero. in illud cap.

Hieron. Multò igitur magis benedicit tempore novi teſtamenti Oratoriis noſtris : ubi etiam ipſius Domini corpus offertur, ſumitur, & aſſervatur.
Iſaiæ 56. *Domus enim ejus nunc domus orationis vocatur cunctis gentibus.*

Hom. 36. in 1. ad Corinth. D. Chryſoſt. Templum vocat locum Angelorũ & Archangelorum, regiam cœli; cœlum ipſum, idque probat ex præſentia corporali Chriſti Domini in Euchariſtia. *O miraculum,* inquit alibi, *ô benignitatem Dei! qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur* (ſolebat olim Euchariſtia in manus dari ſumẽda.) Et rurſum: *Per id tempus* (Sacrificij) *& Angeli Sacerdoti aſſident, & univerſus ordo cœleſtium poteſtatum clamores excitant, & locus altari vicinus, illius in honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt.* Sic & D. Greg. *Quis,* ait, *fidelium habere dubium poſſit, immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus, unũ quoque ex inviſibilibus atque viſibilibus fieri.* Dicitur autem à Patribus Chriſtus in Miſſa immolari, non propriè, non enim occiditur; ſed per tropum, quòd ejus paſſio & mors per quandam repræſentationem in ea commemoretur, ut rectè D. Aug. Narrat ibidem D. Chryſoſt. de Sene quodam, viro admirabili, qui ſibi narravit ſe tali viſione dignum habitum eſſe, ac per illud quidem tempus de repente Angelorum multitudinem conſpexiſſe (quatenus humanus aſpectus ferre poterat) fulgentibus veſtibus indutorum, altare circundantium, denique ſic capite inclinatorum, ut ſi quis milites ſtante rege videat.

[Margin notes: Lib. 3. de Sacerd. — Lib. 6. de Sacerd. — Lib. 4. c. 58. Dial. — Lib. 6. de Sacerd. — Epiſt. 23.]

Templi

Templi ædificatio & benedictio non ex lege Moyſis, ſed ex Davidis & Salomonis devotione exorta eſt, ſicut & cantus pſalmorum. Unde clarum eſt, hæc cum ceremoniis veteris legis non eſſe abolita. Anna vidua, quæ ſic in Evang. commẽdatur, *non diſcedebat de templo; jejuniis & orationibus ſerviens nocte & die.* *Omnes*, ait S. Ignat. *ad orandum in idem loci convenite, omnes velut unus quiſpiam ad templum Dei concurrite, ſit una communis precatio, una mens, una ſpes, in charitate & fide inculpata in Chriſtum Ieſum.* Monica Auguſtini mater, bis in die, manè & veſpere ſine intermiſſione ad Eccleſiam veniebat, non ad vanas fabulas & aniles loquacitates, ſed *ut Dominum audiret in ſuis ſermonibus, & ille illam in ſuis orationibus.* Lucæ 2. In epiſt. ad Magneſ. Lib. 5. Confeſſ. cap. 9.

Orabat etiam Deum pro filio, *ut & ipſe ſtudioſiùs ad Eccleſiam curreret, & in Ambroſii ora ſuſpenderetur, ad fontem ſalientis aquæ in vitam æternam.* Quam & propterea maximè diligebat Ambroſius, videlicet *propter eius religioſiſſimam converſationem, qua in bonis operibus tam fervens ſpiritu frequentabat Eccleſiam.* Et Potinianum laudans Aug. *Sæpè*, inq. *Deo noſtro proſternebatur in Eccleſia crebris & diuturnis orationibus.* Dicit Chriſtus in Evang. *Ubi duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*; quantò magis quando tot Chriſtiani conveniunt ad orandum & laudandum Deum, medius illic aderit? Inenarrabile donum Dei eſt, dum per multos preces & laudes Deo offeruntur. Quis ergo fidelis ad templa currere non geſtiat, ubi etiam ſi frigidus fuerit, ad orandum incendi poterit, & ubi tantus orationum fructus? Li. 6. Conf. cap. 1. Ibid. cap. 2. Ibid. lib. 8. cap. 6. Matth. 18. Leo ſer. 3. de jejun. 7. menſ. Rom. 8.

Digitized by Google

Actor.7. & 17. Quod autem dicit Scriptura, *Deum non habitare in templis* manufactis; verum eſt hoc ſenſu, quem adjecit Scriptura, videlicet, *indigens aliquo:* cum quo ſimul ſtat, quod ait Chriſtus de templo materiali, *Domus mea, domus orationis eſt*; ubi apertè cõteſtatur Deum habitare in templo corporali, non quidem ut claudatur domo vel templo, aut quaſi ipſe templo indigeat; ſed ut ibi fideles exaudiat, & à fidelibus ibidem colatur. Sicut docet Salomon in oratione, quam fudit in dedicatione templi Jeroſolymitani. Ibi peculiariter Deus præſens eſſe dicitur, ubi peculiaria bona operatur, & gratiam ſuam effundit, juxta illud Jacob (poſtquam magnificam promiſſionem à Deo accepiſſet, ac intuitus fuiſſet ſcalam, &c.) expergefacti; *Verè Dominus eſt in loco iſto.* Sic dicebat Samuel, *Num coram Domino eſt Chriſtus ejus?* Et ipſe Dominus veluti explicans, quomodo in templo habitaret: *Erunt*, inquit, *oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus*, ſcilicet ad exaudiendum in eo me orantes.

Lucæ 19. Matth.21. Joan.2. 3.Reg.8. Geneſ.28. 1.Reg.16. 3.Reg.9.

Et hanc inhabitationem in templo Dei corporali tanti fecit Chriſtus Filius Dei, ut etiamſi manſuetiſſimus, magnum tamen zelum oſtenderit contra violatores Templi, ad illius domus reverentiam conſervandam: nec quicquam aliud in templo, quàm orationem & cultum Dei fieri permiſerit. Sacrilegos enim violenter *flagello è templo ejecit, & dixit eos facere domum Patris ſpeluncam latronum.* Non permiſit ut quis *vas ſive inſtrumenta ſua transferret per templum:* quod ſecuta VI. Synodus, ſegregat eos qui id facere auſi fuerint.

Joan.2. Marc.11. In Trullo, c.76.

Si autem grande eſt Sacrilegium, ea in templo Deo dicato agere, quæ per ſeipſa impedimento

ſunt

ſunt orationi, laudi Divinæ, piæ doctrinæ, uſui Sacramentorum (ad quæ domus Dei dicata eſt) etiamſi alioqui licita, ut emere, vel vendere quæ Deo offeruntur: Quantò gravius Sacrilegium ea ibi agere, quæ nuſquam licent? ut carnali commixtione vel ſanguinis effuſione locum illum polluere? Quantò ſceleratius ibi furari, inebriari, fabulari, cachinnari? Quantò intolerabilius, libertatem loci illius violare, locum illum ſordibus, parieteſque obtectos araneis relinquere? De Nepotiano ſuo refert Hieronym. quod *erat ſollicitus, ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pavimenta terſa, ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta, & in omnes caremonias pia ſollicitudo diſpoſita.* Imò ſicut olim in Templo, pauperes ſtipem mendicantes pro foribus ſtabant, ut de claudo Lucas: ita ad ſtipem mendicandam nefas illis ingredi in Eccleſiam, ut D. Chryſoſt. & Nazianz. non quòd contemptui haberentur, ſed ne ſacrificantibus aut orantibus eſſent moleſti. Verùm, precum ac Sacramentorum cauſa omnibus patebat ingreſſus, ut ibidem Chryſoſt.

Aug. tr. 10. in Ioan. l. 3. Conf. c. 3. V. Bed. in homiliis Quadrag. Hom. 7. Vide Baſil. in Pſal. 28. In Epitaphio.

Actor. 3. Chryſ. ho. ult. in 1. ad Theſſal. Chryſ. ho. 28. ad pop. Nazianz. in orat. de amore pauperum.

MONI

Digitized by Google

MONITUM LXXXIV.

Ecce motus magnus factus eſt in mari. Matt. 8.

In Pſal. 39. *HOc ſæculum mare eſt,* inquit D. Aug. *habet amaritudinem noxiam, habet fluctus tribulationum ac tempeſtates tentationum, habet homines velut piſces de ſuo malo gaudentes, & tanquam ſe invicem devorantes. Hic ambula, hoc calca; calca mare, ne mergaris* In Pſal. 64. *in mari.* Et rurſum; *Mare in figura dicitur hoc ſæculum, falſitate amarum, procellis turbulentum, ubi homines cupiditatibus perverſis & pravis facti ſunt velut piſces invicem ſe devorantes. Attendite mare malum, mare amarum, fluctibus ſævum. Attendite qualibus hominibus plenum ſit. Quis optat hæreditatem, niſi morte alterius? Quis optat lucrũ, niſi damno alterius? Quàm multi aliorum defectione quærunt ſublimari? Quàm multi ut emant, optant alios vendere res ſuas? Quomodo ſe invicem opprimunt? & qui poſſunt, devorant? Et cùm devoraverit unus piſcis, major minorem, devoratur & ipſe à majore. O piſcis male, prædam vis de parvo, præda efficeris majori. Quotidie iſta eveniunt, ante nos ſunt; vitemus illa, horreamus.*

Navicula, ipſa eſt Eccleſia, quæ mare hujus ſæculi navigat inter fluctus & tempeſtates, ut aliquando ad portum æternæ ſalutis perveniat. Ex variis rebus una navis componitur, ſicut & domus, cui etiam Eccleſia comparatur; ſic ex variis hominibus diverſorum ſtatuum ac conditionum fit una Eccleſia. Hanc aſcendit Chriſtus per Incarnationem; factus eſt enim pars Eccleſiæ, quia ejus caput, ejuſdem cum ea naturæ, ejuſdem infirmitatis & mortalitatis particeps; imò ejus gubernator, illam dirigit; & ſic tametſi interdum vi tem-

pestatum

peſtatum fluctuet, nunquam tamen mergitur, Domino eam regente ac protegente. Vel etiam unuſquiſque Chriſtianus hæc navicula eſt, quam intrat Chriſtus per fidem. *Chriſtum per fidem habitare in cordibus veſtris*, ait Apoſt. & ejus ſpiritu regitur. *Qui aguntur ſpiritu Dei, hi ſunt filii Dei.* Et, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Nō autē debet quieſcere hæc navicula, naviget sēper ac progrediatur; quo autē magis quis in virtutibus proficit, eo magis portui appropinquat, ubi quies eſt ac tranquillitas ab omnibus malis, & ſtabilitas in bonis: hic agitatur fluctibus, periclitatur tēpeſtatibus. Epheſ.3. Rom 8. Pſal.142.

Et notandum, quod D. Aug. dicit; *In iſta vita habemus quaſdam mortalitatis, infirmitatiſque rimulas, per quas intrat peccatum de fluctibus ſaculi; ſed non ſubmergitur navis, ſi continuò ſentinemus:* quod fit orando humiliter, & confitendo; aliorum peccata ex animo dimittendo, eleëmoſynas largiendo, patienter tribulationes ferendo, &c. Sicut nautæ aquam, quæ per occultas rimas influit, cōtinuò exhaurientes, ſine periculo ſunt, & ad optatum portum evadunt. Id ſi diligenter Chriſtianus faciat, ut ſicut quotidiana ſunt peccata, ita & quotidiana adhibeat remedia, locū habebit illud D. Aug. *Per ſpiritale quotidianum quodammodo incenſum, quod ante Deum in altari cordis, quod ſurſum habere admonemur, infertur, etiamſi non hic vivatur ſine peccato, licet mori ſine peccato, dum ſubinde venia deletur, quod ſubinde ignorantia vel infirmitate committitur.* Ser.105. in Nov. Lib.50. hom. Hom.42. De nat.& grat.c.35.

Tunc autem, inq. V. Beda, *dimittit gratia Salvatoris noſtri peccata, cum inter opera lucis quæ facimus, humiliter quotidie noſtros illi errores confitemur, cum ſanguinis illius Sacramenta percipimus, cùm dimittentes* In 1.cap. 1.Ioan.

debito

debitoribus noſtris, noſtra nobis debita dimitti preca-
Prov. 24. *mur; cùm memores paſſionis illius, libenter adverſa*
In epiſt. ad Ruſticum, qui fidem uxori datã de caſtitate ſervanda fregerat. *quæque toleramus. Septies in die cadit iuſtus & reſur-*
git, ait Sapiens. Quærit D. Hier. *Si cadit, quomodo*
iuſtus? ſi iuſtus, quomodo cadit? addit; *Sed iuſti voca-*
bulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper re-
ſurgit. Quotidiana ſunt peccata, inquit Aug. *quotidia-*
Ser. 14. in Nov. *na ſint & remedia:* alioqui, ait idem, *quam poterit*
habere ſpem ſalutis, creber in morbis, piger in remediis?

Sed Jeſu dormiente motus fit magnus, periclitatur navis, & turbantur diſcipuli. Videtur Dominus dormire, quando ſuos permittit variis tribulationibus exerceri: vel quando non tam citò ſubvenit quàm vellent homines, & putant
Pſalm. 43. debere; quando eis inſultatur, Ubi eſt Deus tuus?
Pſalm. 77. *Exurge, quare obdormis, Domine? Excitatus eſt tan-*
quam dormiens Dominus. Sic etiam dicitur obli-
Epheſ. 3. viſci. Deinde in corde tuo dormit Chriſtus. *Chri-*
ſtus enim per fidem habitat in cordibus noſtris. Chriſtus ergo dormit, quando fides noſtra dormit; fides autem dormit, quando non vivit, non orat, non exercetur, non perpenditur, quid ipſa teneat; non attenduntur prædictiones, promiſſiones, comminationes Dei; non conſideratur Chriſti paſſio
In Pſal. 49. & mors. *Unde piget*, inquit Auguſt. *niſi quia non credis?* id eſt, non expendis, quæ credis. *Excutiat ergo unuſquiſque cor ſuum, & videat quid ibi fides teneat.*

Cur homines tam ſunt pigri in agenda pœni-
Kemp. li. 1. cap. 24. de Imitat. tentia? quia non expendunt gravitatem peccatorum, & acerbitatem futurarum pœnarum, quas illis merentur, quæ omnes hujus vitæ pœnas longiſſimè ſuperant: ſic ut una hora ibi gravior

Digitized by Google

vior ſit in pœna, quam hîc centum anni in amariſſima pœnitentia. Cur tam indevoti erga Sacroſanctam Euchariſtiam? quia ejus non expendunt fidem, eundem videlicet ibi eſſe præſentem, qui eſt in dextera Dei patris. Quis, qualis, quantus ille ſit, ſi vivaciter cogitaretur, majorem profectò ſecum adferrent Chriſtiani affectum erga illam, & reverentiam. Cur tam rarò à multis frequentantur Sacramenta Eccleſiæ? quia non expenduntur eſſe ſpiritalia vaſcula vivificæ medicinæ ex Chriſti paſſione plena, quibus morbi omnium peccatorum ſanantur. Cur turbantur tam facilè Chriſtiani, quando vident tot pſeudo-prophetas in mundo, & tam multos qui ſequuntur eos? Non cogitant illud Auguſtini; *Mirandum non eſt quod veniant*, cum prædicti ſint; *vigilandum ne noceant*: ideoque nec fidem noſtram evertere, ſed confirmare deberent. Denique cur homines tam ſunt queruli ac impatientes, quando adverſa accidunt? quia non conſideratur Chriſti paſſio. Si expenderetur tanta paſſus Deus, ſanctus, innocens; quidni & ego (cogitaret afflictus) qui toties Deum meum offendi, & toties infernum merui? Aug. epiſt. 141.

Dominus dormiebat in navi, ait D. Aug. *& ideo fluctuabat navis, quia dormiebat Ieſus. Navis tua cor tuum. Ieſus in navi, fides in corde. Si meminiſti fidei tuæ, non fluctuat cor tuum. Si oblitus es fidem tuam, dormit Chriſtus: obſerva naufragium. Veruntamen quod reſtat, fac; ut ſi dormierit, excitetur, & dicas illi, Domine exurge, perimus, ut increpet ventos, & fiat tranquillitas in corde tuo.* In Scripturis victoria infidelitatis, & omnium aliorum vitiorum fidei tribuitur, quia in omni opere bono fides dirigit, ſicut In pſal. 34. conc. 1.

Digitized by Google

ait Iacobus; *Fides cooperabatur operibus Abrahæ.*
In pſal.31. Nam per fidem & opera bona,& eorum finis,un-
Iacob.2. de etiam bona opera agnoſci queant, intelliguntur;
In Pſ.118. conc.16. imò bona opera omnia fide impetrantur.

Et rectè tentationes,ſive ad libidinem, ſive ad ebrietatem,furtum,& ſimilia vitia,dicuntur fidem probare. Cùm enim fides ſit,per quam omnes ten-
1.Pet. 1. tationes vincuntur,oſtenditur is fidem habere for-
1.Ioan.5. tem,ac robuſtam,frequenter & ſeriò religionis noſtræ myſteria expendentem,crebrò & intentè orãtem,qui à tentationibus non ſuperatur. Nam ſicut rectè ex firmitate domus colligitur firmitas fundamenti,ita ex vita bona rectè colligitur fidei firmi-
Iacob.2. tas. Unde D. Jacobus, *Oſtendam tibi ex operibus fidem meam.* Bonam lucernam habere intelligitur,
Lib.4. conf. qui in tenebroſa nocte,per lubricum,perſecutorem
cap.ult. ſine caſu poteſt evadere. Sic dicit D. Aug. quod *alæ*
Ser.7.de *charitatis,alimento ſanæ fidei nutriẽdæ ſint.* Et S. Leo,
Quadr. *quod charitas eſt robur fidei, & fides fortitudo chari-*
1.Ioan.5. *tatis. Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra,* ait Joannes.

Ergo ne langueat fides,mortuoque corpori ſimi-
Iac.2. lis efficiatur,laborandum. Exercitata ac vigens, & viva fides, magnum adverſus omnia tela Diaboli præſidium eſt. Hæc ubi adeſt,in ipſo elucet virtutis opere;ſin mortua eſt fides,tametſi quantum attinet ad ipſius propriam rationem & naturam,animo inſit; quæ tamen ea cenſeatur,cùm ex ea non
Iacob.2. vivitur,ut audire meritò illud Jacobi poſſit; *Oſten-*
Rom.1. *de mihi fidem tuam ſine operibus, & ego ex operibus oſtendam tibi fidem meam.* Vigens ac viva erat fides Romanorum, quam ſic laudat Apoſt. *Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.* Unde clerus Romanus

Digitized by Google

nus ad D.Cypr. *Non tantas*, inq. *laudes de nobis protuliſſet Apoſtolus, niſi antiquitus apud nos diſciplinæ viguiſſet ſeveritas, cujus laudis & gloriæ degenerem eſſe, maximum crimen eſt.* Apud Cypria. ep 31.

MONITUM LXXXV.

Vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam.

Lucæ 15.

HOmo iſte centum oves habens, Salvator noſter eſt, Chriſtus Dominus. Centum oves, totum genus humanum, quod dividitur in nonaginta novem, & unum: nonaginta novem relinquuntur, unum quæritur. Et ſignificatur mirabilis Dei gratia, qua prævenit nos, & quærit prior non quærentes ſe, ſed quærit ut quærant. *Qui ad Chriſtum veniunt*, inquit D. Proſp. *amore ducuntur; dilecti enim ſunt & dilexerunt, quæſiti ſunt & quæſierunt. Inventus ſum*, ait, *à non quærentibus me*. Et hoc eſt mirabile, quomodo una tantùm quæratur, & una tantùm dicatur erraſſe, cùm omnes erraverint? Variæ ſunt ſententiæ in Script. de numero ſalvandorum. Quædã dicunt multos eſſe, ut, *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, &c.* Et, *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, &c. Quædam dicunt paucos eſſe, ut, *Pauci electi* Et, *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam? & pauci ſunt, qui inveniunt eam.* Concordat hæc D. Auguſtin. dicens, Multi ſunt

Proſp. l. 2. de vocat. gent. Iſai. 65. Matth. 8. Apoc. 7. Matth. 10. & 22. Mat. 7. lib. 3 cont. Creſc. cap. 53. De Vnit. Eccl. c. 13.

De verb. Dom. Ser.32. Conc.Donat. li.4. c.38. De inſtit. cœnob.

per ſeipſos conſiderati; pauci in comparatione iniquorum, & reproborum.Imò dicit idem Aug. Exceptis hæreticis & ſchiſmaticis,inter Chriſtianos paucos ſalvandos.Nam fornicatorum, ebrioſorum,injuſtorum,& cæterorum qui vitam non inſtituunt ſecundum mandata Dei, infinitus eſt numerus.Hinc ille Sanctus apud Caſſia.*Vive ut pauci,ut cum paucis merearis inveniri in regno Dei.*

Cantic.6. Epheſ.4. Pſalm.66. Pſalm.54. Auguſt.in pſal.54. Epheſ.4. Epheſ.5. Geneſ.7. Hieron.ad Damaſum. Iſaiæ 60. Ioan.3.

In una Ove unitas intelligitur; & ſic tota Eccleſia.*Una eſt columba mea:ibi ſervatur unitas ſpiritus in vinculo pacis: facit Deus inhabitare unius moris in domo.*Id eſt, unius fidei & religionis. Foris diviſiones ſunt.*Dividit linguas eorum, ut in Babel, ne pernitioſam faciant unitatem,*inquit Auguſt. Una ergo quæritur; quia Eccleſia, quæ una eſt, eos qui ad hanc unitatem non perveniunt, relinquit. *Unum corpus, & ipſe eſt Salvator corporis ſui.* Et, *Tradidit ſemetipſum pro ea(* Eccleſia)*ut eam ſanctificaret,& ſibi gloriam exhiberet.* Quantum malum, eſſe extra Eccleſiam. Extra arcam Noë pereunt omnia.Dicitur Eccleſiæ; *Gens & regnum quod non ſervierit tibi,peribit.*Et ipſe Chriſtus: *Nemo aſcendit in cœlum,niſi filius hominis, qui deſcendit de cœlo:* caput,videlicet,& corpus.

De verb. Apoſt.ſer. 14.in pſal. 122. Ser.234. de temp. Lib.2.qq. Evang.q 32 Lucæ 10. Pſal.26. Philip.3.

Deinde per unam ovem ſignificantur Electi,*qui omnes unum ſunt,quia unum quærunt,*ait Aug. quod Deus eſt.*Vnum eſt neceſſarium.Vnum perſequor,* ait Apoſt.*Vnam petii à Domino,*inquit David.*Singulares,* inquit idem Auguſt.*& ſimplices,id eſt,ſecreti à multitudine & turba naſcentium rerum ac morientium,amatores æternitatis & unitatis eſſe debemus, ſi uni Deo & Domino noſtro cupimus inhærere. Hinc Sapiens,In ſimplicitate cordis quærite illum.* Unum ergo

Digitized by Google

ergo ſunt,& unum quærunt; ſed illud unũ eſt ipſis omnia. *Hic*, inquit Aug. *quod aurum eſt, non poteſt tibi eſſe argentum; quod vinum eſt, non poteſt tibi eſſe panis; quod tibi lux eſt, non poteſt eſſe potus. Deus tuus totum tibi erit; Manducabis eum ne eſurias, bibes eum ne ſitias, illuminaberis ab eo, ne cæcus ſis; fulcieris ab eo, ne deficias*, &c. Dictum eſt Moyſi: *Ego oſtendam tibi omne bonum*. Et de ſervo bono dicitur in Evan. *Super omnia bona ſua conſtituet eum*. Et Paulus; *Erit Deus omnia omnibus; quæcunque*, ait Aug. *ab omnibus honeſtè deſiderantur, & vita, & ſalus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona*. Hinc illud dictum D. Franciſci. *Deus meus, & omnia*. D. Aug. in pſal. 4. In pſal. 36. conc. 1. Tract. 11. in Ioan. Exod. 33. Matth. 24. 1. Cor. 15. De Civit. lib. ult. cap. ult.

Quærunt quidem etiam electi, cibum, potum, veſtitum, & cætera quibus indiget humana infirmitas; ſed illa quærunt tanquam neceſſaria ſua, non tanquam bona ſua; alioqui mallent eis carere, quia ſentiunt eſſe gravamina, & ſpiritualiũ impedimẽta: hinc ab eis cũ Propheta petunt liberari, *De neceſſitatibus meis erue me, Domine*. Hic ceſſat etiam querela carnalium, qui audientes unum eſſe quærẽdum, & quod uno Deo fruemur in futuro ſæculo, contriſtantur animo, anxiantur ſpiritu; quia hic multa habent, in quibus ſe recreant: uxorem, liberos, aurum, argentum, gemmas, delitias, veſtes, &c. hinc illud unum negligunt, contemnunt: neſcientes illum, qui Deum habet, omnia poſſidere. In vita. Pſal. 24.

Sed quid ſi aliquis petat ibi pulchram uxorẽ, delitias carnis, &c. inveniet? *In cœlo neque nubẽt, neque nubentur*, ait Chriſtus. Et, *Regnum Dei, non eſt eſca & potus*, ait Apoſt. *Sunt iſta deſideria infirmorum*, ait Aug. *quæ accedente ſanitate pereunt*. Videmus in ægrotis, quàm varia interdum appetant, durante Matth. 24. Rom. 14. Aug. ſer. 1. in Nov.

morbo,etiam abſurda & noxia; illo ſanato,periit omnis ille appetitus; quia de ægritudine, non de ſanitate veniebat. Sic in anima. *Tam dulcis eſt facies Domini*,inquit idem Auguſtinus, *quam videbunt ſancti,tam pulchra,ut vincat omnes concupiſcentias,ut illâ visâ,nihil aliud poſſit delectare.*

Aug.ſer. 53.in Nov.

Denique una ovis dicitur quæri,quia ut D.Chryſoſt.ait: *Sic omnibus quaſi uni Divina beneficia conferuntur,atque hic eſt affectus ſervi fidelis,ut beneficia Domini ſui,quæ communiter data ſunt omnibus,quaſi ſibi ſoli præſtita reputet,& quaſi ipſe ſit omnium debitor,& pro omnibus ipſe ſolus habeatur obnoxius.*Ne igitur inveniaris ingratus, imitare Auguſtinum dicentem: *O tu bone omnipotens,qui ſic curas unumquemque noſtrûm velut ſolum cures,& ſic omnes tanquam ſingulos.*Et ipſum Paulum dicentem;*Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me; Mortem Domini,quæ pro univerſo expenſa eſt mundo, ſibi ſoli præſtitam dicens.Non coanguſtare volens ampliſſima, & per omnem orbem diffuſa Chriſti munera*, inquit Chryſ. *ſed quaſi qui pro omnibus ſe ſolum judicaret obnoxium.Et revera quid intereſt,ſi & aliis præſtitit, cùm quæ tibi præſtita ſunt,ita integra ſint, & ita perfecta, quaſi nulli alii ex his aliquid fuerit præſtitum.* Sicut non minus habes ex ſole oriente,quàm ſi tu eo ſolus fruereris. Quid enim minus tu habes,quã ſi nullus alius à ſole videret? Frequens eſt hujuſmodi ſermo in Scriptur.ut,*Dilectus meus mihi.Dominus ſollicitus eſt mei.Dominus retribuet pro me,&c.*

Lib.2.de compunct. cord.

Li 3.Conf. cap.11.

Galat.2.

Ibidem.

Cant.2.

Pſal.39.

Pſal.137.

Sed quomodo una perdita, nónne omnes erravimus? Clamat Iſaias;*Omnes nos quaſi oves erravimus* à veritate,à juſtitia: *Unuſquiſque in viam ſuam declinavit.Fuit Adam*,inq.Ambr.*in illo omnes fuimus;*

Iſaiæ 53.

Apud Aug.l.2. in Iulia. cap.6.

mus: periit Adã, in illo omnes perierunt. Et D. Proſp. Cont. Collat. cap. 19.
In Adam omnes peccaverunt, & quicquid ille perdidit, perdiderunt. Sed perdita una dicitur, quia perditionem ſuam intelligit, & cõfitetur. Hoc in Script. eſt frequens. Sic Pauperes, qui paupertatem ſuam intelligunt; Cæci, qui ſuam cæcitatem intelligunt. Omnes pauperes ſumus, ſed non omnes habent ſuæ paupertatis notitiam; multi ſe divites putant, & ſunt pauperes, miſeri ac miſerabiles, ut dicitur de quodam in Apoc. Sic dixit Chriſtus Phariſæis, *Si cæci eſſetis*, id eſt, veſtram cæcitatem videretis. Apocal. 3. Ioan. 9.
Qui iſta intelligunt, humiliantur ſub potenti manu Dei, ingemiſcunt, implorant opem, & ſic juvantur. 1. Pet. 5. *Humilibus enim dat gratiam*. Et, *ſe quærentes non derelinquit*. Pſal. 9.

Reliqui, qui per 99. ſignificantur, quia non quærunt unum, ſed in multa evaneſcunt, & inter eos non eſt unitas, ſed confuſio errorum & peccatorũ, non dicuntur perditi, quia hoc non intelligunt, ut Judæi, Gentiles, hæretici, & ſimiles. Relinquuntur tales *in deſerto*, ut ait Lucas, & ſignificat hoc Lucæ 15. Matth. 18. ſæculum ſub poteſtate Diaboli conſtitutum, id eſt, Cont Creſ. li. 4. c. 59. ſocietatem omnium impiorum, qui omnes in deſerto ſunt, deſtituti gratia Dei, ejuſque cultura; deſerti à luce veritatis & juſtitiæ, & ſolida ſpe ſalutis æternæ. Vel ut habet Matth. *In montibus*, id eſt, interprete Aug. *in faſtu, ſeu tumore ſuperbiæ; qui eſt omnium hæreticorum*, inq. *ut ſolos ſe eſſe Chriſtianos jactent, damnentque cæteros*. Suum unius ſenſum pluris faciunt, quàm totius Eccleſiæ, de quibus intelligit D. Hier. illud Abdiæ; *Superbia cordis tui extulit te. Quis enim*, ait Hier. *hæreticorum non in ſuperbiam extollitur, Eccleſiæ ſimplicitatem parvipendens*, Abdias. Hiero. in illum locum

& fidem imperitiam reputans? habitantẽ, addit Prophet. *in ſciſſuris petrarũ; quia ſciſſiones faciũt à Chriſto Petra & ejus Eccleſia. Diverſis locis diverſa sũt hæreſes,* ait D. Aug. *ſed una mater Superbia omnes genuit.*

Tract. de Paſtor. c. 8.

In iſta ſuperbia relinquuntur, & ſic inſanabiles permanent, quia principium ſanitatis eſt agnitio infirmitatis. *Si cæci eſſetis,* cæcitatem agnoſceretis, *peccatum non haberetis*, grande illud infidelitatis; quia peterent lucem Dei, & ſic illuminarentur. *Sed quia dicitis, videmus, peccatum veſtrum manet,* eſt inſanabile. Pulchrè D. Proſp. de genere humano lapſo, & à Deo relicto:

Ioan. 9.

In carmine de ingratis.

Nec jam captivos oculos extollere in altum
Sponte poteſt, quoniam hoc etiam ſpoliante tyranno
Perdidit, ut quanto jaceat ſub vulnere norit.

Imò, ut idem alibi; *Amat homo languores ſuos* (videlicet ante gratiam) *& pro ſanitate habet, quod ægrotare ſe neſciat, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat noſſe quod langueat, & poſſit opem medici deſiderare, qua ſurgat.* Dicit D. Aug. Iuliano Pelag. *Quando animoſitatem qua teneris, viceris, tunc veritatem poteris tenere, qua vinceris.*

Reſponſ. ad 6. c. Gal.

Lib. 6. contr. Iulia. c. ult. omninò in fine.

Sed quomodo quærit ovem perditam? *Vadit ad illam, & imposuit in humeros.* Ivit ad illam, in incarnatione: poſuit in humeris, in paſſione. Dicitur de Samaritano, quod acceſſit ad ſaucium. Prius longè erat à nobis, quia juſtus & immortalis; tam propè acceſſit quam potuit; *per omnia nobis ſimilis factus abſque peccato,* quod in Deum, utpote immensè bonum, cadere non poteſt; aſſumpſit tamen ſimilitudinem carnis peccati, ſubjiciens ſe peccatorum pœnis, & omnibus ſe miſeriis hominum accommodans. *Infirmitatis noſtræ*

Lucæ 10.

Heb. 4.

factus

*factus eſt particeps,non iniquitatis,*ait Aug.*ut per in-*
firmitatem communem, ſolveret iniquitatem noſtram, Epiſt.141.
& adduceret nos ad juſtitiam ſuam; bibens mortem
*de noſtro,& proponens vitam de ſuo.*Hujus figuram
habemus in Heliſæo, *qui miſit per ſervum baculum* 4.Reg.4.
ſuper mortuum,& non reviviſcit:venit ipſe,conjungit
& coaptat ſe morti ejus,& reviviſcit.Miſit ſermo Dei
legem per ſervum ſuum,nec profuit in peccatis mortuo Aug.cont.
generi humano;venit ipſe,conformavit ſe nobis,factus Fauſt.lib.
particeps mortalitatis noſtræ,& vivificati ſumus. 22.cap.35. in pſal.70.

Impoſuit in humeros, & portavit ovem perdi- Ser.11.de
tam,in paſſione.Dicit Propheta;*Iniquitates noſtras* verb.apoſt.
ipſe portavit. Poſuit Deus in illo iniquitatem om- Iſaiæ 53.
*nium noſtrûm,*hoc ſignificavit, portando crucem,
ſe, nos & peccata noſtra portare.*Peccata noſtra,*ait
Petrus, *pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Tunc 1.Petr.2.
nos & nobis portat,quando ſuæ paſſionis nos par-
ticipes facit,in Baptiſmo,Pœnitentia,&c. Sic di-
cit D.Aug. *quod tunc primùm Chriſtus pro unoquo-* Cont.Iul.
*que moritur, quando in ejus morte baptizatur.*Quia lib.6.cap.5.
tunc prodeſt ei mors Chriſti,cùm ejus per baptiſ-
mum,vel aliud Sacramentum fit particeps. Sic in
Confeſſ.ante baptiſmum; *Nondum,*inquit,*ſolverat* Lib.5 c.9. Conf.
ille (Chriſtus) *in carne ſua inimicitias, quas tecum*
contraxeram peccatis meis; quia, videlicet,nondum Lib.9.c.4.
illi per baptiſmum remiſſa erant.Sicut & alibi di-
cit: *Fides me ſecurum eſſe non ſinebat de præteritis*
peccatis meis, quæ mihi per baptiſmum tuum remiſſa
nondum erant.

Deinde, quando ovis perdita reportatur per viam ſalutis in ovile cœleſte, portatur à Paſtore, ab ejus gratia, alioqui ne pedem quidem movere poſſit, tam eſt infirma ac debilis. Dominus

apud

Iſaiæ 46. apud Iſaiam: *Qui portamini à meo utero, qui geſtamini à mea vulva. Uſque ad ſenectam ego ipſe, & uſque ad canos ego portabo. Ego feci, & ego feram: ego portabo, & ſalvabo.* Et ſuaviter Aug. orat. in Cõfeſſ.
Lib.4.c.ult. *Domine Deus, protege nos, & porta nos, tu portabis & parvulos, & uſque ad canos tu portabis; quoniam firmitas noſtra quando tu es, tunc eſt firmitas; quando autem noſtra eſt, infirmitas eſt.* Et rurſum; *Ades nobis, & liberas à miſerabilibus erroribus, & conſtituis nos in via tua, & conſolaris & dicis; Currite, ego feram, & ego perducam, & ego ibi feram.* Pulchrè declarat Cœleſtinus Papa, *etiam baptizatis & juſtificatis neceſſariũ eſſe quotidianum Dei adjutorium ad ſuperandas Diaboli inſidias, & carnis concupiſcentias; & ad perſeverandum in bona converſatione.* Meritò timeret homo, ſi ſuis viribus (*in quibus nihil habet niſi periculi facilitatem,* ut ait S. Proſp. illi redeundum eſſet; ſed jam Domini manibus & humeris reportatur; & *ſuaviter equitat, quem gratia Dei portat.*

Lib.6.c.ult. In ep. c.6. ex ep.91. Aug. quæ eſt Innoc. Pontif. Proſp.l.1. de vocat. gent.c.6. Kemp.lib.2 c.9.Pſ.101. Lib 8. Cõf. c.3. Mat.11 Ioan.14.

Sed quomodo gaudet Deus inventa ove perdita, cùm ipſe *ſemper idem* ſit, & non mutetur? *Gaudet in nobis,* inquit Auguſt. *& in Angelis ſancta charitate ſanctis.* Deinde Chriſtus in humana natura *exultavit ſpiritu, quòd Pater revelaſſet ea parvulis.* Et *ejus cibus,* id eſt, voluptas & oblectatio erat, *facere voluntatem Patris,* convertere peccatores, &c. De Angelis dicitur in Evang. *gaudent ſuper peccatore pœnitentiam agente. Lachryma pœnitentium vinum Angelorum.* Sic aliæ virtutes. *Quoties bene agimus, gaudent angeli, & triſtantur dæmones: quoties à bono deviamus, diabolum lætificamus, & angelos ſuo gaudio defraudamus.* Etiam homines qui convertuntur, de ſua converſione lætantur,

Bernard. in quibuſd. ſent. Aug. in Soliloq. c.27.

ut

ut patet in Enucho, Cuſtode carceris, Cypriano, Auguſtino,&c.Et declarat David pſal.125.*In convertendo*, &c. Et alij juſti, ſicut triſtantur in erroribus & peccatis peccatorum, ſic gaudent in pœnitentia & eorum converſione, quemadmodum declarat S. Auguſtin.in Confeſſ. Etiam Sancti qui in cœlo ſunt lætantur. Dicit enim Chriſtus ſe *Paſtorem pium*, & in converſione unius peccatoris, *convocare amicos & vicinos ad congratulandum ſibi*: & putabimus quod angelis indicans ovem perditam eſſe inventam, ſpiritum Pauli, *cui incumbebat ſollicitudo omnium Eccleſiarum*, *qui optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis*, hoc gaudio defraudet? Credat hoc ille, qui Paulum amicum Chriſti non credit.

Actor.8. Actor.16. Lib.8.c.2.3 & 4. Luc.15. 2.Cor.11. Rom.9.

MONITUM LXXXVI.

Ego ſum Paſtor bonus.

Ioan. 10.

PAſtorem ſe vocat Chriſtus, quia oves habet, quarum curam gerit, & paſcit variis modis. *Oves autem ejus ſunt innocentes & manſuetæ animæ, quæ nec ſibi, nec aliis nocent*, & in tolerandis aliorũ injuriis ſunt patientes. De illis tria dicuntur in Cantic. quod ſint *detonſæ, quia ſarcinas ſæculi, peccatorum videlicet & curarum temporalium abjecerunt*. Deinde aſcenderunt de lavachro, mundatæ ſunt vel in baptiſmo, vel reconciliatione, per remiſſionem peccatorum. Poſtremò, ſunt fructiferæ, *omnes enim*

Aug.l.2. de doct. Chriſtian.c.6. In Pſal.3. & 94 Cãt.4 & 6.

Digitized by Google

Matt.22. *enim gemellos procreant, quia duo præcepta charitatis implent, in quibus tota lex pendet & Prophetæ.*
Pſal.22. Has oves Chriſtus *collocavit in loco paſcuæ*, id eſt, in Eccleſia Catholica, ibique eas paſcit, & regit.
Kemp.lib. 4.cap.11. de Imit. Videamus, quibus animæ Chriſtianæ maximè egeant in hujus vitæ miſeria. Vita hæc, in qua verſamur, locus eſt caliginis, locus eſt peregrinationis. Ergo maximè duobus egent, Lumine veritatis, ſive pabulo verbi Dei, ut videant. Et pabulo, ſeu cibo corporis ſui, ut ambulare poſſint. *Illud lux eſt animæ, hoc panis vitæ; illud eſt lucerna pedibus, hoc refectio mentis.* Vtroque optimè paſcitur anima Chriſtiana.

Quantum attinet ad primũ, Verbum Dei vocat
2.Pet.1. D. Petrus, *Lucernam lucentem in loco caliginoſo, cui attendere debemus*, ne offendamus. Et David, *Lucerna*, inq. *pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis*
Pſal.118. Cant.2. Pſal.18. *meis.* De quo pabulo ſponſa in Cant. *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Et David? *Quã dulcia faucibus meis eloquia tua? ſuper mel ori meo.* D.
Li.9. Conf. cap.4. Epiſt.141. Aug. Scripturas vocat, *de melle cœli melleas, de lumine Dei luminoſas. Cœleſtis doctrina Verbi*, ait D. Baſ. *nutrit animum, & ad rerum cœleſtium contẽplationem exercet. Noſti*, inq. Hier. *hoc eſſe animæ Chri-*
Id.epiſt.ad Florent. *ſtianæ pabulũ, ſi in lege Domini meditetur die ac nocte.*

Hoc pabulo animam ſuam reficiebat Ambroſ. (Aug. teſte,) *quãdo ab aliis neceſſitatibus erat vacuus, quibus vel infirmitatibus proximorum ſerviebat, vel*
In Conf. l.6.cap.3. *corpus reficiebat neceſſariis ſuſtentaculis.* Et Aug. de ſe; *Nolo in aliud defluant horæ, quas invenio ab aliis*
In Conf. l.11.c.3. *neceſſitatibus liberas, quàm videlicet, in meditatione legis Domini. Sint*, ait Deo, *caſtæ delitiæ meæ ſcripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam ex eis. Vox tua*

gau

Digitized by Google

gaudium meum: vox tua ſuper affluentiam voluptatū. Scripturas Sanctas, *Silvas* vocat, *in quas ſpiritales cervi ſe recipiunt, reſumunt, ambulant, paſcuntur, recubant, ruminant.* Severus Epiſcopus Opuſcula Aug. vocat *delitias animæ, favos nectaris plenos, in quibus ea, quicquid in ſe minus invenit, aut imbecillum ſentit, reſarciat atque ſuffulciat.* Damaſus Papa in epiſt. ad Hier. agens de mutua Scripturarum ſermocinatione; *Hac vita puto nihil in hac luce jucundius, hoc animæ pabulo omnia mella ſuperantur.* Dicebant Machabæi, *Habentes ſolatio ſanctos libros.* Et Paulus, *Quæcunque ſcripta ſunt, ad doctrinam noſtram ſcripta ſunt, ne per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.*

Epiſt. 37. inter Aug. Lib. 1. Compend. epiſt. 27. Li. 1. c. 12. Rom. 15.

Aliud pabulum quo animas paſcit, eſt corpus ſuū quod nobis in Sacramento reliquit. Ut enim ait Divus Chryſ. *Chriſtus carnem ſuam & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit.* Et S. Aug. *Ipſam carnem, in qua hîc ambulavit, nobis manducandam ad ſalutem dedit. Panis angelorum, factus cibus viatorum.* Viaticū noſtræ peregrinationis, quod in hujus vitæ deſerto, militiaque verſantibus, & hinc ad cœleſtem Ieruſalem contendentibus, velut manna Patribus datum delectat, conſolatur, confortat. *Caro mea verè eſt cibus,* inquit, *& ſanguis meus verè eſt potus. Bonus Paſtor,* ait Greg. *pro ovibus ſuis animam ſuam poſuit, ut in Sacramento noſtro corpus ſuum & ſanguinem verteret, & oves quas redemerat, carnis ſuæ alimento ſatiaret. Quis Paſtor,* inq. S. Chryſ. *oves proprio paſcit cruore? Et quid dico, Paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmētat.*

Hom. 2. ad popul. Aug. in pſal. 98. D. Thom. in hymno Sac. Ioan. 6. Homil. 14. in Evang. Homil. 60. & 61. ad popul.

Paraſtî

Pſal.22. *Paraſti in conſpectu meo menſam*, ait David, *adverſus eos qui tribulant me*. Hinc defertur ad infirmos, ut quando corporis vires deficiunt, hoc pabulo vires animæ confirmentur. *Corpora emigrantium*, ait Chryſ. *qui ſumunt corpus Domini munda conſcientia, more ſatellitum ſtipant angeli, & ipſa animæ virtute corporis Chriſti, ab eiſdem ſublevantur in cœlum.* Hinc & tempore perſecutionis dabatur corpus Chriſti domum deferendum, ut inſtante perſecutione, hoc pabulo ſe munirent, fortioreſque adverſus hoſtes efficerentur. *Tanquam leones ignem ſpirantes*, ait Chryſ. *ab illa menſa recedamus, facti Diabolo terribiles. Cùm celebranda eſt oblatio*, inquit D.Ambr. *paratus aſſiſte, ut accipias tibi munimentum, ut edas corpus Domini Ieſu. Suſcipe Dominum Ieſum tuæ mentis hoſpitio. Ubi corpus ejus, ibi Chriſtus eſt. Cùm hoſpitium tuum adverſarius viderit occupatum cœleſtis fulgore præſentiæ, intelligens locum tentamentis ſuis intercluſum eſſe per Chriſtum, fugiet ac recedet.*

Parte 3. Mon.3.

Lib.6.de Sacerd.

Cypr.de Lapſ.

Hom.61. ad popul.

In pſal.118 Serm.8.

De iis qui myſter. initiant.c. ult.

Ex corporalibus ad ſpiritalia velut manu duci convenit nos infirmos (quamobrem etiam priùs oculis carnis, quàm mentis viſibilis Chriſtus apparuit) prorſus ergo videtur conveniens, ut etiam carne Chriſti primùm corpus noſtrum, deinde anima noſtra paſcatur. Cognatius ſiquidem eſt Chriſti corpus corpori noſtro quàm animæ. Quare ſi Chriſti caro alimonia ſit animæ, (de quo nefas eſt dubitare) certè & corporis erit. Unde Tertull. *Caro*, inquit, *abluitur, ut anima emaculetur: Caro ungitur, ut anima conſecretur: Caro ſignatur, ut anima conſecretur: Caro manus impoſitione obumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur: Caro corpore & ſanguine*

De car.reſurrect.

guine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur: non poſſunt ſeparari in mercede, quas opera conjungit.

Utroque hoc pabulo, videlicet veritatis & corporis, paſcit nos bonus Paſtor in loco paſcuæ, id eſt, Eccleſia ſancta. Felices ergo filii Eccleſiæ, Extra quàm nemo paſcitur ad vitam, etſi partem aliquam doctrinæ ſacræ, vel Sacramentum aliquod habeat. Unde D. Aug. *Neque fides*, inquit, *neque Sacramenta, ullis, niſi perſiſtentibus in Eccleſiæ unitate ſunt ſalutaria.* Et D. Ambroſ. *Ubi eſt Eccleſia, ibi firmiſſima ſtatio tuæ mentis, ibi fundamentum animi tui; ſta in Eccleſia, ibi ego tecum ſum. Tu rubus, ego ignis in rubo, ego in carne propterea ignis, ut tibi luceam* (quod fit verbo Dei) *ut tuas ſpinas, & tua peccata conſumam* (quod fit corpore Chriſti.) Hinc bonæ oviculæ tam libenter & alacriter ad utrumque hoc pabulum concurrunt, ut eo paſcantur, ac roborentur; *Filij tui*, ait David, *ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ. Quia pacifici filij Dei menſam Dominicam Sacramenti, & doctrinæ cum unanimitate circumdant, ut quod inde percipitur, nulla diſſenſione violetur.*

De Unit. Eccl. c. 4. Epiſt. 82. Exod. 3. Deut. 5. Pſal. 127. Ibid. Aug & Proſp.

Quid ego ſum mihi ſine te, Domine? ait Aug. *niſi dux in præceps? aut quid ſum cùm mihi bene eſt, niſi ſugens lac tuum, aut fruens te, cibo qui non corrumpitur?* Lac videlicet, verbi Dei, de quo Petrus, *Sine dolo lac concupiſcite*, ideſt, lac purum, nullo errore permixtum, quale eſt in Scripturis ſanctis; hinc Ubera matris Eccleſiæ vocantur, Scripturæ veteris & novi teſtamenti; ad quæ ſugenda convocat omnes Iſaias Propheta: *Ut ſugatis & repleamini ab ubere conſolationis ejus*, &c. Lac peccatorum

In conf. lib. 4. c. 1. 1. Pet. 2. Iſai 66. Prov. 1.

Digitized by Google

catorum impurum eſt, hinc fugiendum. Unde monet Sapiens, *Fili, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis*. Corpus Chriſti cibus eſt, qui non corrumpitur. Unde ipſa æterna Sapientia Auguſtino; *Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me, nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me*. Et dicebat S. Andreas ad Proconſulem; *Carnem agni immaculati, in altari Deo vero & vivo à me oblati, cùm omnis populus credentium mãducaverit, agnus ipſe integer perſeverat & vivus*. Et D. Auguſt. *Manducetur Chriſtus, vivit manducatus, qui ſurrexit occiſus*. Denique Thomas in hymno;

Li. 7. Confeſſ. c. 10.

In vita. Citat. à Beda in c. 10. 1. ad Corin.

De V. Sacram.

Sumit unus, ſumunt mille,
Quantum iſti, tantum ille,
Nec ſumptus conſumitur.

MONITUM LXXXVII.

Petite & accipietis.

Ioan. 15.

UBique in Scripturis ſanctis ad orationem excitamur, & in ea occupati ſunt omnes novi teſtamenti filij, quos Iſaias Propheta ita alloquitur; *Dicetis in illa die* (tempore videlicet novi teſtamenti) *Confitemini Domino & invocate nomen ejus*; atque à die Pentecoſtes illuſtriùs clamatur, *Omnis qui invocaverit nomẽ Domini, ſalvus erit*. Quæres, quis dicendus ſit orare? Non ille qui verba orationis recitat, ſed qui quæ dicuntur, verè deſiderat, & à Deo obtinere ſperat. Alioqui hypocrita eſt, qui labiis verba orationis profert, &

Iſaiæ 12.
Ioël. 2.
Act. 2.

Digitized by Google

& corde non deſiderat, quæ ſignificantur: aut ſi deſideret, non tamen ab illo, quem verba compellant, ſperat. Non ergo verè orat, qui adhuc peccandi propoſitum habet, ut guloſus, luxurioſus, &c. ſi in ebrietate & libidine perſeverare intendat. Sicut nec Aug. quando adoleſcens alienus adhuc à Deo, ita eum orabat: *Da mihi caſtitatem & continentiam; ſed noli modò. Timebam enim* (inquit) *ne me citò exaudires, & citò ſanares à morbo concupiſcentiæ, quem malebam expleri, quàm extingui.* In Conf. li. 8. cap. 7.

Quid ergo facere debet orans? *Intrare in cubiculum* (uti mandat Dominus) *& claudere oſtium, & orare patrem in abſconſo, id eſt*, ut ait Aug. *Carnali ſenſui reſiſtendum eſt, ne per eum in cogitationes noſtras penetrent hæc viſibilia, & turba vanorum phantaſmatum obſtrepat, vel deſiderium ſanctum extinguat, ut oratio ſpiritalis, quæ fit in abſconſo, id eſt, in intimis cordis, ad Patrem aſcendere non poſſit.* Quod ſi contra voluntatem noſtram in alia vagemur, dum oramus, & hoc cum dolore animi advertamus, ipſo dolore oramus. *Non eſt enim in poteſtate noſtra cor noſtrum,* inquit D. Amb. *& cogitationes noſtræ, quæ improviſo offuſæ, mentem animumque confundunt, atque aliò trahunt, quàm tu propoſueris: ipſoque in tempore, quo elevare mentem paramus, inſertis inanibus cogitationibus, ad terrena plerumque dejicimur.* Ipſe Propheta David, vir tam ſpiritalis, Deum orans dicit, *Invenit ſervus tuus cor ſuum, ut oraret te oratione hac. Invenire ſe dixit cor ſuum,* ait D. Aug. *quaſi ſoleret ab eo fugere, & ille ſequi quaſi fugitivum, & non poſſet comprehendere, & clamare ad Dominum. Quoniam cor meum dereliquit me.* Et queritur D. Hieron. *Ad orationem aſſiſto, non orarem;*

Matth. 6. De ſerm. Dom. in mont. lib. 2. cap 6.

De fuga ſæculi c. 1.

2. Reg. 7. in Pſal. 85.

Cont. Luciferian. *rem, ſi non crederem: ſed ſi verè crederem, illud cor quo Deus videtur, mundarem; manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorreſcerem, ore pallerem, jacerem ad Domini mei pedes, eoſque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec prius omitterem, quàm miſericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero.* Et alius quidam ſanctus: *Ignoſce mihi, Domine, & miſericorditer indulge, quoties præter te aliud in oratione revolvo. Confiteor enim quod diſtractè me in oratione habere conſuevi; nam ibi multoties non ſum, ubi corporaliter ſto aut ſedeo: ſed ibi magis ſum, quò cogitationibus feror. Ibi ſum, ubi cogitatio mea eſt; & ibi eſt frequenter cogitatio mea, ubi eſt quod amo: hoc mihi citò occurrit, quod naturaliter delectat, aut ex uſu placet.*

Kemp. lib. 3. cap 53. de Imitat.

Quid ergo? deſperandum eſt de genere humano? Cui etiam non ſurrepit aliqua cogitatio oranti, orationem ipſam interrumpens? *Sed ſpes eſt, Quoniam ſuavis & mitis eſt Dominus,* ait Propheta. *Suavis, quia quocunque cor hominis ſe converterit in terrenis rebus, amaritudinem invenit, unde dulceſcat non habet, niſi levet ſe ad Deum. Mitis, quia portat nos, donec perficiat nos: tolerat Deus tot corda precantium, & diverſa cogitantium, ne dicam noxia & inimica Deo, & exſpectat tamen à nobis orationem, ut perficiat nos; & quando illi eam dederimus, accipit gratè & exaudit, nec meminit tantas quas inconditè fundimus, & accipit unam quam vix invenimus.*

Pſal. 85.

Auguſt. ibidem.

Cauſam autem diſtractionum in oratione dicit D. Aug. curioſitatem rerum vanarum & alienarũ; *Cùm*

Cùm enim in hujuſmodi rebus conceptaculum ſit cor noſtrum,& portat copioſæ vanitatis catervas,hinc & orationes noſtræ ſæpè impediuntur,atque turbantur,& ante conſpectum tuum,dum ad aures tuas vocem cordis intendimus,neſcio unde irruentibus nugatoriis cogitationibus,res tanta præciditur. Alius cauſam dicit eſſe carnales affectus,quibus nimium ſæpè implicamur.*Quæcunque,* inquit, *diligo, de his libenter loquor & audio, atque talium imagines ad domum mecum reporto.* Iſta ſunt quæ mentem in oratione diſtrahunt.*Sed audi remedium. Beatus ergo qui creaturis valedicit,naturæ vim facit,concupiſcentias carnis fervore ſpiritus refrænat, ut ſerenata conſcientia, puram tibi offerat orationem; dignuſque ſit angelicis intereſſe choris,omnibus terrenis foris & intus excluſis.Quando ſtamus ad orationem,*ait D.Cypr.*vigilare & incumbere toto corde ad preces debemus. Cogitatio autem carnalis & ſæcularis abſcedat,nec quicquam tunc animus,quàm id ſolum cogitet, quod precatur.Claudatur contra adverſarium cor, & ſoli Deo pateat,nec ad ſe hoſtem Dei, tempore orationis adire patiatur.Obrepit enim frequenter & penetrat, & ſubtiliter fallens,preces à Deo avocat,ut aliud habeamus in corde,aliud in voce; cùm intentio ſincera Dominum debeat, non vocis ſonus, ſed animus & ſenſus orare.*Orabat ſemel fixo in terram capite S.Hilarion,& ut fert natura hominum, abducta ab oratione mens,neſcio quid aliud cogitabat, & ſtatim à dæmonibus graviter percuſſus fuit.

In Conf.l. 10 cap.35.

Kemp.ibid.

In Tract. de orat. Dom.

Hier. in vita.

Sed quis orandus? Sicut diligenter cavere debet, qui orat, ne petat quod non debet, ut vindictam de hoſtibus,opes ut luxurietur, poteſtatem pravam voluntatem perficiendi, &c. ſic etiam ne

Aug.ſer.2. de orat. Dom.

Digitized by Google

ab illo petat, à quo non debet. Nihil petendum à Diabolo, Dæmonibus, Idolis: nec per Diabolica & ſuperſtitioſa media, quærenda ſanitas, aut aliquid ejuſmodi. Quicquid eſt petendum, id petendum à Domino Deo, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. *Omne enim datum optimum & omne donum perfectum, de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Unde Sapiens; *Cùm ſcirem quod nō poſſem eſſe continens* (ſic de aliis donis) *niſi Deus det, adij Dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordiis meis.* Et D. Iac. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Sic ſi indiget caſtitate, charitate, patientia, &c.

Iacob. 1. Sap. 8. Iac. 1.

Sed nonne etiam Sanctos invocamus? ita, non tamen ut ipſi præſtent quod petimus, ſed ut nobiſcum & pro nobis orent. Hinc alius modus Eccleſiæ, Deum orandi, & Sanctos; illi dicitur, Miſerere nobis; his, orate pro nobis. *Solo Deo adorato, invocet Sanctos,* inquit Conc. 6. Gener. *ut apud Divinam Majeſtatem pro ſe intercedere dignetur.* Verùm, dicunt hæretici, ad Deum ſolum recurrendum, non etiam homines. Ergo malè fecit Paulus, qui ita ad Theſſalonic. *Orate pro nobis*, & ubique ferè preces ſuorum petit. Malè fecit pius Rex Ezechias, qui ab Iſaia Propheta petiit, ut oraret pro ſe & populo. Imò malè fecit ipſe Deus, qui amicos Iob miſit ad Iob. *Ite*, inquit, *ad ſervum meum Iob; Iob orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam.*

Conc. 6. Gener. c. 7. Theſſ. 5. 4. Reg. 16. Iob ult.

Sed cur orari vult Deus? non quaſi neceſſitates noſtras neſciat, aut non orantibus ſuccurrere non poſſit. Præſtat enim Deus plurima non rogatus,

inter

Digitized by Google

inter quæ eſt fides, bona voluntas, & ipſa oratio, Pro aliis tamen nobis neceſſariis rogari vult, quæ alioqui non eſſet daturus, uti ait Auguſt. *Conſtat*, inquit, *alia danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei; alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantia.* Orari autem vult, primò, ut exerceat deſiderium noſtrum, quo poſſimus capere, quod præparat dare. Illud enim valdè magnum eſt, ſed nos ad accipiendum parvi & anguſti ſumus. *Tantò autem latiores ſumus ad accipiendum, quantò id & fideliùs credimus, & ſperamus firmiùs, & deſideramus ardentiùs. Dilata*, inquit, *os tuum, & implebo illud.* Dilatare, eſt ſe capacem facere donorum Dei, amando, inſtando, &c, Deinde orari vult Deus à nobis, ut agnita propria infirmitate, in eo ſpem figere diſcamus, ejuſque dona eſſe agnoſcamus, quæcunque impetramus, & ſollicitis precibus impetrata, diligentiùs cuſtodire ſtudeamus.

De bono perſever. c.16.

Epiſt.121. c.8. Pſal.80

Tertiò, vult Deus ut nos etiam cauſa ſalutis noſtræ ſimus, eam ab eo impetrando. Debet enim homo & poteſt, etiam ſuam ſalutem operari, orãdo, bene agendo: *Hoc faciens*, inquit Apoſtol. *teipſum ſalvum facies.* Et, *cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Denique orari vult Deus, ut omnia in manu Dei eſſe, huncque ſolum omnium bonorum auctorem eſſe admoneamur. Quod autem dicitur Iſaiæ 65. *Antequam clament ad me, exaudiam eos:* ſignificatur Deum exaudire preces internas ac deſideria juſtorum, etiam priuſquam eum labiis invocent; & juſtos exauditos, etiam dum ſe exauditos non putant. Quemadmodum & Moyſi dicit, *Quid clamas ad me?* cum videlicet ha-

1.Tim.4.

Philip.2.

Iſaiæ 65.

Digitized by Google

Exod.14. beas ? *Moyſes*, inquit S. Baſil. *cum ne verbum*
In pſal.61. *quidem loqueretur, audit à Domino, Quid clamas ad me ? Sed tacitis ad eum ſuſpiriis loquebatur.*
1.Tim.2. Rom.8. Heb.7. Rom.8. Ioan.14. Epheſ.2. Cyrill.lib. 10. in Ioan. cap.7.

Orandus autem Deus per Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unicus Mediator Dei & hominum, qui mortuus eſt pro nobis, & nunc ſedet ad dexteram Patris interpellans pro nobis, cum quo, ſive per quem (tanquam promeritum & interpellantem) omnia nobis pater donavit. Ideoque *petite*, inquit, *in nomine meo, & accipietis. In nomine autem meo, addidit, ut Mediatorem ſe & collargitorem oſtendat. Nullus enim accedit ad Patrem, niſi per filium, per quem adductionem habemus ad Patrem in Spiritu, ut ſcriptum eſt. Ideo ſe portam & viam appellat; quia, inquit, nemo venit ad Patrem, niſi per me. Nam in quantum filius & Deus eſt, unà cum Patre nobis bona largitur: quod oſtendens Paulus dicebat, Gratia vobis & pax à Deo patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto. In quantum verò Mediator eſt, & Pontifex, & Paracletus, noſtras preces ad Patrem adducit. Ipſe enim nobis libertatem atque fiduciam ad Patrem largitur.* Sic dicit Concil. Epheſin. 1. Paulum dicere, Chriſtum eſſe *Confeſſionis noſtræ Pontificem, tanquam ſacrificantem Deo, & Patri fidei noſtræ confeſſionem.*

Ioan.10. & 14. Rom.1. Vide Mon.117. Conc. Epheſ. 1. Hebr.3. Cyril. c.9. ejuſd. lib.

Orandum eſt igitur in nomine Salvatoris, ſi exaudiri à Patre volumus. Petere enim aliquid à Patre per orationem, nullo modo permittit Chriſtus, niſi in nomine ſuo. *Oratio enim* (ait S. Aug.) *quæ non fit per Chriſtum Mediatorem Dei & hominum, & Sacerdotem magnum, non ſolùm non poteſt delere*

Auguſt. & Proſp. in pſal.108.

delere peccatum,ſed etiam ipſa fit in peccatum. Ideoque Mater Eccleſia, omnes preces quas Collectas vocant (per quas longas orationes ſuas in pſalmis & hymnis Deo oblatas concludit) ſic finit, Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c. Utique nos docens, per Chriſtum nos debere ſemper precari, etiamſi nomen ejus interdum non exprimamus. Non autem obſcuratur Mediatoris honor, quod comprecatores, amicos ejus cum ipſo agentes, adhibemus. Volumus enim ut ipſi in nomine ejus petant. Sicut non derogat officio Mediatoris, quod nos Deum oramus, & alios Chriſtianos hic viventes, ut pro nobis orent ſollicitamus: quinimò quanto plures orant, tanto magis Chriſti gloria agnoſcitur, & major ei gratiarum actio rependitur.

Domus autem orationis, eſt Eccleſia. Primò, quia nulla oratio utilis eſt, aut exauditur, videlicet ad vitam æternam, extra Eccleſiam, inquit S. Auguſt. In pſal.59. Poſſunt extra Eccleſiam exaudiri homines ad quædam temporalia, quæ etiam impiis dantur, & ſæpè in malum eorum. Dedit Iſraëlitis carnes, quas malè petebant; Num.11. ſed expleta concupiſcentia, graviter puniti. Oſeæ 13. Similiter dedit eis 1. Reg 8. petentibus Regem, ſed *in furore ſuo, & ſecundùm* Aug.in *cor eorum, non ſuum.* Sic dat impiis petentibus pſal.51.in victoriam, proſperitatem, ſed in eorum pernipræf. tiem; *Proſperitas enim ſtultorum perdet illos*; inde Prov.1. enim copia augendi ſcelera, & proinde ſupplicia. Aug.ep. 121.ca.14. Imò Diabolus à Deo exauditus eſt, quando pe- Sent.47. tivit tentare Job: & dæmones à Chriſto, quando Iob 1. ab eo petierunt, ut eos mitteret in porcos. Matth.8.

Sed nec in Eccleſia exaudiuntur ſemper fideles in temporalibus; *Non exaudiuntur ad voluntatem, ut exaudiantur ad utilitatem.* Pauper bene cuperet eſſe dives, non exauditur; quia paupertas ei utilis eſt: æger petit ſanitatem, non impetrat, quia ægrotare ei adhuc utile eſt; ſic Paulus petebat liberari à ſtimulo carnis, non eſt exauditus, quia *ager rogavit medicum, ut à ſe auferret medicamentum. At verò cùm illud petis, ut det tibi regnum cælorum Deus, ſecurus eſto, accipies; ſed modò non accipis, non enim jam venit tempus ut accipias: exaudiris & neſcis. Quod petis, agitur, etſi neſcis in quo agitur. In radice res eſt, nondum in fructu.*

Aug. in pſal. 85.

2. Cor. 12. Aug. in pſal. 130.

In pſal. 59.

Secundò, Eccleſia domus eſt orationis, quia ad hoc quiſque ingredi debet Eccleſiam, fieri membrũ Eccleſiæ, ut oret, id eſt, ut in juſtitia proficiat: velle autem proficere, quid eſt niſi orare? Oratione enim petitur aut juſtitia, aut quod ad eam promovet; & magis conſiſtit in affectibus mentis, quàm in verbis oris. Hinc vita Eccleſiæ, & Chriſtiani, continua oratio eſt, quia *omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Unde Chriſtus, *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Et ejus Apoſt. *Sine intermiſſione orate: Tum quia nullo die tempora certa orandi intermittenda ſunt; tum quia deſiderium rerum cæleſtium in corde Chriſtiani debet eſſe continuum, quod ne frigeſcat, vel penitus extinguatur, verbis orationis excitandum ſæpius ac inflammandum eſt.* Si quis ad hoc Chriſtianus fiat, ut diteſcat, proſperetur, deſtruit Eccleſiam, quæ domus eſt Dei; & quantum in ſe eſt, facit eam ſpeluncam latronum, quia temporalia quærit, non ſpiritualia, quæ ſunt in oratione petenda; & quia id agit in Eccleſia,

Lucæ 18. Coloſ. 4. Epiſt. 121. cap. 9. De hæreſib hæreſ. 57.

ſia, quod latrones agere ſolent in ſpelunca, ubi bonis temporalibus inſidiantur.

MONITUM LXXXVIII.

Adoleſcens, tibi dico, ſurge.

Lucæ 7.

D*Uæ vitæ ſunt, una eſt corporis, altera animæ*, inquit S. Aug. *Sicut vita corporis anima, ita vita animæ, Deus : & quomodo ſi anima deſerat, moritur corpus; ſic anima moritur, ſi deſerat Deus.* Et rurſum; *Non ſunt in te charitatis viſcera, ſi luges corpus, à quo receſſit anima, & non luges animã, à qua receſſit Deus.* Horrida mors, quam Monica in Auguſtino filio flebat amplius quàm matres corporea funera, ut ipſe refert lib. 3. Conf. De qua & D. Cypr. de lapſ. *Si quem*, inquit, *de charis amiſiſſes, ingemiſceres & fleres : animam miſer perdidiſti, & ambulans funus tuum portare cœpiſti, & non ingemiſcis & doles?* Sic & S. Chryſoſt. de comp. cord. *Quod tu alienæ carni exhibes, hoc animæ tuæ exhibe.* Et D. Hieronym. ad Sabinia. *Hoc*, ait, *plango, quod te non plangis, quod te non ſentis mortuum*, &c. Hic ergo mortuus corpore, ſignificat animo mortuum, & quidem *eum*, inquit Auguſt. *qui poſt conſenſum it in factum, tanquam efferens mortuum, ut quod latebat in ſecreto, appareat in publico.* Modus autem quo reſurgit mortuus ad vitam, peccator convertitur ad juſtitiam, in Evangelio, ſi ſpiritualiter quis intelligat, oſtenditur.

Apud Proſper. ſent. 236. Ser. 115. in Nov.

Tract. 49 in Ioan.

Primò,

Primò, qui mortuum portabant ſteterunt : illi ſunt tentationes & affectus pravi,qui mortuum efferunt ad opus pravum. Ante omnia hi juſſu Domini ſtare debent; quod fit, quando non amplius ducunt,non amplius dominātur.Dictum eſt Cain, (quem affectus pravus odij,ac invidiæ duxit & extulit ad fratricidium) *Sub te erit appetitus peccati. & tu dominaberis illius.* Et Apoſtolus ; *Mortificate concupiſcentiam malam.* Et;*Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore , ut obediatis concupiſcentiis ejus.*Stetit Jordanis, ſic ſtare debet fluxus concupiſcentiæ malæ , ut populus Dei tranſeat ad promiſſam terram. *Homo eſt ſpiritus vadens,& non rediens.*Duo in corrupto homine mala : quiſque ſuis affectibus ducitur & effertur ad peccata;ac ſemper longiùs progrederetur , niſi Dominus ſtare juberet,ac retraheret.

Gen.4. Coloſ.3. Rom.6. Joſue 3. Pſal.77. Aug.in illū pſal.

Secundò, Dominus *tetigit loculum,* ubi jacebat mortuus, & eſt cor,ſive conſcientia hominis; *ibi homo eſt,quicunque eſt,* ſive bonus, ſive malus ; ſive vivus,ſive mortuus. Foris aliquando videtur vivere,intus mortuus eſt,& contrà.*Tetigit Dominus,*ait Beda,*conſcientiam,& tangendo mutavit,*ut jam veritatem ac juſtitiam diligere inciperet,qui priùs vanitatem & peccatum amaverat. Fruſtra aures tanguntur ab hominibus foris , niſi Dominus conſcientiam tangat intus. *Conſidera opera Dei , quia nemo poteſt corrigere,quem ille deſpexerit,*ait Sap.Et de incredulis Iudæis dicit Ioan.c.14.*Non poterant credere,quia excæcavit Deus oculos eorum,& induravit cor eorum,* &c. audiebant tamen ipſum Deum loquentem,& aures pulſantem.

Lib.10.c.3. Confeſſ.1. In hunc locum Evāg. Luc. Eccleſ.7.

Tertiò,dixit;*Adoleſcens,tibi dico,ſurge.* Lubrica eſt

eſt adoleſcentia,& ad lapſum prona. *Adoleſcentia,* inquit D. Ambroſ. *invalida viribus, infirma conſiliis, vitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa delitiis,* Lib. 1. de interp. c. 7. *ſic obnoxia eſt peccatis, ut pauciſſimi ſint,* ait S. Aug. *tanta felicitatis, ut ab ipſa ineunte adoleſcentia, nulla damnabilia peccata committant, vel in flagitiis, vel in facinoribus, vel in nefaria cujuſque impietatis errore; ſed magna ſpiritus largitate opprimant quicquid in eis poſſit carnali delectatione dominari.* Lib. 21. Civit. c. 16 Hinc David: *Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine:* Pſal. 24. totius ætatis illius delictorum veniam petens.

Tibi ergo adoleſcens dico, ſurge, à ſomno peccati, & aggredere novam vitam. Quia niſi ſurgat adoleſcens, inveteraſcit inter inimicos, venit in peccati cõſuetudinem, quæ vix ægrè tollitur. Et, *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea,* inq. Sap. Et Job: *Implentur oſſa eorum vitiis adoleſcentiæ ſuæ, & cum eis in pulvere dormiunt.* Prov. 22. Iob 20. *Concupiſcentia,* inq. D. Aug. *quotidie minuitur in proficiẽtibus & continentibus; accedente autem ſenectute, multo maximè. Qui verò nequiter ei ſerviunt, tantas in eis vires accipit, ut plerumque jam ætate deficientibus membris, ejuſdemque corporis partibus ad illud opus moveri minùs valentibus, turpius & procacius inſanire non deſinat.* Lib. 1. de nupt. c. 25. *Hinc eſt etiam quod contra eandem,* ut idem Aug. *vehementius vidua quàm virgo, vehementius meretrix quando caſta eſſe voluerit, quã quæ ſemper fuit caſta, confligit; & tanto amplius in ea ſuperanda voluntas laborabit, quanto majores ei conſuetudo vires dedit,* &c. Lib. 6. cont. Iulia. ca. 7. Tiberius Cæſar libidinibus aſſuetus, fecit alios ſe mutuò inceſtare coram ipſo, ut aſpectu ob ætatem deficientes excitaret,

Digitized by Google

Ianſen. cap. 30. Eccleſ. refert.

citaret, ut author eſt Sueton. in ejus vita, c. 43. De alio narratur delitiis aſſueto, cùm ob morbum eas ſtomachus reſpueret, juſſit eas coram ſe afferri, quas miſerè ſuſpirando intuebatur, ſicque; languens ac contabeſcens mortuus eſt.

Vide Aug. lib. 8. Conf. cap. 5.

Surgat ergo adoleſcens: *ex mala enim voluntate fit libido; & dum libidini ſervitur, fit conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam, unde & catena appellatur, tenet peccatorem obſtrictum dura ſervitus.*

Pſal. 118.

In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? Quærit Propheta: ferè enim dirigitur ſecundùm legem peccati. Reſpondet, *in cuſtodiendo ſermones tuos.*

In epiſt. ad Chromatium.

In epiſt. ad Abigaum.

Deſerta ergo lege peccati, ſequatur legem Domini. *Scitis,* ait Hieron. *lubricum adoleſcentiæ iter, in quo & ego lapſus ſum, & vos non ſine timore tranſiſtis.* Unde & alibi dicit, ſe *quotidie in oratione flexis genibus dicere illum verſum Dauidis; Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris, Domine.* Et ad Ruſticum ita ſcribit; *Dum adoleſcentiæ incentiva calcas, magna cœpiſti, excelſa ſectaris, & perfectæ ætatis gradum ſcandis, ſed lubricum iter, per quod ingrederis.* Et de ſorore ſua juvencula; *Lubricum,* inq. *adoleſcentiæ iter ingreditur. Hinc ego, ut gentilis Poëta ait, omnia etiam tuta timeo. Sancti Iuliani fructus eſt: ille plantavit, vos rigate; Dominus incrementum dabit. Noſtis puellares animos his rebus plerumque ſolidari, ſi ſe intelligant curæ eſſe majoribus.*

In epiſt. ad Ruſtic.

In epiſt. ad Chromatium, Iovi. & Euſeb.

Et reſedit qui erat mortuus. Significatur efficacia Divinæ gratiæ, cui non reſiſtitur. Unde D. Baſilii oratio ſacri altaris, quam penè univerſus quondam frequentabat Oriens, ut teſtatur Petrus Diaconus

Lib de Incarnat. & grat. cap. 8.

Diaconus, inter cætera ſic habet: *Dona, Domine, virtutem ac tutamentum. Malos quæſumus bonos facito; bonos in bonitate conſerva. Omnia enim potes, nec eſt qui contradicat tibi. Cùm enim volueris, ſalvas, & nullus reſiſtit voluntati tuæ.* Deinde, reſedit, cœpit requieſcere; ſic requieſcũt, qui compunguntur corde, & volvunt ſecum quid fecerint in vita præterita, qui ad exemplum Ezechiæ Regis, *recogitant annos ſuos Domino in amaritudine animæ. Vide*, ait Propheta, *ubi proſtrata ſis*. Et, *Scito, & vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Conſiderant vanitatem ſæculi quam dilexerunt, enormitatem criminum quæ fecerunt, pericula damnationis, in quibus fuerunt; ex quibus cogitationibus ſequuntur abſconditæ tempeſtates cordis. Eſth. 13. Iſai. 38. Ierem. 2.

Hoc expertus eſt Aug. in ſua converſione, & quiſque etiam in ſua experitur. De quo Pſal. *Exaudivi te in abſcondito tẽpeſtatis, non maris*, inquit Aug. *ſed cordis:* & addit, *probavi te apud aquam contradictionis*, id eſt, populum tuæ cõverſioni contradicenté, & impedire conantem. *Religioſa enim voluntati*, inq. D. Proſp. *& piam vitam agere diſponenti, amatores hujus ſæculi contradicunt, & doloſis verbis ſanctũ propoſitum cupiunt deterrere: quorũ iniqua labia difficillimum eſt evadere, dum per quendam affectum videntur conſulere, & ab aſpero labore, tanquã parcendo revocare: ut videatur piæ eſſe ſollicitudinis, quod eſt nocentiſſimæ ſuaſionis.* Sed remedia contra linguam doloſam dat Propheta. *Sagittas potentis acutas*, id eſt, *verba Dei, quæ cum animos fidelium penetrant, inflammant corda, non ſauciant.* Et, *carbones vaſtatores*, id eſt, *exempla ſanctorum, quos Dominus de* Pſalm. 80. In illum pſalm. In Pſal. 119 Pſal. 119. Vide Aug. lib. 9. Conf. cap. 2.

nigris

nigris lucidos, & de mortuis vivos fecit; quæ congeſta in ſinum cogitationis, urunt & abſumunt omnem torporem, & terrenam cogitationem.

Et cœpit loqui, id eſt, confiteri. Priùs jactabat merita, negabat aut excuſabat peccata, aut fortè etiã
æſtimabat, ut ſuavia quædam, & licita bona. *A*
Eccleſ.17. *mortuo, tanquam ab eo qui non eſt, perit confeſſio*, ait
Pſal.31. Sap. *Quoniam tacui*, ait Pſalmiſta, *inveteraverunt*
Aug. in illum pſal. *oſſa mea, dum clamarem tota die.* Dicuntur clamare, & tacere: clamant excuſando, tacent confitendo. Et quid illi contigit? *Inveteraverunt oſſa* ejus; ſi confiteretur peccata ſua, innovarentur oſſa ejus, id eſt, virtus ejus eſſet robuſta in Domino, quia inveniretur in ſe infirmus: modò autem, quia voluit in ſe eſſe firmus, factus eſt infirmus, & inveteraverunt oſſa ejus. Remanſit in vetuſtate, quia noluit confitendo amare novitatem.

Cœpit ergo loqui, confiteri, coram Deo, coram Sacerdote, coram toto mundo, ut Auguſt. in ſuis Conf. Non eſt alia ratio perveniendi ad pulchritudinem, quàm per confeſſionem.

Lib.1 ep.16 *Stultorum incurata malus pudor ulcera celat*, inq.
Pſal.95. Hor. *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus, præ-*
Aug. in hũc Pſal. Bern. *cedit confeſſio, ſequitur pulchritudo*, inq. Aug. *Ama*
ep.113. *confeſſionem*, ait S.Bern. *ob quam amaris; ama confeſ-*
Pſal.103. *ſionem, ſi affectes decorem. Confeſſioni jungitur decor,*
Pſal.95. *jungitur pulchritudo. Habes utrumque; Confeſſionem & decorem induiſti.* Et; *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus. Revera ubi confeſſio, ibi pulchritudo. Si*
Bern. ibid. *peccata ſunt, in confeſſione purgantur: ſi bona opera,*
Pſal.50. *confeſſione commendantur. Cùm mala tua confiteris,*
Pſal.49. *ſacrificium eſt Deo Spiritus contribulatus; cùm Dei beneficia, immolas Deo ſacrificium laudis. Bonum ani-*

Digitized by Google

ma ornamentum confeſſio, quæ & peccatorem purgat, & juſtum reddit purgatorem. Abſque confeſſione juſtus judicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur, &c. Eccleſ. 17.

Et dedit illum matri ſuæ. Hoc fit quando incorporatur, vel reconciliatur Eccleſiæ, per Sacerdotis abſolutionem, ut ſit ejus vivum membrum, quod eſt ad ſalutem neceſſarium. Si enim non ſit membrũ, certa mors & pernities; ſi non ſit vivum, abſcindetur, & ſic etiam in æternum peribit. *Quiſquis enim in Arca Noë non fuerit* (quæ Eccleſiam ſignificat) *peribit, regnante diluvio*, ait S. Hieron. Dictum eſt Eccleſiæ; *Gens & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit. Nec habere poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem*, inquit Cypr. de unit. Eccl. Ad Damaſum. Iſaiæ 6.

Omnes magnificabant Deum. Magnum opus, converſio & juſtificatio peccatoris. In primis opus magnæ potentiæ rebellem ad ſe compellere voluntatem, & in eo etiam *ſuam Deus manifeſtat omnipotentiam, parcendo ſcilicet & miſerendo*, ut canit Eccleſia. Eſt præterea opus magnæ beneficentiæ, hoſti tantum donum conferre, & non niſi damnationem merenti. Magna eſt Dei bonitas & potentia in rerũ creatione, major elucet in reparatione, quando tolerat & corrigit peccatores. Ideóque magnæ agendæ Deo gratiæ. Atque hoc agendo ſignificamus ejus gratiâ fieri, non humanis viribus; oratio & gratiarum actio ſunt Divinæ gratiæ teſtificationes. In orat. Dom. 10. poſt Pent. Aug. ep. 95 Epiſt. 1. c. 11.

Unde Cœleſtinus Pontifex: *Cùm*, inquit, *ſanctarum plebium Præſules, mandata ſibi legatione funguntur, apud Divinam clementiam humani generis agunt cauſam, & tota ſecum congemiſcente Eccleſia, poſtulant & precantur, ut infidelibus donetur fides,*

lapſis

lapſis pœnitentia,&c.*Hæc autem non inaniter à Domino peti, rerum monſtrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere plurimos dignatur attrahere,* &c. *Quod adeò totum Divini operis eſſe ſentitur, ut hac efficienti Deo gratiarum ſemper actio, pro talium illuminatione vel correctione referatur,*&c.& D.Proſper, *Supplicat ubique Deo Eccleſia, pro malis & infidelibus. Quid autem pro iſtis petit, niſi ut accipiant fidem, accipiãt charitatem? Quod quia ipſi ſibi præſtare nequeunt, malæ conſuetudinis pondere oppreſſi, & Diaboli vinculis alligati, miſericors & juſtus Dominus pro omnibus ſibi vult hominibus ſupplicari, ut cũ videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præſtitiſſe, quod ut præſtaret oratus eſt, & gratias agentes pro his qui ſalui facti ſunt, ſperemus etiam idem de reliquis. Quod ſi aliquos ſalvantis gratia præterierit, & pro eis oratio Eccleſiæ recepta non fuerit, ad occulta Divinæ juſtitiæ judicia referendum & agnoſcendum eſt, ſecreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non poſſe.*

Lib.1. de voc. gent. c.12.

1.Tim.2.

Eodem l. c.13.

MONITUM LXXXIX.

Arguet mundum de peccato.

Ioan. 16.

UT intelligeretur de quo peccato maximè arguendus ſit mundus, addidit Dominus; *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Dicit S.Aug. *Totus Chriſtus caput & corpus eſt; caput unigenitus Dei filius, & Corpus, ejus Eccleſia; Sponſus & ſponſa,*

De Vnit. Eccleſ. c.4.

Digitized by Google

ſponſa, duo in carne una. Non credit ergo Chriſtum, vel quicunque de ipſo capite non rectè ſentit, ſive de ipſo capite ab ipſis Scripturis diſſentit. Ut qui non credit Chriſtum eſſe Dei filium, unicum, Patri æqualem; non credit eum in carne veniſſe, de virgine Maria, ex ſemine David; aut non in corpore ipſo reſurrexiſſe, in quo mortuus & ſepultus eſt; quæ omnia apertiſſimè Scriptura Dei loquitur: hi non tenent caput. Vel quicunque de ipſo capite Scripturis ſanctis conſentiunt, & unitati Eccleſiæ non communicant, etiam in Chriſtum non credunt, quia non tenent corpus. Et revera nec ipſi Chriſto credunt, quia de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt. Ut illi qui communicant cum aliqua parte Eccleſiæ ſeparata, non cum toto corpore, quacunque diffunditur: negantes Catholicam Eccleſiam eſſe Eccleſiam Dei, quam tot ſignis & notis ipſe Chriſtus in Scriptura ipſa demonſtrat. Ergo in Chriſtum credit, qui & de Chriſto rectè ſentit, & unitati corporis ejus communicat.

Cōt. Creſc. lib. 2. c. 8.

D. Aug. *Quoſdam ſentientes, fidem tantum, non etiã legem bonorum operum eſſe tradendam,* ita confutat, ut Scripturas quibus legitur Philippus Evangelizaſſe Eunucho fidem, & fidem in Chriſtum ab eo baptizando exegiſſe; & Paulus ſolum Chriſtum Crucifixum inter Corinthios ſciviſſe, ſic exponit: *Hoc eſt evangelizare Chriſtum, non tantùm dicere, quæ ſunt credenda de Chriſto, non ſolùm cujus ſit filius ſecundùm divinitatem, unde ſecundùm carnem genitus, quæ perpeſſus, & quare; quæ ſit virtus reſurrectionis ejus, quod donum Spiritus promiſerit, dederitque*

De fide & operib. c. 9 & 10. Act. 8 1. Cor. 2.

 fideli

fidelibus. Sed etiam qualia membra, quibus ſit caput, quærat, inſtituat, diligat, liberet, atque ad vitam æternam perducat.

Qualia membra? videlicet ei adhærentia, quem ipſe caput ſuo loco conſtituit, & aliis Paſtoribus & Doctoribus, quos ipſe conſtituit huic cooperatores. Deinde, quæ carnem ſuam (cujus primum opus eſt infidelitas) crucifigunt cum vitiis & concupiſcentiis, per jejunia, vigilias, caſtigationes, &c. Et quia Fides ex libidine proprii ſenſus valde periclitatur, una & præcipua crucifixio eſt proprii ſenſus, (quo maximè ducuntur hæretici) per quam fit, ut omnia, quæ à Doctoribus præcipiuntur, promptè ſuſcipiant. Denique quæ vota ſua, caſtitatis & alia, Deo ſervant, &c. quæ omnia Scriptura Dei apertiſſimè loquitur. Si hoc ſit prædicare Chriſtum, ergo in eum credere, eſt de ipſo Chriſto, & de membris ejus rectè ſentire; & non credere, eſt vel de ipſo capite, vel de corpore non rectè ſentire.

Math.16 Ioan.ult. Epheſ.4. Galat.5.

De utroque locuti ſunt Prophetæ, & clariùs de Eccleſia, quàm de Chriſto, *quòd*, ut inquit S. Aug. *videbant in ſpiritu, homines maiorem de Eccleſia contentionem habituros quàm de Chriſto, & particulas contra ipſam facturos.* Et quid prodeſſet Chriſti cognitio ſine cognitione Eccleſiæ? Certè extra eam Chriſti cognitio nihil prodeſt. Unde alibi dicit Aug. *In Chriſto & Eccleſia ſpem ponendam eſſe. Advenientibus rebus, quarum erant umbræ illæ obſervationes, id actum eſt, ut oſtenderetur in ipſis umbris non eſſe ſpem ponendam, ſed in ipſis rebus, quas illæ umbræ ſignificabant, eſſe venturas, id eſt, Chriſtum & Eccleſiam.* Ita Aug.

In pſal.30 conc.2. Cont. Adimant.c.16.

Quia

Digitized by Google

Quia autem tam eſt Eccleſiæ cognitio neceſſaria, ideo etiam Chriſtus fecit eam omnibus etiam rudioribus manifeſtam. *Eccleſia*, inquit Aug. *quæ à* Ench. c. 61. *cœleſti peregrinatur in terris, eo nobis notior eſt, quod in illa ſumus, & quia hominum eſt, quod & nos ſumus. Non poteſt*, inquit, *Civitas abſcondi ſupra montem* Matth. 5. *poſita*. Mons Chriſtus eſt, *qui implevit univerſam* Daniel. 2. *terram*; in quo domus Domini Eccleſia ædificata Aug. tract. 1. in can. & fundata eſt; quam Prophetæ prædixerunt ita Ioan. Cont. fore conſpicuam, ut omnes gentes ad eam con- Fauſt. lib. 3. currerent pro doctrina Dei: ad eam (inquam) quæ cap. 13. & 14. De in Ieruſalem eſt orta, ex *qua deinde lex & verbum* Vnit. Eccl. *Domini promanavit ad omnes gentes*. Chriſtus cui- cap. 14. libet mandat, *ut bona opera ejus luceant coram ho-* Iſaiæ 2. *minibus*. Philippenſes exigua Eccleſiæ pars, *luce-* Mich. 4. *bant inter fideles, ſicut luminaria cœli*: & adhuc pu- Matth. 5. Philip. 2. tabimus totius Eccleſiæ fidem & bona opera non lucere, & Chriſtum hanc lucernam ſub modio poſuiſſe, qui *replevit terram ſcientia ſui, ſicut aqua ma-* Iſaiæ 11. *ris operientes?* Matth. 18.

Quomodo juberet Chriſtus fratrem monitis reſiſtentem *ad Eccleſiam deferri*, ſi occulta eſſet Eccleſia? Si manifeſta non eſt Eccleſia, quomodo mandatur cuilibet, *ut ſi perire nolit, ſerviat Eccleſiæ?* Iſaiæ 60. Certè Iſaias pronuntiat, *quod aperientur portæ Eccleſiæ jugiter; die ac nocte non claudentur, ut adferatur ad eam fortitudo gentium, & reges earum adducantur*. Et pro ratione ſubdit; *Gens enim & regnum quod non ſervierit tibi, peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur*. Pronuntiat quoque quod *gentes ambulabunt in lumine Eccleſiæ, & quod gloria Domini in* Ibidem. *Eccleſia videbitur*. Pronuntiat quod *ſcietur in gentibus ſemen Apoſtolorum, & germen eorum in me-* Iſaiæ 16.

dio pupulorũ.Omnes qui viderint eos (inquit) *cognoſcent illos,quia iſti ſunt ſemen,cui benedixit Dominus.* Et multa alia,quæ ex Scripturis adferri poſſent.

Vide Heſſ. in Symb. Imò etiam imperitis Scripturarum planè fulget. Sed quomodo? Quia cernunt perpetuam doctrinæ conformitatem; vident Sacerdotium continuatum; vident conſenſum gentium in doctrina humanum captum ſuperante, per omnia loca & tempora; quod non ſine magnis miraculis fieri poſſe putant. Vident in Eccleſia malos homines mutari in bonos; vident in ea Heroïcam virtutem, vident & communem; vident denique pleniſſimam, pro qua Chriſtus rogavit, in ea unitatem. Audiunt inimicos Chriſti Iudæos teſtari libros Prophetarum non eſſe confictos à Chriſtianis, & quæ vident impleri, ea quoque audiunt in illis prædicta eſſe; vident ſocietatem fidelium duraſſe inter tot & tam ſævas perſecutiones, Tyrannorum, Philoſophorum, hæreticorum, ſemperque viciſſe: Imò ipſaſmet perſecutiones Eccleſiæ in Scripturis prædictas fuiſſe audiunt. Poſtremò (ut plura non adferam) audiunt hæreticos recèns exortos particularis loci eſſe, pravoque aliquo affectu ſtimulatos prodiiſſe.

Ioan.17.

Aug.ep.3 ad Voluſ. lib.3.cont. 2.ep.Pel. c.4.lib.4.de Civit. c.ult. l.18.c.46. ep.59.qu.2. & alibi.

Qui ergo veram Chriſti Eccleſiam non vident, tot Scripturis oſtenſam, infidelitatis ſuæ impediuntur obſcuro, *nec fulget illis illuminatio Evangelij*, quia ſuâ malitiâ excæcati ſunt, cùm & ipſi qui rudiores ſunt, ac Scripturarum imperiti, cùm advertunt ea, quæ jam dicta ſunt, facilè inducantur ut credant Chriſtum eſſe Deum, ejuſque Eccleſiam ab eo ſanctificari; & quam tot ſignis, atque indiciis jam noverunt, ejus verè non dubitent eſſe Eccleſiam;

2.Cor.4.

cleſiam: alioqui meritò arguendi de peccato, videlicet infidelitatis, quòd non credant in Chriſtum (quod per excellentiam Peccatum vocatur) hoc Thren. 1.
eſt, in corpus Chriſti, ſive Eccleſiam, *tabernaculum* Ioan. 15. Pſal. 18.
ejus in ſole poſitum.

Ac priores quidem hæreſes fuerunt de Chriſto capite. Sic Photinus, Arius, Neſtorius, Eutyches, Pelagius, Chriſti redemptoris myſterium exagitarunt. Nunc tota controverſia eſt ſuper vera Chriſti Eccleſia, alij eam defeciſſe de toto terrarum orbe, alij ſenio delirare, alij interruptam, redactamque ad paucorum hominum ſomnia & figmenta, dicunt. In qua tentatione, ut vehementer terrere debet Eccleſiam judicantes ſeu damnantes, tanquam non ſit vera Chriſti Eccleſia; ita plurimùm Iſaiæ 49.
Eccleſiæ filios conſolatur illud Iſaiæ, in perſona Dei dicentis Eccleſiæ; *Eos qui judicaverunt te, ego judicabo, & filios tuos ego ſalvabo,* id eſt, qui tibi firmiter adhærent, fidem tuam & doctrinam ſequuntur & ſervant.

Nemo aſcendit in cœlum, inquit Chriſtus, *niſi* Ioan. 3.
qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. *Tanquam de ſe ſolo videtur dixiſſe,* ait D. Auguſti- Ser. 14. de verb. Apoſt
nus. *Ergo cæteri remanſerunt? Quid debent facere* Pſal. 103.
cæteri? Uniri corpori ipſius, ut ſit unus Chriſtus, qui Epheſ. 5.
deſcendit & aſcendit. Deſcendit caput, aſcendit cum Coloſſ. 1.
corpore, veſtitus Eccleſia ſua, quam ſibi exhibuit ſine macula & ruga, &c. Sic dicit Apoſt. ſe *adimplere ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne ſua. Chriſtus* In pſal. 86.
paſſus eſt omnia, inquit Auguſt. *quæ pati debuit, ex* Ioan. 19.
ſua voluntate, non ex peccati neceſſitate: unde in Cruce dixit, Conſummatum eſt, id eſt, jam de menſura paſſionum nihil deeſt, quia omnia quæ de me

Digitized by Google

dicta ſunt, completa ſunt. Ergo impleta erant paſſiones in capite, ſed reſtabant adhuc in corpore. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra, &c. *Sola eſt Eccleſia Catholica* (ſic dicta, quod ſit omnium locorum & temporum, quod nulli hæreticorum conventiculo convenit,) *quæ verum cultum retinet*, inquit Lactant. *Hic eſt fons veritatis, hoc eſt domicilium fidei, hoc templum Dei. Quò ſi quis non intraverit, vel à quo ſi quis exierit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt. Neminem ſibi oportet pertinaci concertatione blandiri: agitur enim de vita & ſalute, cui niſi cautè & diligenter conſulatur, amiſſa & extincta erit.*

De vera Sapientia lib. 4.

MONITUM XC.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.

Ioan. 8.

OMnes ex Deo ſumus ſecundùm naturam, etiã ipſe Diabolus; ſed non ſecundùm gratiam, ſapientiam, affectum: Sicuti boni ex Deo ſunt, ut Paulus ait; *Ipſius ſumus factura, creati in operibus bonis,* &c. Et David, *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*, ſcilicet, *ut eſſemus populus ejus, & oves paſcuæ ejus.* De impiis dicitur, *Vos ex patre Diabolo eſtis,* videlicet ſecundum corruptionem, ignorantiam, concupiſcentiam malam. Illud eſt venenum, antiqui ſerpentis pravis ſuggeſtionibus afflatum. Factus quidem fuit homo in veritate, in vera ſapientia & juſtitia; ſed in ea non ſtetit, (ſicut nec Diabolus) utrumque ſua voluntate perdidit, quando Diabolo

Epheſ. 2. Pſal. 94. Ioan. 8. Ioan. 8.

lo conſenſit,& tales omnes genuit, qualem ſe ipſe peccando fecit.

Hinc homo verba veritatis non audit,ſed odit: reſiſtit,quia *perdidit omnium virtutum ſemina,beneficio creatoris inſerta,& pro illis bibit omnium vitiorum venena*,inq.S.Proſp.Si talis eſſet,qualis à Deo factus eſt,audiret,amaret, ſequeretur. Hinc meritò reprehenditur,quia ſeipſum excæcavit, ſibi oculos eruit ; & hanc cæcitatem, hoc ignorantiæ & concupiſcentiæ vulnus,peccatis peccata addendo, auget quotidie.*Corrũpitur enim vetus homo*,ait Apoſt. id eſt,in corruptione proficit,*per deſideria erroris*, quando videlicet eis ſervit & obedit. *Inveteravi*, inquit David,*inter inimicos meos*,id eſt,ſocios peccati,& vitæ præteritæ,qui putantur amici,& ſunt peſſimi inimici, damnationis noſtræ autores. Naſcimur mali,malorum conſuetudine deteriores efficimur.*O nimis inimica amicitia*,clamat Aug.*ſeductio mentis inveſtigabilis!*

Proſper Cont. coll. c.17.& 19.

Epheſ. 4.

Pſal.6.

In Confeſſ. lib.2.c.9.

Hinc nova creatione,nova reparatione indiget homo , ut ſanetur , & poſſit audire verba veritatis. De qua creatione David ; *Cor mundum crea in me Deus*.Et Apoſtol. *In Chriſto Ieſu valet nova creatura*. Et rurſum David ; *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur* ; non homines , quod jam ſunt , ſed fideles,boni, & ſancti. Qui ergo ex Deo eſt, reparante & renovante quod rectum fecerat,verba Dei audit, cum effectu , ſic ut credat , ſequatur. Qui autem hac gratia eſt deſtitutus , non audit. Unde dicitur : *Ideo vos non auditis,quia ex Deo non eſtis*. Sed quare non omnibus dat illam gratiam ? ut verè agnoſcatur eſſe gratia. Ea enim , vel quibus nunquam caruimus ; vel quæ cum omnibus com-

Pſal.50.
Galat.6.
Pſal.103.

Ioan.9.

Aug.epiſt. 107.l.1.de pec.merit. cap.21.li.2 cap.17.19. Serm.1.de Septuag.

munia habemus, non ex gratia accepta putamus, ſed vel viribus noſtris, vel meritis noſtris aſcribere ſolemus. Quibus dat, miſericorditer dat; quibus non dat, juſtè non dat; omnes enim hoc meruerunt.

D.Bernard.Inter ea quæ homini fiduciam præbent, quod ſit de numero electorum, præcipuum eſſe ait, hoc verbum Domini: *Qui ex Deo eſt*, id eſt,electus ab eo ad vitam æternam, *verba Dei audit*; non mundi, qui ad vanitates; non carnis,quæ ad libidines; non diaboli, qui ad omnia ſcelera vocat. Certitudinem ſalutis noſtræ non habemus, *ut perſeverantem humilitatem utilis ſervet metus,* ait D.Proſp.Unde & Apoſtolus vult, *ut cum metu & tremore ſalutem noſtram operemur*.Qui quidem metus, Primò naſcitur ex conſideratione Divinæ juſtitiæ, nullum malum impunitum relinquentis. Hinc Job; *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti*.Secundò, ex conſideratione humanæ malitiæ, crebrò nimis & occultè in corde latentis: Vnde Apoſtolus, non audebat *ſe juſtum judicare,etſi nihil ſibi eſſet conſcius*. Tertiò ex conſideratione humanæ impotentiæ ad bene agendum & perſeverandum, ſi unquam ei deſit auxilium Dei,quod ille,cui voluerit,donat.

Lib.2.de voc.gent. cap.ultim. Philip.2. Job 9. 1.Cor.4. Ioan.19. & ibi Aug. Ioan.10.

Non tamen Chriſtiano deeſt ſpes ac fiducia ſalutis, quæ in eo naſcitur,quando verba Dei audit, de fide,pœnitentia,charitate, profectu, perſeverantia.Dicebat Chriſtus Pilato; *Omnis qui eſt ex veritate,audit vocem meam:* quod de filiis promiſſionis intelligit Auguſt.Et, *Oves meæ vocem meam audiunt*.Oves ſuas, electos vocare ſolet. Et Ioannes; *In hoc cognoſcimus,quoniam ex veritate ſumus,*

1.Joan.3.

quoniam

quoniam diligimus fratres, non verbo, neque lingua, ſed opere & veritate: ad quam dilectionem ubique hortatur nos Dominus. Et vult Petrus, *ut per opera bona*, quæ nobis præcipit Dominus, *certam vocationem noſtram, & electionem faciamus.* Certam, non certitudine fidei, ſed fiduciæ. Credimus vitam æternam; illam nos habituros ſperamus. Vnde & ea appellat Bern. *præteritæ electionis indicia, futuræ beatitudinis præſagia.* Sic in epiſt. ad Thomam Præpoſitum; *Quos*, inquit, *ab æterno prædeſtinat, in æternum beatificat, intercedente media vocatione, & juſtificatione. Sic ad ortum ſolis juſtitiæ Sacramentum abſconditum à ſæculo de prædeſtinatis & beatificandis emergere quodammodo incipit ex abyſſo æternitatis, dum quiſque vocatus per timorem, juſtificatus per amorem, præſumit ſe quoque eſſe de numero beatorum, ſciens nimirum, quia quos juſtificavit, illos & glorificavit. Quid enim? audit ſe vocari, cùm timore concutitur: ſentit ſe juſtificari, cùm amore perfunditur, & de glorificatione diffidet? Initiatur, provehitur, de ſola conſummatione deſperabit?* 2. Pet. 1.

Loquitur autem Deus hominibus, tribus potiſſimùm modis, *per occultas inſpirationes & admonitiones, per manifeſta eloquia ſua, per fraternas ſermocinationes.* Et ad hanc vocem Domini audiendam omnes hortatur Apoſtolus ex Davide; *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Et ſeipſum D. Auguſt. *Noli*, inquit, *eſſe vana, anima mea, & obſurdeſcere in aure cordis tumultu vanitatis tuæ. Audi & tu: Verbum ipſum clamat, ut redeas.* Audit verò, qui credit, diligit, perficit. Sic verba Dei *verba ſunt vitæ æternæ*, quia credita & obſervata, Aug. li. 1. de Trinit. cap. 3. & Fulg. lib. 1. cap. 4. ad Monimum. Heb. 3. Pſal. 94. In Conf. l. 4. cap. 11. Joan. 6. 1. Pet. 1.

vata eò ducunt. Sic *Verbum Dei manet in æternum*, quia creditum & obſervatum, vim habet perducendi hominem ad immortalitatem. Alioqui quibuſdam, ut ait Apoſt. *eſt odor mortis in mortem.* Et Chriſtus de Judæis, *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Sic verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt; nobis autem*, inq. Apoſt. *Dei virtus eſt*. Et de Evangelio dicit; *Virtus eſt Dei in ſalutem omni credenti.* Unde & Jac. 1. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.*

2. Cor. 2.
Ioan. 15.
1. Cor. 1.
Rom. 1.

Sermo ergo eſt de auribus cordis, non corporis, quibus etiam impii Deum loquentem audiebant, ſed contemnebant, reſiſtebant. Unde dicunt in Evang. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Qui habet aures audiendi, audiat*, inquit Chriſtus, id eſt, gratiam credendi, intelligendi, ſequendi, quam intus Deus infundit. *Quam qui accipiunt, doctrina ſalutari ſanctarũ Scripturarum, etſi fuerint inimici, fiunt amici; quam qui audiunt & legunt ſine gratia Dei, peiores ejus efficiuntur inimici. Aperire enim debet Deus oſtium verbi, ut credatur in Deum. Quomodo verò aperitur oſtium verbi, niſi cùm ſenſus aperitur audientis, ut credat? & initio fidei facto, ea quæ ad ædificandam ſalubrem doctrinam prædicantur & diſputantur, admittat, ne per infidelitatem corde clauſo, ea quæ dicuntur, improbet ac repellat. Opus eſt hoc gratiæ, non naturæ; gratiæ, quam nobis attulit ſecundus Adam; non naturæ, quam totam in ſemetipſo perdidit primus Adam.* Hæc Divus Auguſtinus.

Ioan. 8.
Matth. 13.
Aug. epiſt. 107. ad Vital.
Coloſſ 4.
Auguſt. de prædeſt. Sanct. c. 20.

Reſpondit autem Chriſtus calumniis ac contumeliis Judæorum admodum rationabiliter, ac

man

manſuetè; *Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum, & vos inhonoraſtis me*; noſtram confundens ſuperbiam, qui vel leviter exagitati, atrociores injurias reddimus, quàm accepimus. *Chriſtus cum malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur.* Quod exemplum ſecuti Apoſtoli; *Maledicimur*, ait Paulus, *& benedicimus; blaſphemamur, & obſecramus.* Ad idem hortatur & alios dicens; *Benedicite perſequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere.* Et Petrus: *Non reddentes maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes.* 1.Pet.2. 1.Cor.4. Rom.12. 1.Pet.3.

Defendere quidem poſſumus, ac debemus bonum nomen ac famam noſtram, maximè quando id proximis neceſſarium eſt, *quibus conſulere non poſſumus, ſi nimia dejectione vileſcamus.* Unde & Sapiens ait, *Curam habe de bono nomine*: ne perdatur, & ſi perditum ſit, ut reſtituatur, vel recuperetur. Et Patres monent diligenter utriuſque rationem habendam, & conſcientiæ, & famæ: conſcientiæ propter noſipſos, famæ propter alios. Tamen malum pro malo, maledictum pro maledicto reddere non poſſumus. Unde orat Propheta; *Redime me à calumniis hominum*; non ut non patiar, ſed ne eis cedam, calumniam pro calumnia reddendo, ad quod homines admodum ſunt proclives. Et alibi gratias agens Deo: *Ipſe*, inquit, *liberavit me à verbo aſpero*, non ut non audiam, ſed ne referam. Cogitanda ſententia Domini: *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines*, &c. Aug.epiſt. 64.ad Aurel. Eccl.41. Hieron.ad Celantiam. Aug.de cõmuni vita clericor. 1.Pet.3. Pſal.118. Pſal.90. Matth.5.

Sed diligenter inſpiciendum reſponſum Domini. Duo objecerant, quod Samaritanus eſſet; & quod dæmonium haberet. Prius diſſimulat, illud

August.in hunc locũ Hier.in epiſt.ad Aſellam.

nomen ſecundum ſignificationem, ſciens ſibi competere: Et hoc notat D. Auguſt. quod non negaverit ſe Samaritanum, quia cuſtodem ſignificat. Sicuti & S. Hieronymus: *Chriſto*, inquit, *cùm diceretur, Samaritanus es, & dæmonium habes; dæmonium renuens, Samaritem ſe non negavit; quia quem nos cuſtodem, Hebræi Samaritem vocant.* Ille autem verus eſt cuſtos Eccleſiæ & omnium electorum, nunquam dormiens neque dormitans, qui *niſi cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilatur ab aliis. Manus ejus*, inquit S.Bern. *ſemper operans, oculus ſemper vigilans.* Et tametſi Prælati ſeu Paſtores ovium ſuarum, ſæpè dormiant, ejus tamen miſericordia ſemper vigilat ſuper eas, hinc non pereunt. *Dominus cuſtodit te ab omni malo*, ait David. Sed quomodo, *non ut nihil patiatur adverſi, ſed ut ipſis tribulationibus anima non lædatur*, ait Auguſtinus, & Proſp. *Dominus cuſtodit introitum tuum, & exitum tuum; quia facit ut tentationem ſuſcipiat & finiat ſine vulnere animæ.* Sic Auguſt. *Vel cuſtodit introitum ejus, videlicet ad fidem, ne intrans Eccleſiam ſupplantetur erroribus: & exitum, ad ſpeciem, ne exiens ex hac vita ad æternam, rapiatur ab hoſtibus.* Sic Gregor.

Pſal.120. Pſal.126. Vide lib.9. Conf.cap.8 Pſal.126.

Auguſt.& Proſp.in hunc Pſal. Greg.hom. 13.lib.Ezechiel.

Alterum verò negavit Chriſtus, quod dæmonium haberet, docens nos, quoties agitur de gloria Dei, quoties adverſus impios defendenda eſt Evangelica doctrina, vehementes ſimus & acres. Sic D. Baſilius, cùm ei Præfectus diceret; Nemo me hactenus ita, tamque liberè allocutus eſt; reſpondit: *In aliis rebus erga omnes etiam viliſſimos placidi, & abjecti ſumus; verùm ubi*

Nazianz. in orat.de laudib. Baſilii.

Deus

Deus nobis periclitatur & proponitur, tum verò omnia alia pro nihilo putantes, ipſum ſolum intuemur. Et, cùm moneretur à Præfecto, ne tot Chriſtiani orbis Eccleſias propter dogmatum ſubtilitatem diutiùs exagitari pateretur; reſpondit: *Eos qui divinis ſunt eloquiis enutriti, corrumpi de Divinis dogmatibus, ne unam quidem ſyllabam ſinere; ſed quaſvis citius mortis ſpecies amplecti.* Eſt inſigne exemplum in magno Spiridione, qui audiens Tryphillium Epiſcopum in Concil. Nic. orantem, virum eloquentiſſ. ut teſtatur Hieron. & loco Grabati, dixiſſe lectum humilem; aſſurgens Spiridion, *Túne*, inquit, *melior es illo qui Grabatum dixit, ut verbis ejus uti dedigneris?* Hiſt. trip. lib. 7. c. 36. Refert Sozom. li. 1. c. 11.

Quid, inquit D. Ambroſ. *nos dignum Creatori noſtro referimus? cujus pane veſcimur, & diſſimulamus iniurias?* Queritur Hieronym. *Nationes adverſariorum immortali odio perſequimur, blaſphemantibus Deum clementem porrigimus manum.* Refert de quodam ſtulto D. Auguſt, quod cùm *eſſet propriarum injuriarum mira fatuitate patientiſſimus, injuriam tamen Chriſti nominis ſic ferre non poterat, ut blaſphemantes cordatos, à quibus hæc ut provocaretur, audiebat, inſectari lapidibus non deſiſteret, nec in ea cauſa vel Dominis parceret.* D. Chryſoſt. vult blaſphemum increpari, & ſi opus ſit, percuti etiam. *Ipſius faciem*, ait, *alapa percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica; & ſi ideo caperis*, inquit, *& incarceraris, & Iudex pœnas exigit; dic liberè, Regem angelorum blaſphemavit: Si Regem terræ blaſphemantem puniri oportet, quanto magis eum qui Regem cœlorum.* In lib. Hexam. lib. 6. Ad Pammach. contra errores Ioan. Ieroſol. lib. 1. de peccat. merit. c. 22. Hom. 1. ad popul.

Sic Moyſes zelum Dei oſtendens contra eos qui

qui adoraverant vitulum aureum, *Si quis eſt Domini*, inquit, *jungatur mihi.* Et poſt cædem multorum millium factam à Levitis; *Conſecraſtis*, ait, *manus veſtras hodie Domino, ut detur vobis benedictio.* Phinees quoque cum vidiſſet unum de filiis Iſraël intrantem ad ſcortum Madianitidem, zelo Dei commotus, ingreſſus eſt poſt eum in lupanar, & perfodit ambos ſimul. Propter quod laudatus eſt à Domino, & inſigni promiſſione ornatus, ceſſavitque plaga à filiis Iſraël. Sic & Matathias videns quendam Iudæum in oculis omnium ſacrificantem idolis, doluit, & accenſus eſt furor ejus ſecundum judicium legis, & inſiliens trucidavit eum, ſimulque virum immolare cogentem, & aram deſtruxit, & zelatus eſt legem, ſicut fecit Phinees ſacerdos. Denique Chriſtus Dominus prophanantes Dei templum flagello de funiculis facto violenter ejecit. Recordati ſunt verò diſcipuli ejus, quia ſcriptum eſt; *Zelus domus tuæ comedit me.*

Num.25. 1.Mach.2. Joan.2. Pſal.68.

MONITUM XCI.

Solvite, & adducite mihi.

Matth. 21.

CUm dicitur in Evangel. quod miſerit duos diſcipulos, ſignificatur duplex ordo prædicatorum; quorum alter miſſus ad gentes, alter ad Iudæos. Aſina ad Judæos pertinet, qui Deum colebant, & ejus nutu ac lege regebantur: Pullus,

lus,cui nemo inſederat, ad gentes, quæ nunquam ſectatæ fuerant Dei cultum, permiſerat illas ingredi vias ſuas, reliquerat eas ſine doctrina,lege, gratia,&c. *Annuntiatus eſt tandem Chriſtus iis qui longè & qui propè erant.* Iudæi propè erant,ob notitiam & cultum unius Dei; Gentiles longè, ob ignorantiam unius Dei, & cultum idolorum. Chriſtus autem *pax noſtra eſt, qui fecit utraque unum,* fecit ex duobus unum populum, unius fidei ac religionis. *Lapis eſt angularis,* qui duos parietes, id eſt, populos diverſarum religionum, conjunxit.

Actor. 14. Epheſ. 2. Pſal. 117. Iſaiæ 28. 1. Pet. 2.

Vterque populus ligatus erat, quia uterque funiculis peccatorum conſtrictus. Quibus peccatis & quàm horrendis utraque gens obnoxia fuerit, declarat Apoſtolus. *Vnuſquiſque,* inquit Sap. *funiculis peccatorum ſuorum conſtringitur;* per ea enim & à benefaciendo impeditur, *captivuſque tenetur à Diabolo, ad ipſius voluntatem;* & per ea ſic devinctus tenetur coram Domino ad certum ſupplicium, ut illud evadere, manentibus ſuis peccatis, nullo modo poſſit. A primo vinculo ſolvitur, quando miniſterio prædicatorum, docendo, monendo,exhortando, corripiendo, &c. Deo intus operante,eò adducitur,ut peccare deſiſtat,peccata odio habeat, & deteſtetur. A ſecundo verò ſolvitur, quando eorundem miniſterio,vel baptizantium, vel abſoluentium,etiam à reatibus liberatur, quos per peccata incurrit.

Rom. 1. & 2. Prov. 5. 2. Timot. 2

De his intelligit Aug. illud Pſalmi, *Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum.* Redimit ab iniquitate,quando liberat à malitia,& affectu pravo, in quo ſic detinetur peccator, ut niſi Dominus illum

Pſal. 71. Aug. in illud Pſal.

Ioan. 8. 2. Pet. 2. lum ſoluat, non poſſit non peccare. *Qui enim facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Et, *A quo quis devictus eſt, hujus & ſervus eſt.* Orat David, *De neceſſitatibus meis erue me. Cupiditates noſtræ, quando validæ ſunt, & quando eis ſervimus, neceſſitates vocantur,* inquit Auguſt. Et Apoſtolus de peccatore ait, *Venundatus ſub peccato, quia quiſque animam ſuam Diabolo vendit, accepto tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis,* ait idem Aug. Ab uſuris autem redimit, quando à ſuppliciis liberat, quæ per peccatum incurrit. Quæ rectè uſuræ dicuntur, quia majora ſunt, quàm ipſius voluptas peccati. In uſura plus redditur, quàm datum eſt; ſic in peccatis eſt quædam uſura, quia pœna, quæ peccato redditur, major eſt, quàm voluptas, quæ in eo percipitur. *Momentaneum enim eſt quod delectat, æternum verò quod cruciat. Et quæ major ſtultitia, quàm propter bonum momentaneum, perdere bonum æternum?* ait S. Aug. *Et quid inſanius, quàm propter modicam delectationem carnis, æternis ſe obligare incendiis,* inquit D. Gregor.

In pſal. 30. conc. 1. — Rom. 7. — Aug. in epiſt. ad Rom. — Pſal. 71. & ibi Auguſt. — Auguſt. de agone Chriſt. — In Moral.

Soluite, inquit, *& adducite mihi.* Peccatores longè à Deo ſunt, & *ſolis peccatis à Deo ſeparamur;* illis ſolutis, ad eum accedimus, ei propè efficimur, in ejus gratiam ac amicitiam venimus. Deinde accedunt ad eum, quando ei ſimiles fiunt in charitate, humilitate, manſuetudine, caſtitate, &c. & quo ſimiliores, eo fiunt propiores. *Deo,* inquit D. Aug. *qui ubique eſt, non locis, ſed actionibus, aut longinqui, aut proximi ſumus; quia ſicut ſeparat diſſimilitudo, ita nos illi conjungit imitatio.* Ergo hic ſignificatur officium Paſtorum, ſolvere ligatos, & ad Chriſtum adducere, orationibus, miniſterio verbi Dei, Sacra

Aug. de Civit. l. 10. cap. 22. — Proſp. ſent. 91.

Digitized by Google

cramentorum, &c. Cauſa adventus Chriſti non fuit, *niſi peccatores ſalvos facere*; eandem curam commiſit ſuis miniſtris. Illi ſunt, qui debent *ſuſcitare ſemen fratri ſuo*, id eſt, Chriſto mortuo ſine liberis; quia non adhuc habet plenum numerum electorum ſuorum. *Spuebat mulier in faciem ejus, qui nolebat ſuſcitare ſemen fratri ſuo, & tollebat calceamentum de pedibus*, ignominiæ & dedecoris cauſa. Idcirco *admodum venerabatur S. Franciſcus prædicatores; quòd ſemen fratri ſuo, Chriſto, ſuſcitarent*, qui videlicet, ejus vocentur nomine, Chriſtiani; qui ei ſerviant, & obediant in omnibus.

1. Timo. 1. Aug. li. 32. cap. 10. cont. Fauſt. Gregor. in Paſt. parte 1. cap. 5. Deut. 25.

Bonav. in vita, cap. 8.

Si quis vobis aliquid dixerit, ait Chriſtus. Multi ſunt, qui impedire conantur & Veritatis prædicationem, & aliorum ad Chriſtum converſionem; parentes, filiorum; amicus, amici, minis, blanditiis, irriſionibus, & aliis modis. Apud Lucam dicitur, quod *Domini contradixerint*. De ſervitute habet Auguſtin. *Bonus, etiamſi ſerviat, liber eſt; malus, etſi regnet, ſervus eſt; nec unius hominis, ſed quod gravius, tot dominorum, quot vitiorum*. Et, *Melior eſt ſtatus ejus, qui ſervit homini, quàm qui ſuæ ſervit cupiditati*. Hi ſunt Domini, qui contradicunt, & impediunt converſionem ad Deum. Inclinationes & concupiſcentiæ malæ, quibus antè ſerviebat peccator: alius ſerviebat libidini, alius avaritiæ, alius ambitioni; alius huic errori; alius iſti implicitus erat. *Unuſquiſque*, clamat Iſaias, *in viam ſuam declinavit*; non ſolùm peccando, ſed & errando. *Præoccupatus aliquo errore animus, & propria ſententiæ præjudicium*, impediunt fidei & veritatis perceptionem; ſicut cupiditates malæ

Apud Proſp. ſent. 53.

Ibidem Sent. 164.

Iſai. 53. De peccat merit. lib. cap. 53. De doct. Chriſt. lib. 3. cap. 10.

Digitized by Google

vanitatum & vitiorum, juſtitiæ receptionem.

Dicite, Dominus his opus habet, id eſt, requirit operam eorum; non neceſſitate, ſed miſericordia; non ſua utilitate, ſed aliena. Priùs Diabolo ſerviebant, & is eorum opera utebatur; nunc Dominus vult eorum opera uti. Sic electi vocantur vaſa miſericordiæ, tum quia quicquid boni habent, miſeratio Domini eſt; tum quia inſtrumenta ſunt, quibus Deus miſericorditer utitur ad propriam ipſorum ſalutem. *Deus noſtro non indiget obſequio*, inquit Hier. *ſed nos illius indigemus imperio, qui ideo aliquid imperat, ut cauſas habeat remunerandi. Nihil Deus jubet*, ait Aug. *quod ſibi prodeſt, ſed illi cui jubet: ideo verus eſt Dominus, qui ſervo non indiget, & quò ſervus indiget. Quid prodeſt Deo ſi juſtus fueris, aut quid ei conferes, ſi immaculata fuerit vita tua?* dicitur apud Iob. Unde David; *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Non ſolùm*, inquit Aug. hanc Scripturam tractans, *pecore, vel aliqua alia corruptibili re, ſed ne ipſa quidem juſtitia hominis Deum egere credendum eſt, totumque quo rectè colitur Deus, homini prodeſſe, non Deo. Neque enim fonti quis ſe dixerit prodeſſe, ſi biberit; aut luci, ſi viderit. Servio tibi*, ait idem Aug. *non quaſi ne fatigeris in agendo, aut ne minor ſit poteſtas tua, carens obſequio meo; ſed ut de te mihi bene ſit, à quo mihi eſt ut ſim cui bene ſit.*

In epiſt. ad Celant.

Apud Proſ. ſent. 39.

Iob 22.

Pſalm. 15.

De civit. lib. 10. c 5.

Li. 13. Cōf. cap. 1.

Et confeſtim dimittet eos. Significatur Divinæ vocationis efficacia, cui nemo poteſt reſiſtere. Dicebat Mardochæus; *In ditione tua, Domine, cuncta ſunt poſita, & non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſaluare Iſraël. Si Deus pro nobis*, volens nos vocare, juſtificare, glorificare, *quis contra nos?*

Eſther 13.

quis

quis poterit impedire? Dicit Chriſtus ad Ieruſalem; *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti? Quid ergo? eſtne voluntas Dei ſuperata à voluntate hominum; & infirmiſſimis impedientibus, non potuit facere potentiſſimus, quod voluit? qui ut Pſalmus loquitur, Omnia quæcunque voluit fecit, in cœlo, & in terra? Sed*, inquit Aug. *quamvis illa noluit, tamen illa etiam nolente, quos voluit congregavit.* Rom. 8. Matth. 23. Enchir. cap. 97. Pſal. 134.

Oculum tuum, ait idem Domino, *non excludit cor clauſum, & manum tuam non repellit duritia hominum, ſed ſoluis eam cùm voles, aut miſerans, aut vindicans, & non eſt, qui ſe abſcondat à calore tuo.* Et alibi: *Omnipotenti medico nihil eſt inſanabile, non renuntiat alicui; opus eſt, ut tu curari velis; opus eſt, ut manus ejus non refugias; ſed etſi nolis curari, vulnus tuum admonet, ut cureris, & averſum revocat, & refugientem quodammodo ad ſe redire compellit, & attrahit. In omnibus implet quod dictum eſt, Miſericordia ejus præveniet me.* Orat Eccleſia; *Ad te, Domine, noſtras etiam rebelles compelle voluntates.* Et S. Auguſt. *Nunquid*, ait, *ubi audieris Sacerdotem Dei ad ejus altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipſum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem ſuam venire compellat, non reſpondebis, Amen?* Conf. li. 5 cap. 1. Pſalm. 18. In pſal. 58. Pſalm. 58. Epiſt. 107.

Non verò ad hoc quiſquam gratiam accipit, ut vel otioſa mens ejus, & voluntas remaneat, vel ineluctabili neceſſitate operetur, ſed ut hoc ipſum liberè faciat, quod ſine illa gratia nullo modo poſſit. Non quòd gratia ipſum nobis liberè operandi conferat modum, quem invenit in natura; ſed quòd ſic operetur in nobis, efficaciterque, & tamen ſuaviter nos moveat, ut illum inco- Vide Leſſ. de lib. Chriſt.

Digitized by Google

lumem, ſalvumque relinquat. Deus in unaquaque re creata operatur ſecundum propriam ejus conditionem & naturam, idcirco agentia libera movere atque applicare ad opus poteſt, ita ut liberè, & contingenter interim operentur. Atque ad ejus hoc pertinet potentiam, ſupremamque adminiſtrandi vim, ut non modò nos faciat velle, ſed etiam liberè velle, ex judicio ſcilicet ac deliberatione. Operatur enim Deus non ſolum actionem, ſed & modum actionis naturalem; velut non ſolum motum in lapide, ſed etiam celerem aut tardum: Sic noſtram non ſolum operationem, verum etiam liberam aut neceſſariam, prout ſe habent cauſæ ſecundæ, quibus ſua providentia cooperatur.

MONITUM XCII.

Diliges proximum tuum, &c.

Matth. 5.

VIdetur fuiſſe controverſia inter doctos illius temporis, quid intelligendum nomine
Lucæ 10. proximi. Hinc etiam Scriba quidam, verè cupiens juſtificari, tanquam de re id temporis controverſa, Dominum interrogat; *Quis eſt meus proximus?* Et plerique malè interpretabantur hoc præceptum, cum proximum intelligentes, qui nobis eſſet ſanguine vel familiaritate conjunctus: hinc conſequi putantes, licitum eſſe odium inimici, ſicut & Ariſtoteles colligit: Si amicis benefacien

Digitized by Google

faciendum,ergo & inimicis malefaciendum. Sed falſus eſt intellectus. Apertè enim mandat lex Domini; *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* Et alibi; *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis; ſed reduces fratri tuo, etiamſi non eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum; duces in domum tuam, & erunt apud te, quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat.*

Lib.1.Topic.

Exod.23.

Deut.22.

Quibus locis velut exponit lex, non intelligendum nomine proximi vel propinqui tantùm eum, qui ſanguine vel familiaritate nobis junctus eſt. Sicut & Auguſtinus; *Proximus*, inquit, *non ſanguinis propinquitate, ſed rationis ſocietate penſandus eſt, in qua ſocii ſunt omnes homines. Nam ſi pecuniæ ratio ſocios facit, quantò magis ratio naturæ, non negotiandi, ſed naſcendi lege communis. Hinc & ille Comicus cùm ab uno ſene alteri ſeni dictum componeret, Tantúmne abs re tua eſt otii tibi, aliena ut cures, & ea quæ nihil ad te attinent? reſponſum ab altero reddidit; Homo ſum, humani nihil à me alienum puto. Cui ſententiæ ferunt etiam theatra tota plena ſtultis indoctiſque applauſiſſe. Ita quippe omnium affectum naturaliter attigit ſocietas humanorum animorum, ut nullus ibi hominum, niſi cujuſlibet hominis proximum ſe eſſe ſentiret.* Sic & D.Leo; *Proximi nomine non ii tantùm intelligendi ſunt, qui nobis amicitiâ aut propinquitáte junguntur, ſed omnes prorſus homines, cum quibus nobis natura communis eſt, ſive illi hoſtes ſint, ſive ſocii, ſive liberi, ſive ſervi. Unus enim nos conditor finxit, unus nos creator animavit, eodem cuncti cœlo & aëre, iiſdem utimur*

Epiſt.52.

Terent.in Heauton.

Ser.1.de jejun.10.menſ.

mur diebus & noctibus, quanquam alii boni, alii mali, alii juſti, alii injuſti: Deus tamen omnium largitor eſt, & omnibus benignus, uti Apoſtolus ait Lycaoniis: Benefaciens de cœlo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda, &c.

Actor. 14.

Matth. 5.

Chriſtus etiam iſtam legis perverſionem coarguens: *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Quod antè etiam monuerat Sapiens, & pòſt Apoſtolus; *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, potum da illi.* Et fructum addit dilectionis hujus; *hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus*, id eſt, provocabis eum ad charitatem & pœnitentiam; dolebit enim ſe inimicum eſſe ei, à quo ipſius miſeriæ ſubvenitur.

Prov. 25. Rom. 12. Aug. lib. 3. de doct. Chriſt. c. 16

Senec. l. 2. de Ira. Val. lib. 4. cap. 4.

Quam diligendi rationem etiam Ethnici probarunt, & ſecuti ſunt. Seneca dicit, *Iraſcetur aliquis? tu contrà, beneficiis provoca, cadit ſtatim ſimultas.* Et Valerius Maximus: *Specioſius aliquanto*, inquit, *injuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odii pertinacia penſantur*; laudans hanc vincendi rationem in Cicerone. Qui & Cæſari, cum Pompeij hoſtis ſui ſtatuas dejectas reponi juſſiſſet: *Statuas*, inquit, *Pompeii collocaſti, tuas conſtabiliſti. Euclidi Megarenſi mortem minitatur quidam, idque ſe confirmat jurejurando facturum: is contra tamen jurat ſe daturū operam, ut hominem placet, & illius erga ſe iracundiam patientia mitiget, ac ſedet*, uti refert D. Baſil. *Lycurgus ob leges contra comeſſationem, & pecuniæ admirationem à divite quodam percuſſus, patienter tulit; ſed*

Plutarch. de utilit. capienda ex hoſte.

Baſil. hom 24.

Plutarch. in Lycurgo.

hoc

poſtea de eo ſupplicium ſumpſit. Iuſſit ut ſecum habitaret, illique miniſtraret, & videret ejus virtutes domi. Inde homo correctus, optimus vir evaſit. Cùm quidam malediceret Philippo Regi, monitus ut fugeret, ac poſtea iterum viſus in Macedonia, amici autores erant ut puniretur. Philippus ei occurrens, humaniter cum eo collocutus, & munuſcula largiens, poſtea juſſit eos percunctari, quomodo jam de ſe loqueretur; cunctis autem ei reſpondentibus, eum mirum jam eſſe ejus laudatorem; Ego igitur, inquit, *melior medicus quam vos.*

Idem de cohibenda ira.

Si quis ergo velit cognoſcere, quis ſit proximus, attendat Parabolam de Samaritano, qua oſtendit Scribæ interroganti, eum eſſe proximum qui alteri etiam alienæ nationis impendit officium miſericordiæ; ut videlicet, *eum eſſe proximum intelligamus, cui vel exhibendum eſt officium miſericordiæ, ſi indiget; vel exhibendum eſſet, ſi indigeret. Ex quo eſt jam conſequens, ut etiam ille à quo nobis hoc viciſſim exhibendum eſt, proximus ſit noſter. Proximi enim nomen ad aliquid eſt, nec quiſquam eſſe proximus, niſi proximo poteſt.*

Luc. 10.

Aug lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 30.

Nullum autem exceptum eſſe, cui miſericordiæ denegetur officium, quis non videat? quando etiam uſque ad inimicos porrectum eſt, eodem Domino dicente, *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos,* &c. Hæc eſt latitudo charitatis, quando etiam uſque ad hoſtes extenditur, ait Bern.

Vide ſerm. 27. in Cāt.

Sed quomodo homo homini proximus, ſive propinquus? Primò, ſimilitudine naturæ rationalis, quam ab uno creatore accepimus: 2. quia ſumus ex uno homine Adam, omnium parente. 3. ad unum finem conditi ſumus, Deum; *Feciſti nos, Domine, ad te,* ait Auguſt. etſi non omnes, ſua cul-

Li. 1. Conf. cap. 1.

Li.1. Conf. cap.1. pa, hunc finem conſequantur. Denique, ob unũ redemptorem, Chriſtum, *qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Et quomodo diligemus proximum ſicut nos ipſos? Quãdo, & quomodo hoc fit?
1.Tim.2.
Lib.3.de vit.contẽp. cap.15. Reſpondet S. Proſp. *Si non propter aliquas utilitates noſtras, non propter accepta vel ſperata beneficia, non propter affinitates vel conſanguinitates, ſed propter hoc tantùm, quod natura noſtra participes ſunt, diligimus. Quando ad mores bonos, & ad æternam vitã conſequendam, ſicut nobis, eorum ſaluti conſulimus; quando nos in eorum periculis, & peccatis cogitamus; & ſicut nobis ſubveniri optamus, ita eis pro viribus ſubvenimus; aut ſi facultas defuerit, voluntatem ſubveniendi tenemus. Quapropter hæc eſt tota proximi dilectio, ut bonum quod tibi conferri vis, velis & proximo; & malum, quod tibi nolis accidere, nolis & proximo.*

Tametſi autem nullus omnino à dilectione ſecludendus ſit, hoc tamen ſciendum, eſſe ordinem in dilectione proximi, ſecundum quem poſſumus ac debemus unum prius ac amplius diligere & juvare, quàm alium. *Ordinavit*, ait Sponſa in Cantic. *in me charitatem.* Et Aug. *Definitio*, inquit, *brevis & vera virtutis, eſt ordo amoris.* Quia enim homo eſt finitæ capacitatis, & ideo omniũ amori vacare non poteſt, ut Deus, univerſorum curam gerens: eum præcipuè diligere debet, cujus curam ei maximè præcepit Deus. Curam enim ex Dei præcepto nobis incumbentem rectè ſequitur amor, ordinéque curæ ordo amoris. *Hic eſt autem ordo humanæ concordiæ*, ait Aug. *primùm, ut nulli noceat homo, deinde ut etiam proſit cui poterit. Primitùs ergo ei ineſt ſuorũ cura; ad eos quippe habet faciliorem, opportunioremque aditum conſulendi, vel naturæ ordine, vel ipſius ſocietatis*

Cantic.2.
De Civit. lib.15.c.22.
Ibid. li.19. cap.14.

ṛatis humanæ. Quæcunque, inq. idem, *in oratione Dominica continentur, & pro nobis, & pro noſtris, & pro alienis, atque pro ipſis inimicis ſine fluctu dubitationis oranda ſunt: tamen alius pro iſto, alius pro illo, ſicut ſe habent propinquitates, vel longinquitates neceſſitudinum, in corde orantis oritur, aut excellit affectus.* Epiſt. 121.

Diſtinguit D. Bern. duplicem charitatem, videlicet in actu, & in affectu. *Quam ordinavit? utramque*, inquit, *ſed ordine oppoſito. Nam actualis inferiora præfert, affectualis ſuperiora. Etenim in bene affecta mente, dilectioni hominis Dei dilectio præponitur, & in hominibus ipſis perfectiores infirmioribus, cœlum terræ, æternitas tempori, anima carni. Sed in bene ordinata actione, ſæpe, aut etiam ſemper ordo oppoſitus invenitur, &c. Prima*, ait, *mandatur ad meritum; ſecunda datur in præmium.* Dicit Propheta David *beatum, qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Ad quem intelligendum*, inquit S. Leo, *ſollicita benignitate vigilandum eſt; ut quem modeſtia tegit & verecundia præpedit, invenire poſſimus. Sunt enim, qui palam poſcere ea, quibus indigent, erubeſcunt: & malunt miſeria tacitæ egeſtatis affligi, quam publica petitione confundi. Intelligendi ergo iſti ſunt, & ab occulta neceſſitate relevandi: ut hoc ipſo amplius gaudeant, cum & paupertati eorum conſultum fuerit, & pudori.* Sic Leo. Serm. 50. in Cantic. Serm. 4. de collect.

Scribit Iuſtinus, Ethnicos hanc Evangelicã doctrinam de inimicis etiam diligendis, &c. copioſè ridere ſolitos, utpote ineptam, ac naturæ hominum penitus repugnantem. Ac revera in tota lege Evangelica, nihil difficilius, ut teſtatur Auguſtin. Qui & hoc refert, ipſius tempore fuiſſe, qui ob illam legem, Chriſtianam Religionem diceret In Apolog. pro Chriſtianis. In pſal. 118 conc. 9. Epiſt. 5. ad Marc.

Reipu

Reipublicæ noxiam, quod præciperet inimicos diligere, benefacere odientibus nos, non reddendum malum pro malo, non reſiſtendum malo, &c. Sed oſtendit Aug. hæc præcepta eſſe Reipubl. utiliſſima. *Quid enim*, inquit, *eſt Civitas, niſi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiæ? Iam idcirco diligitur inimicus, ideo ei bene fit*, &c. *ut vincatur bono malus, & pœnitens in concordiam acquiratur, victus non ſævientis viribus, ſed benevolentia patientis*; qua concordia quid Reipubl. utilius?

Cypr. ep 31 Aug. ep. 154 Non enim his præceptis tollitur diſciplina Reipubl. quam clavo navis ſimilem eſſe, habet D. Cyprian. & qua homines in officio continentur. *Non enim hominum negligenda eſt correctio; ſed ab ulciſcendi libidine animus prohibetur*, quæ vitioſa eſt; magiſque ad Judicem pertinet inter malos hoc dignoſcere, quàm bonum hominem id ſibi expetere. Ergo ut verbis D. Aug. concludam: *Minus magnum eſt, erga eum eſſe benevolum, ſive etiam beneficum, qui tibi nihil mali fecerit; illud multò grandius, & magnificentiſſimæ bonitatis eſt, ut tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & ſi poteſt, facit, tu bonum ſemper velis, faciaſque cùm poſſis: illius memor exempli, qui in cruce pendens, pro ſuis exorat perſecutoribus, ſuoſque admonuit dicens; Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.*

Enchir. cap. 73.

Luc. 23. Matth. 5.

MONI

Digitized by Google

MONITUM XCIII.

Multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos.

Matth. 24.

NOtat D. Chryſoſt. Chriſtum ter iſto capite monere diligenter, venturos falſos Prophetas, ſeu Doctores, eoſque cavendos, propter periculum grave, quod ab illis incautis ac innocentibus impendet. Quatuor hic potiſſimùm notanda. Primum, Chriſtum prædixiſſe in noviſſimis temporibus venturos, non novos Prophetas, *ſed Pſeudoprophetas*. Sicut & Apoſtoli, Petrus & Judas, véturos non reformatores, ſed *illuſores*. Et Paulus, quod *in noviſſimis diebus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*. Et; *In noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate; proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis, quàm Dei*, &c.

In hoc cap. 24. Rom. 16. Matth. 24. 2. Petr. 2. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3.

Mentiuntur ergo hæretici, quando dicunt ſe veritatem diu abſconditam, vel mortuam, jam in lucem proferre. Non enim hoc prædictum eſt, ſed quod venirent, qui eam corrumperent ac depravarent. *Veritas enim fidei in Eccleſia non perit*, non moritur, ſed ſemper manet, Domino pro- Lucæ 22.

mittente

mittente Petro, (qui in multis etiam perſonam
Matth.16. Eccleſiæ gerit) *Non deficiet fides tua.* Et de Eccleſia,
Portæ inferi, id eſt, hæreſes, errores, qui ad inferos
Matth.28. ducunt, *non prævalebunt adverſus eam.* Et, *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem*
Hieron. in vita Malchi. *ſæculi.* Hæ & aliæ ſimiles promiſſiones falſæ eſſent,
ſi verum eſſet, quod dicunt hæretici. Et quid eſt
Leo ſer.1. de Apoſt. quod veritatem Eccleſiæ poſſet extinguere? Tribulatio? Sed tribulationibus magis crevit. Hære-
1.Cor.11. ſes? Sed *cum hæreſes exurgunt,* teſte Apoſtolo, *tunc probati manifeſti fiunt. Magna eſt vis veritatis,* inq.
Lib.2. de Trinit. D. Hilarius, *quæ cùm per ſe intelligi non poſſit, per ea tamen ipſa quæ ei adverſantur, elucet; ut natura ſua immobilis manens, firmitatem naturæ ſuæ quotidie, dum attendatur, acquirat.*

Secundum eſt, quod dicat multos venturos. Primò, numero: hoc videmus in tot regnis ac provinciis, quæ ab Eccleſia Catholica defecerunt, ubi dominantur hæretici & eorum Pſeudodo-
Pſalm.10. ctores. Dicit David, *Pluit ſuper peccatores laqueos:*
Auguſt. in Pſalm.10. ſignificatur abundantia errorum, & doctrinarum falſarum, quibus miſeri implicantur, *quia charitatem veritatis non receperunt. Sic ordinantur Pſeudo-*
2.Theſſ.2. *prophetæ,* inquit S. Aug. *à Domino Deo, ut de his laqueos ſuper peccatores pluat. Non enim quiſquam in eos ſectandos incidit, niſi peccator, ſive ad præparationem extremi ſupplicii, ſi perſeverare in peccando maluerit; ſive ad diſſuadendam ſuperbiam, ſi aliquando Deum cura ſinceriore quæſierit.*

Deinde multi ſunt, quia opinionibus diverſi, doctrinis inter ſe diſſentientes. Non enim idem ſentiunt, non idem loquuntur, ſed mirabiliter inter ſe ſunt diſſecti, etiam in præcipuis fidei myſte-

Digitized by Google

myſteriis. Contra quos D. Iacobus, *Nolite plures Magiſtri fieri. Tales ſunt*, inquit Aug. *qui diverſa atque adverſa prædicant.* In Eccleſia Catholica multi quidem ſunt numero doctores, per totum mundum diſperſi, tamen unum omnes ſunt, quia ſi veritatem fidei ſpectes, idem ſentiunt, idem docent. De illis etiam Propheta, *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam.* Vocantur Paſtores, non quòd tales ſint, ſed quòd tales haberi velint, cum revera lupi rapaces ſint, in animas & corpora oviũ ſævientes. Multi, quia in varias hæreſes & opiniones diſſecti. *Dominus dividit linguas eorum, ſicut in Babel, ne pernitioſam faciant unitatem,* inquit Aug.

Iacob. 3. In præfat. lib. Retra. Ierem. 12. Auguſt. de Paſtor. c. 13. Pſal. 54. & ibi D. Aug.

Sunt vulpes Samſonicæ: aſtuti enim ſunt & vafri, ad corrumpendam veritatem tetro odore fœtentes. *Sepulchrum enim patens eſt guttur eorum,* non niſi fœdas & fœtidas blaſphemias, ac calumnias exhalantes. *Ad maledicta convertuntur, qui veritate deſtituuntur,* inquit Aug. Ligatæ caudis, quia in libidine omnes conſentiunt; *difficile enim eſt invenire hæreticum, qui diligat caſtitatem,* ait S. Hier. Clariſſimum eſt in noſtri temporis hæreticis; de antiquis probat Hier. in epiſt. ad Cteſiphont. Deinde conſentiunt in unius Eccleſiæ Catholicæ perſecutione. Verùm capita illorum huc illucque reſpiciunt, quia ſenſibus, opinionibus variant ac diſcordant. Sed cur non curat Diabolus qui eos regit, ut ſint unanimes? Dicit Ieremias, quod *colligit divitias non in judicio; non enim illius intereſt, quibus inter ſe rixentur erroribus, quos merito multa variaque impietatis pariter poſſidet,* inquit S. Aug.

Iudic. 15. D. Aug. in Pſalm. 80. Cont. Iul. lib. 1. cap. 1. Hieron. in Ozeam. Ierem. 17.

Qui etiam ſui temporis calamitates deplorans, ait: *Vides quanta & quam miſerabili fœditate Chriſtiana domus, familiæque turbatæ ſint. Mariti &*

De civit. lib. 18. c. 45. Epiſt. 147.

uxores de ſuo lecto ſibi conveniunt, & de Chriſti altari diſſentiunt. Per illum ſibi iurant, ut inter ſe pacem habeant, & in illo habere non poſſunt. Filii cum parentibus unam domum habent ſuam, & domum Dei non habent unam. Succedere in eorum hæreditatem cupiunt, cum quibus de Chriſti hæreditate rixantur.
In cap. 10. Matth. *Servi & Domini communem dominum dividunt, qui formam ſervi accepit, ut nos ſerviendo liberaret.* Et D. Hieron. * *Nullus*, inquit, *inter eos fidus eſt affectus, quorum diverſa eſt fides.* Nulla fidelis amicitia, niſi quam eadem fides conciliat.

Tertium, quod notari debet, eſt de miraculis quæ facturi ſunt hæretici. Sunt autem duplicia, *Quadã*
De Civit. lib. 18. c. 41 *enim tantum habent admirationem, ſicut volare in aëre,* uti Simon Magus faciebat: *Alia etiam habent*
De util. credendi, c. 16. & ſeq. *utilitatem, ut quando æger ſubitò ſanatur.* Talia miracula eos facturos putat D. Chryſ. & ſic interpretatur
Chryſ. in c. 24. Mat. in op. imperf. dictum Domini, *Signa magna facient*, id eſt, inq. *utilia.* Periculoſa ſanè tempora imprudentibus, qui non attendent prædictiones Domini; quando videbunt ab eis fieri miracula. Unde & ait Chriſtus
Matth. 24. *talem ac tantam tunc fore tribulationem, qualis nõ fuit ab initio mundi, neque fiet; ita ut in errorem inducan-*
Cont. Fauſt lib. 13. c. 5. *tur, (ſi fieri poteſt,) etiam electi.* Dicit D. Aug. Manichæis hæreticis; *Miracula non feciſtis, quæ ſi faceretis, etiam ipſa in vobis caveremus, per inſtruentem*
Matth. 24. *nos Dominum, & dicentem; Exurgent Pſeudoprophetæ, & facient ſigna & prodigia magna. Ecce prædixi*
Deuter. 13. *vobis.* Sicut dicitur in Deuter. de falſo Propheta, *etiamſi evenerit, quod prædixerit, nõ audies, occidetur.*
2. Theſſ. 2. Dicit Apoſt. ea ſigna fore *ſigna mẽdacia. Sed ſolet*
Li. 20. Civit, cap. 19. *ambigi*, inquit Aug. *Utrum ideo mendacia, quia mortales ſenſus per phantaſmata decepturi ſint, ut quod*
non

non faciunt, facere videantur; vel, quia etiamſi vera ſint, ad mendacium pertrahent credituros, non ea potuiſſe, niſi divinitus fieri, virtutem Diaboli neſcientes, maximè quando tantam, quantam nunquam habuit, accipiet poteſtatem. Habet D. Aug. de triplici perſecutione Eccleſiæ, *Prima violenta fuit, cùm proſcriptionibus, tormentis, cædibus Chriſtiani ad ſacrificandum cogerentur: Altera fraudulenta eſt, quæ nunc per hæreticos & falſos fratres agitur: Tertia ſupereſt per Antichriſtum ventura, quâ nihil periculoſius: quia & violenta & fraudulenta erit, vim habebit in imperio, dolum in miraculis.*

Vide Lenſæum de Eccl. lib. 4. cap. 12. In pſal. 9.

Statuendum autem pro certo eſt, ad comprobationem falſitatis, fallacia quidem, ſeu viſa, ſeu opera, poſſe intuentium oculis exhiberi, quæ naturæ creatæ non ſuperant facultatem, cujuſmodi & paganorum & hæreticorum leguntur falſa miracula, ad ea quæ vera ſunt, id eſt, quæ naturæ creatæ exuperant vires, cujuſmodi eſt mortui ſuſcitatio, illuminatio cæci, claudi & paralytici reſtitutio, prænuntiatio futurorum, quorum nulla extet in rebus cauſa, hæc atque ejuſmodi certum eſt ad corroborandam falſitatem edi nullo modo poſſe. Quippe vera miracula ab hominibus, non proprio ipſorum nomine, ſed Dei vice atque ex commiſſione ejus patrantur. Fieri autem non poteſt, ut Dei nomine ac vice, ſeu ex commiſſione ejus, prophanus comprobetur error, cum Deus, qui ipſa veritas eſt, non poſſit teſtimonium perhibere falſitati, & errori authoritatem tribuere.

Quartum notandum; Eorum adventum fidem noſtram non debere infirmare, ſed firmare, videntes fieri, quod à Domino in Script. tanto

tō antè prædictum eſt. Dicitur *Eccleſia firmamen-*
1.Tim.3. *tum veritatis*, etiam hac ratione, quod eam firmet in cordibus hominum, variis quidem modis; ſed hoc præcipuè, quod omnia quæ in ea fiunt, clariſſimè demonſtret in Script. antè eſſe prædi-
De præſcrip. hæretic. initio. cta. Unde & Tertul. *Conditio*, inquit, *præſentium temporum, etiam hanc admonitionem provocat noſtram, non oportere nos mirari ſuper hæreſes iſtas, quia ſunt; futura enim prænuntiabantur*, &c.
De Vnit. Eccleſ. Et D. Cyprianus: *Non nos moveat aut turbet*, inquit, *multorum nimia & abrupta perfidia; ſed potius fidem noſtram prænuntiatæ rei veritas corroboret: ut quoniam quidam tales eſſe cœperunt, quia hæc ante prædicta ſunt; ita cæteri fratres ab hujuſmodi caveant, quia & hæc antè prædicta ſunt, inſtruente Domino & dicente; Vos autem cavete, ecce prædixi*
Marc.13. epiſt.141. *vobis omnia.* Denique D. Auguſtinus de illis loquens; *Mirandum non eſt*, ait, *ſi veniant*, (cùm videlicet prædicti ſint,) *vigilandum ne noceant: Miſerearis illorum, tanquam ſimplex ut columba; Caveas illos, tanquam aſtutus ut ſerpens.*

Quid autem boni profectibus Sanctorum & Eccleſiæ divina providentia etiam per hæreſes
In reſponſ. ad object. 13. Gallor. conferat, oſtendit D. Proſper, dicens; *De illis quoque erroribus nobis Dei bonitas conſulens ſentiatur, quos Deus in Eccleſia contra Eccleſiam permiſerit exurgere: Non utique eos creans, aut fovens; ſed per ipſos diligentiam filiorum ſuorum ad inquiſitionem & cuſtodiam veritatis exercens, dicente*
1.Cor.11. *Apoſtolo; Oportet hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant in vobis. Quis autem reſpiciens ad tenebras impiorum & ad illuminationem filiorum,*

non

Digitized by Google

non ad agendas gratias Deo, ex ipſa collatione fiat ferventior, & in ruina pereuntium diſcat, in qua mala per liberum arbitrium rueret, niſi ei per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Dei gratia ſubveniret? Didicimus, inquit S. Auguſt. *ſingulas quaſque hæreſes proprias intuliſſe quæſtiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura divina, quàm ſi nulla talis neceſſitas cogeret. Improbatio quippe hæreticorum facit eminere; quid Eccleſia tua ſentiat* (Domine) *& quid habeat ſana doctrina. Oportuit enim & hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fierent inter infirmos.* De bono perſev. cap. 20. Lib. 7. Conf. cap. 19.

MONITUM XCIV.

Tradidit eum tortoribus, donec redderet univerſum debitum.

Matth. 18.

EST quæſtio ſubdifficilis de reditu peccatorum, quæ remiſſa ſunt ſemel: In qua tenendum, non ut opera bona, ſublato peccati impedimento mortalis, redeunt ad ſuum præmium: ita etiam ſemel remiſſa peccata, per ſuccedens mortale peccatum, ad ſuum redire ſupplicium. Cujus hæc eſt ratio; quod peccara cùm remittuntur, condignum recipiunt in morte Chriſti ſupplicium, cujus pleniſſima ſatisfactio unicuique applicatur, & cujuſque fit quodammodo, quando ei peccata donantur. Quod igitur ea punitum, pleneque abolitum eſt, puniri poſtea nunquam debet,

bet. At bona opera, quæ in gratia facta fuerunt, per relapſum impediebantur à conſecutione ſuæ mercedis, quæ adhuc reddenda erat; ideoque ſublato impedimento æquum eſt, ut ad hanc redeant, ne irremunerata relinquantur. Pertinet huc etiam illud Pauli, *Sine pœnitentia ſunt Dei dona.*
Rom.11. Cùm igitur ſemel peccatorum remiſſionem donaverit, non eam revocat, ut donaſſe pœniteat. Nemo igitur propter ſemel remiſſa peccata damnabitur, etſi per ſequentia damnationem incurrat, quam ſemel effugerat, ut quodammodo ob ſimile nocumentum, in quod reciditur, redire poſſe videatur dici; ſicut Febrim redire dicimus, etſi non eadem quæ ſemel curatione depulſa eſt, redeat.

Ad object. Gallor. c. 2. Itaque D. Proſper: *Omnis homo*, inquit, *qui credens in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, regeneratur in baptiſmo, tam à propriis peccatis, quæ mala voluntate & actione contraxit, quàm ab Originali, quod à parentibus traxit, abſolvitur; ſed relapſum poſt baptiſmum ad infidelitatem & impios mores, qui negat Originali peccato fuiſſe purgatum, tam falſa opinatur, quàm qui eundem aſſerit, non æterna morte eſſe damnandum. Sed non in id quod remiſſum eſt, recidit, nec in Originali peccato damnabitur, qui tamen propter poſtrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter ea, quæ remiſſa ſunt, debebatur,* &c. His verbis indicat, quemadmodum & propriè non redeant ſemel remiſſa peccata, & quodam tamen ſenſu redire poſſint intelligi, videlicet quia propter poſtrema crimina homo ea morte afficietur, quæ ei ob ea quæ remiſſa ſunt, debebatur.

Non eſt igitur ſermo iſte omninò negandus,

ſemel

Digitized by Google

ſemel remiſſa peccata redire, uti nec proprio ſenſu verus eſſe putandus eſt. Redire autem ad quendam modum, ubi fraterna charitas non eſt, docet apertiſſimè D. Aug. ex Evangelio, ubi juxta ſensũ ejuſdem, *debitori illi recuſanti poſtea fratri ſuo dimittere, dimiſſa fuiſſe peccata, intelligenda erunt non revera, & cum effectu, ſed quantum eſt ex parte & efficacia Sacramenti: ut hinc quoque commendanda appareat Domini prompta benignitas, quæ nec tali ſuũ ſubtraxit Sacramentũ, ſed quantũ in ipſo fuit, debitum omne dimiſit, ut ſervus ille Domini miſericordia excitatus, ſuo quoque conſervo debitum prõpta voluntate dimitteret.* Lib. 1. cont. Donat. c. 12 13.

Notandum enim, quod nec ipſe præteriit Aug. illum ſervum non voluiſſe dimittere fratri ſuo, priuſquam à Domino ſuo gratiam peteret. Hoc indicant verba conſervi, *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*; alioqui diceret, jam hoc mihi dimiſeras, cur ergo repetis? Et manifeſtius ipſius Domini verba: *Egreſſus invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei:* ergo nondum dimiſerat. Nec tamen hoc impedivit Dominum ejus, quo minus dimitteret ei omnia, non quidem cũ effectu, ſed quia per eum non ſtetit; verùm ille capax non fuit, quia conditionem requiſitam non habebat; ſurreptitia fuit remiſſio, ideoque nullius valoris, ac proinde debitum ſupplicium exigitur. Propterea ſubdit D. Aug. *Sed quid ei profuit dimiſſio, quandoquidem in caput ejus propter odiorum perſeverantiam rurſus omnia continuò replicata ſunt. Sic,* inquit, *non impeditur Baptiſmi gratia, quo minus omnia peccata dimittat, etiamſi odium fraternum, in ejus cui dimittitur, corde perſeveret, videlicet quantum ad ipſam pertinet Sacramenti ſanctitatem.* Sic fortè & D. Ibidem. Matth. 18. Ibidem.

Conc. 8. de pœnitent.

Baſil. locutus fuiſſe videbitur, cùm dicit: *Nil prodeſſe remiſſionem peccatorum ei qui ſceleratè vivere pergit.*

Itaque hæc Parabola non propriè pertinet ad eos qui relabuntur, ſed ad eos qui cùm à Domino petant remiſſionem peccatorum, tamen remittere ipſi nolunt, ſed in odio concepto perſeverant. Unde concludit: *Sic pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus ſuis,* id eſt, ſi in odio proximi perſeveretis; non autem, ſi poſt unam remiſſionis gratiam iterum lapſi fueritis. At D. Chryſoſt. hujuſmodi ſenſum inſinuat; Verè quidem remiſſa eſſe peccata omnia, ſed ſupervenientem ulciſcendi malitiam tantùm valuiſſe, tantoque odio dignam eſſe viſam, ut quantum in ipſa eſt, gratiam prius præſtitam everterit; meruit enim ut id fieret, ſi ulla ratione fieri potuiſſet.

Matth. 18.

Homil. 22. in Matth.

Scholaſtici verò ſtatuunt redire per ingratitudinem, quia ut D. Thom. ait; *Per peccatum ſequens pœnitētiam, redit quodammodo reatus peccatorum priùs dimiſſorum, non in quantum cauſabatur ex illis peccatis priùs dimiſſis, ſed in quantum cauſatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex prioribus. Et hoc,* inq. *non eſt peccatum redire ſimpliciter, ſed ſecundum quid, in quantum ſcilicet virtualiter in peccato ſequenti continetur.* Verùm hoc non ſic accipiendum, quaſi omne peccatum poſterius, gravius ſit præcedenti ob ingratitudinem, etiamſi ad idem genus peccati pertineat, ut ſi prius ſit ex malitia, poſterius ex infirmitate: ſed peccatum poſterius propter præſtitam remiſſionis gratiam, quam ingratitudinis circunſtantiâ fieri gravius, quàm alio-

qui

qui eſſet, ſi tale gratiæ beneficium non præceſſiſſet.

Ex hac Parabola manifeſtum eſt, quantum ſit malum, roganti veniam negare. Quiſquis enim roganti, & peccati ſui pœnitenti non ex corde dimittit, nullo modo exiſtimet, à Domino ſua peccata dimitti, quoniam Veritas mentiri non poteſt, quæ dixit; *Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Ad tam magnum tonitruum, qui non expergiſcitur, nō dormit, ſed mortuus eſt.* Cogitet qui non dimittit ex corde in ſe peccanti, & veniam petenti, ſe Deo debere decem millia talentorum, proximum verò ſibi ad ſummum centum denarios, ſeu mnas. Expendat parabolam Saluatoris. Occurrat ei illud Sapientis; *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Homo homini reſeruat iram, & à Deo quærit medelā? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe dum caro ſit, reſeruat iram, & propitiationē petit à Deo? Quis exorabit pro delicto illius? Memēto noviſſimorū, & deſine inimicari.*

August. Enchir. 74.

Matth. 6.

Eccleſ. 28.

Quando, inq. Aug. *nobiſcum agitur ut vindicemus nos, ira exaſperatur, & frendet homo vindicari. Horrenda tentatio. Unde enim accepturus veniam fueras pro cæteris delictis tuis, hoc perdis. Si quid aliis ſenſibus, aliis cupiditatibus peccaveras, hinc erat ſanandum, quia dicturus eras, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Qui te inſtigat, ut vindiceris, perdet tibi quod dicturus eras; Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Illo perdito, cuncta tenebuntur, omnino nihil dimittetur. Hanc periculoſam tentationem in iſta vita ſciens*

Serm. 1. de orat. Dominic.

Digitized by Google

Dominus, magiſter, & Saluator noſter, cùm doceret nos 6. vel 7. petitiones, nullam ſibi aſſumpſit, unde tractaret, & quam vehementius nobis commendaret, niſi hanc unam: Amen dico vobis, quia ſi dimiſeritis hominibus peccata; propter illud, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Prætermiſſis omnibus petitionibus, quas nos docuit, illam maximè docuit. Non multum fuerant illa commendanda, in quibus, ſi peccator eſt, unde curetur, agnoſcat. Commendanda cætera, in quibus ſi peccaveris, non eſt unde ſaneris. Hoc enim debes dicere, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Periſti, ſi hac perdidiſti. Videte fratres mei, videte filii mei, videte quia dico vobis, pugnate cum corde veſtro, quantum poteſtis; & ſi videritis iram veſtram ſtare adverſus vos, rogate contra illam Deum; faciet te Deus victorem tui, faciet te Deus victorem non forinſecus inimici tui, ſed intrinſecus animi tui. Aderit enim, & faciet. Hactenus Auguſt.

Matth. 6. — Vide Greg in Paſtor. parte 3. — Vide Aug. epiſt. 109.

Hæc autem doctrina intelligenda eſt, non ſic quaſi is qui dimittit in ſe peccantibus, imò omnia opera miſericordiæ complet, habiturus ſit ſcelerum ſuorum veniam, à quibus non diſcedit, vita in melius mutata; aut quaſi propter eleëmoſynas quas in dilectione ſcelerum conſtitutus, & impœnitens largitur, quandoque ſit accepturus pœnitentiam ſcelerum ſuorum: ſed ideo hæc dixit Dominus, quia valde utile, imò neceſſarium eſt, dimittere in nos peccantibus, quo exaudiamur veniam petentes. *Qui talia* (ait Apoſtolus de criminibus loquens) *agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Ne dicas* (inquit Sapiens) *in multitudine munerum meorum reſpiciet Deus, & offerente me Deo altiſſimo,*

Galat. 5. — 1. Cor. 6. — Eccleſ. 34. — Eccl. 7.

ſimo, munera mea ſuſcipiet. Dona iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum, eorum propitiabitur peccatis. Et rurſum: *Homo qui jejunat in peccatis ſuis, & iterum eadem facit, quid proficit humiliando ſe? Orationem illius quis exaudiet?* Et, *Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Remiſſioni autem obtinendæ plura ſunt neceſſaria, ut converſio cordis ad Deum, humilitas, perſeverantia in oratione, uſus Sacramentorum legitimus, quibus tanquam vaſculis continetur virtus ſanguinis Chriſti à peccatis liberans. Ibidem infra. Prov. 28.

MONITUM XCV.

Lazare, veni foras.

Ioan. 11.

NOtandus hic eſt ſtatus peccatoris, & modus quo convertitur, & ad remiſſionem peccatorũ pervenit: Lazarus enim gerit typum peccatoris. Primò, turbavit ſe Chriſtus, ſignificans quid facere debeat peccator. Dicit pœnitens in Pſal. *Turbatus eſt à furore oculus meus.* Oculus cordis turbatur ab imminente ſupplicio, quod peccator meruit. *Nunquam enim accidit, ut aliquis velit inchoare novã vitam, qui prius non fuerit aliquo Dei timore perculſus. Nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari,* ait Sapiẽs. Et de illo etiam timore dicitur, quod ſit *initiũ Sapientiæ.* Metus mortis & futuri judicij, initium converſionis in Auguſt. ut ipſe fatetur in Confeſſ. Pſal. 6. Aug. de Catech. rudib. c. 1. Tr. 9. in Canon. Ioan. Eccl. 1 Pſal. 110.

Li.6.c.16. Deinde *lachrymatus eſt Ieſus.* Significatur pœnitentia, quâ quis ſecundùm Deum de peccatis contriſtatur. Sic Magdalena, *lavit lachrymis maculas criminis,* inq. Greg. *Et Petrus flevit amarè, fletuque culpam diluit,* ait Ambr. *Felices lachrymæ,* inq. Leo, *quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuere Baptiſmatis.* Sic de ſe Aug. in ſua converſione, *proruperunt flumina oculorum, acceptabile ſacrificium tuum, Domine.* David in ſua pœnitentia; *Lachrymis meis ſtratum meum rigabo. D. Ambroſius,* Paulino teſte, *quotieſcunque quis illis lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita fiebat, ut illum flere compelleret. Culpabiliter durus eſt,* ait Aug. *qui deflet damna temporis, mortem amici, & dolorem peccati lachrymis non oſtendit.* Si deſunt corporis lachrymæ, nunquam deſint animæ, dolor & amaritudo animi in recogitandis peccatis: *hæc triſtitia operatur pœnitentiam in ſalutem ſtabilem,* ut ait Paulus.

In Hom. de Magdal. in hymno. Serm.9.de paſſ. Li.8.Conf. cap.12. Pſalm 6. Paulin.in vita Amb De vera & falſ.pœnit. cap.9. 2.Cor.7.

Tertiò, *Tollite,* inq. *lapidem.* Sunt impedimenta converſionis. Aliquando impedit peccandi cõſuetudo, quæ difficulter relinquitur; *tollitur autem contraria bona conſuetudine,* ut Aug. *Certa viriliter, cõſuetudo conſuetudine vincitur. Aſperam nobis & inſuavem virtutum viam nimia facit vitiorum conſuetudo, quæ ſi in alteram partem transferatur, invenietur ſemita juſtitiæ levis,* inq. Hier. *Porte,* ait Aug. *Domine jugum tuum, & leve eſt mihi, quoniam ſic promiſiſti & feciſti, & verè ſic erat, & neſciebam, quãdo id ſubire metuebam.* Aliquando impedit ſocietas pravorum, peſtis pernitioſiſſima, quæ detinet hominem in peccatis: hæc deſerenda. Unde pœnitens David, *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ.* Et Petrus Pœnitens, *egreſſus eſt foras,* reliquit

Ser.49.in Nov. In epiſt.ad Celant. Lib.10. Confeſſ. cap.35. Pſal.6. Matth.26.

malo

Digitized by Google

malorum ſocietatem, in qua ceciderat. Aliquando
impedit verecundia, quia rident homines, calum-
niantur, exprobrant, &c. ſed eſt verecundia *adducẽs*
ignominiam, ut ait Sap. quando quis confunditur Eccleſ. 4.
bene agere, propter homines, *qui te defendere non*
poterũt, Domino judicãte; non eripere, Domino dãnã-
te. Bona autem eſt verecundia, & *adducens gloriam,* Lib. 10.
quando peccaſſe aut peccare confunderis, inquit Bern. Conf. c. 30.

Quartò, *prodiit foras;* ſic confiteri debet pecca- In ſerm. ad
tor ſecreta cordis. *Virus enim peccati ſalubriter ape-* milit. Tẽpl.
ritur in confeſſione, quod peſtiferè latebat in mente, ait cap. 12.
Greg. *Pleroſque,* inquit Tertull. *hoc opus* (Confeſſio- Greg. hom.
nis) *ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in* 40. in Evã-
diem differre præſumo, pudoris magis memores, quàm gel.
ſalutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus cor- Lib. Pœnit.
poris contracta vexatione, conſcientiam medentium c. 8. 9.
vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Grande
planè emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pol-
licetur. Videlicet (per Ironiam) *ſi quid humanæ noti-*
tiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeò-
ne exiſtimatio hominum, & Dei conſcientia compa-
rantur? An melius eſt damnatum fateri, quàm confeſ-
ſum abſolvi? Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam Pſalm. 31.
meam Domino; non adverſus alium, ut Adam; qui
dixit, Mulier decepit me: & Mulier, Serpens de- Geneſ. 3.
cepit me; ſed *adverſum me,* me ipſum autorem pec-
cati fatebor. *Confiteantur ſinguli delictum ſuum,* ait
D. Cypr. *dum adhuc qui deliquit, in ſæculo eſt, dum* In tract. de
admitti confeſſio ejus poteſt. Lapſis.

Quintò, dicit Chriſtus diſcipulis, *Solvite illum,*
& ſinite abire. Solutus eſt à diſcipulis, adhuc enim
ligatus prodiit; ſic peccator confitetur, & adhuc
reus eſt, donec miniſterio Sacerdotum, quibus di-
ctum

Digitized by Google

proceſſiſſet mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, ut ſolverẽtur peccata ejus, miniſtris hoc dixit Dominus, Solvite illũ, & ſinite abire. Quid eſt, ſolvite & ſinite abire? Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erũt & in cœlo. Et alibi idẽ Aug. *Cùm audis hominẽ pœnitere peccatorũ ſuorũ, jã revixit: cùm audis hominẽ cõfitendo proferre conſciẽtiã, jã de ſepulchro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt. Quando ſolvitur? A quibus ſolvitur? Quæ ſolveritis,* inq. *in terra, erunt ſoluta & in cœlo. Meritò per Eccleſiam dari ſolutio peccatorũ poteſt: ſuſcitari autẽ ipſe mortuus non niſi clamãte Domino poteſt. Quid autem prodeſſet Lazaro, quia proceſſit de monumento, niſi diceretur, ſolvite eum, & ſinite abire?* Ioan. 11. Matth. 16. In Pſal. 101 conc. 2.

Sic nec Catechumenus, mox ut verè converſus fuerit, à peccatis ſuis ſolvitur, quamvis per bonam vitam jam Deo propinquus ſit. *Nam,* ut ait D. Auguſt. *quantumcunque proficiat catechumenus, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portat; non illi dimittitur, niſi cùm venerit ad Baptiſmum. Quomodo non caruit populus Iſraël populo Ægyptiorum, niſi cum veniſſet ad mare rubrum; ſic preſſuris peccatorum nemo caret, niſi cùm ad fontem Baptiſmi venerit.* Et ipſe Aug. in ſua converſione jam deflens, & deteſtans præteritos lapſus; *Tamen,* inquit, *fides mea ſecurum me eſſe non ſinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptiſmum remiſſa nondum erant.* Idem ſentiendum de iis, qui poſt Baptiſmum in peccatum mortale relapſi ſunt. Nam etſi verè converſi, à peccato tamen ſuo non antè ſolutos ſe arbitrari debent, quàm id Sacerdos, qui poteſtatem ſolvendi accepit, remiſerit. Tract. 13. in Ioan. & ad Simplician. qu. 2. Li. 9. Conf. cap. 4.

Quod dicitur contra illud dogma hæreticum, quo quẽque volunt ſtatim habere omnium veniã

pecca

MONITUM XCVI.

Quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?

Joan. 9.

QUæſtionem proponunt Apoſtoli, quæ ferè in mentibus hominum hærere ſolet. Iſti præ cæteris flagellantur, ergo præ cæteris peccaverunt. Hunc errorem redarguit Dominus apud Lucam. *Putatis*, inquit, *quod hi Galilæi, vel oppreſſi à turri Siloë, præ aliis omnibus peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis.* Non eſt certum argumentum. Atque hoc amicorum Iob, & Phariſæorum, & diſcipulorum Chriſti, cùm adhuc rudiores communibus Iudaici populi perſuaſionibus tenerentur, vitium fuit, ut quos affligi viderent gravioribus malis, eos præ aliis ſceleratos arbitrarentur, aut occultis iniquitatibus, ſi nullæ forent manifeſtæ, iram in ſe Dei provocaſſe cenſerent. Unde & Chriſtus *cum iniquis deputatus eſt*. Ubi illud metuendum eſt, *Nolite iudicare.* Aliud enim Deo interdum propoſitum eſt, quando ærumnas immittit, quàm peccatum perſequi; ideóque cùm latent afflictionum cauſæ, cohibenda eſt humana temeritas, ne & Deo faciamus injuriam, & in fratres maligni ſimus.

Lucæ 13. Iſai. 53. Matth. 7.

Quod ergo requirit Apoſtòlus, *ut invicem ſuperiores arbitremur*, id videtur poſtulare, *ut alios quoque nobis æſtimemus meliores:* quod facimus, ſi defectus, lapſuſque noſtros seriò ponderantes, in aliis

Philip. 2.

Hebr.10. aliis conſideremus ea duntaxat, quæ pertinent ad *provocationem charitatis*; ita fit ut de aliis optimè ſentientes, quorum culpas non novimus, dicamus eis adverſa proveniſſe, non de peccato, ſed alio quopiam Dei conſilio. Ad nos autem cùm venimus, ſequimur illud rectiùs, quod ſignificatur

Prov.18. juſtorum eſſe proprium, ut noſipſos ſtatim accuſemus, culpiſque noſtris quæ patimur aſcribamus, non ſanè mendaci confeſſione, ſed planè

Hieron. ad Celant. humili & vera cognitione noſtra. Ubi interdum hoc ſingularis Dei timor facit, ut magna deputemus, etiam quæ parva ſunt.

In Pſal.118 conc.29. *Itaque in tribulationibus ſuis*, inquit Auguſt. *quod non immeritò eas patiuntur, tribuere Deo veritatem, ſanctorum eſt uſitata confeſſio.* Fit quidem interdum, ut is hîc puniatur gravius, qui gravius peccavit, ut clarum eſt in Nabuchodonoſor, Antiocho, Herode, & aliis. Sed ſæpe non fit. *Tempus*

1.Petr.4. *eſt*, inquit Petrus, *ut incipiat judicium*, id eſt, punitio peccati, *à domo Dei*, id eſt, ab ejus ſanctis, quos flagellat, ut alios commonefaciat, quantum ipſis ſupplicium debeatur. *Sic iuſti patiuntur*, ut Paulus ait, *in exemplum iuſti iudicii Dei*,

2.Theſ.1. quod videlicet exercebit in reprobos. *Quantos cernimus Ethnicos atque Iudæos, hæreticos, atque di-*

In epiſt. ad Caſtrut. *verſorum dogmatum homines*, inquit D.Hier. *volutari in cœno libidinum, madere ſanguine, feritate lupos, rapacitate milvos vincere, & nihilominus flagellum non appropinquare tabernaculis eorum, & idcir-*

Pſalm.72. *co ſuperbire contra Deum, & tranſire uſque ad cœlum os eorum? Cùm ſanctos è contrario homines, ſciamus ægrotationibus, miſeriis, & egeſtate torqueri? Quid inter Reges Ioſia ſanctius? Ægyptio mucrone interfe-*

ctus

ſtus eſt. Quid Petro, quid Paulo ſublimius? Neronianum gladium cruentarunt. Dei filius ſuſtinuit ignominiam Crucis. Sic Hieron. 2. Paral. 35. Euſeb. lib... cap...

Hinc intelligitur, ait S. Aug. *quomodo non parcatur impiis, tanquam ſarmentis præciſis ad combuſtionem, quando iuſtis non parcitur ad perficiendam purgationem? Si,* ait Chriſtus, *in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Si ita percutit quos amat; quomodo feriet quos reprobat? Oſtendit tamen Deus,* inquit Auguſtin. *ſæpè etiam in his ſuam operationem. Nam ſi nunc omne peccatum manifeſta plecteret pœna, nihil ultimo iudicio reſervari putaretur. Rurſum, ſi nullum peccatum nunc puniret apertè Divinitas, nulla eſſe divina providentia crederetur.* Qui & alibi; *Si nemini retribueret etiam in iſta vita, quaſi non videretur vigilare divina Providentia. Si omnibus non ſervaretur, Divina patientia.* Quam maximè oſtendit in ſuſtinendis peccatis hominum, eorum etiam, *quos ſcit in malitia perſeveraturos, nobis tolerandorum malorum præbens exemplum:* cùm ille toleret, qui in poteſtate vindictam habet. Cont. Fauſt. li. 22. cap. 2. Luc. 23. Greg. li. 3. Moral. c. 6. De Civit. lib. 1. ca. 8. In pſal. 30. Conc. 3. De Catec. rud. ca. 19. Serm. 54. quæſt. 6. in Nov.

Quis ergo peccavit, rogant Apoſtoli, videlicet, præ cæteris, *ut cæcus naſceretur.* Origenes tractans de diverſitate nativitatum hominum: *Ioannes,* inquit, *in ventre matris tripudiat, & exultat, cùm vox ſalutationis Mariæ ad aures Eliſabeth Matris eius allata eſt. Ieremias Propheta, antequam plaſmaretur in utero matris, cognitus eſt à Deo, & antequam à vulva procederet, ſanctificatus eſt ab eo, & puer adhuc Prophetiæ gratiam accipit. E contrà, alii à dæmone aliquo poſſeſſi nati ſunt, vel à puero Pythonem paſſi ſunt, aliiſque innumeris* Lib. 3. de principiis, cap. 3. Lucæ 1. Ierem. 1.

defecti-

defectibus ſubjecti ſunt. Et reſpondet: *Nō poterit dici Providentiâ, omnia quæ in mundo ſunt regi (ut tamen Scriptura aſſerit, & noſtra cōtinet fides) ita ut abſque omni injuſtitiæ culpa Providētia demōſtretur, niſi priores quædam fuiſſe eis cauſæ dicātur, quibus antequā in corpore naſcerentur animæ, aliquid contraxerunt culpæ in ſenſibus vel motibus ſuis, pro quibus hoc meritò pati à Divina providentia judicatæ ſunt. Liberi nāque arbitrii ſēper eſt anima, etiā cùm in corpore hoc, etiam cùm extra corpus eſt; & libertas arbitrii vel ad bona, vel ad mala movetur. Nec unquā rationabilis ſenſus, id eſt, anima vel mēs, ſine motu aliquo vel bono vel malo eſſe poteſt. Quos motus cauſas præſtare meritorū veriſimile eſt, etiā priuſquā in hoc mūdo aliquid agāt, ut pro his meritis vel cauſis per Divinā providentiā ſtatim à prima nativitate, imò & ante nativitatem, vel boni aliquid vel mali perpeti diſpenſentur.* Sic Orig.

In epiſt. ad Demetr. Et D. Hier. de Orig. loquens; *Solent*, inq. *hujuſcemodi per angulos muſſitare, & quaſi iuſtitiam Dei quærere. Cur illa anima in illa nata eſt provincia? quid cauſæ extitit, ut alii de Chriſtianis naſcantur parentibus, alii inter feras, & ſæviſſimas nationes; ubi nulla Dei notitia eſt? Cumque hoc quaſi ſcorpionis ictu ſimplices quoſque percuſſerint, & fiſtulato vulnere locū ſibi fecerint, venena diffūdūt. Putáſne fruſtra infās parvulus, & qui vix matrē riſu & vultus hilaritate cognoſcat, qui nec boni aliquid fecit, nec mali, dæmone corripitur, morbo opprimitur regio, & ea ſuſtinet, quæ videmus impios homines nō ſuſtinere, & ſuſtinere Deo ſerviētes?* Pſalm. 18. *Si autē sūt, inquiūt, iudicia Dei vera, iuſtificata in ſemetipſis, & nihil apud Deū iniuſtū eſt, ipſa ratione cōpellimur, ut credamus animas fuiſſe in cœleſtibus, & propter quædam antiqua peccata damnatas in corporibus*

Digitized by Google

bus humanis,& ut ita loquamur, ſepultas, noſque in valle lachrymarum pœnas luere veterum peccatorum. Unde & Propheta dicit, Priuſquam humiliarer, ego deliqui. Et, *Educ de carcere animam meam.* Et, *Iſte peccavit, ut cæcus naſceretur, an parentes ejus? & cætera his ſimilia.* Sic Hieron.

Pſalm.118. Pſal.141. Ioan.9.

Sed hæc opinio, inq. Aug. *qua creduntur animæ hominum ante iſta corpora ſua, quaſdam proprias vitas geſſiſſe, quibus ad hæc venirent, pro diverſitate meritorum, diverſa hic expertura, vel bona, vel mala, variis modis ſubvertitur. Primò, per miras hominum vocationes; fit enim ſæpè, ut qui cum mitioribus vitiis nati ſunt, ingenioſi, temperantes, vincunt libidinem, deteſtantur avaritiam,* &c. *non audiant prædicationem Chriſti: peſſimi autem ita gubernentur, ut & audiant & credant,* &c. *Deinde authoritate Scripturæ ſacræ, quæ Iacob & Eſau nondum natos aliquid boni, aut mali egiſſe negat, & unumquemque recepturum aſſerit, prout geſſit in corpore,* non antè, quia anima non producitur ante corpus, nec recipit eſſe, niſi in corpore; non poſt corpus, quia ſtatus merendi morte terminatur. Quod autem hic ſine defectibus naſcitur, aut non cum tam magnis ac multis, gratia eſt Dei miſerentis; ille autem cum iiſdem, vel majoribus & pluribus, juſtitia eſt Dei punientis. Omnes enim in peccato concipiuntur & naſcuntur, quod per unum hominem intravit in mundum, & per omnes homines pertranſiit, à quo non liberat niſi gratia Dei per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtū.

De peccat. merit. li.1. cap.22. Roman.9. 2.Cor.5. Aug. Cont. Iulian. li.4. cap.3. Roman.5.

Sive autem maximis, ſive minimis vitiis urgeamur, nefas eſt, ut quis dicat ei qui ſe finxit, quamvis omnipotenti, juſto, bono, quare me feciſti ſic? Dicit D. Proſp. *Omnes omnia inciderēt mala, per cō-*

Horat. Sat 3. Aug. ibid.

Digitized by Google

Li.1.ca.22. de vocat. gent. *munem conditionem, ſed generali neceſſitate ſervata cauſas ſibi Dominus indulgentiæ correptioniſque ſervat: eſtque in uno omnium debito, quod & miſericors remittit, & juſtus exigit.* Et D. Aug. contra Iulian.

Lib.3.c.4. *Qui negatis parvulos Originali peccato obnoxios, reſpondete, quo merito tanta innocentia nonnunquam cæca, nonnunquam ſurda naſcatur? Quod vitium etiam impedit fidem, Apoſtolo teſte, qui ait; Igitur fides ex auditu eſt. Iam verò quis ferat, quod ad ipſum ſpectat animum, imaginem Dei fatuam naſci, ſi nulla ex parentibus mala merita in parvulos tranſeunt? An ita eſt quiſquam fatuus, ut fatuitatem, nullum malum putet; cùm Scriptura dicat, mortuum ſeptem diebus, fatuum verò omnibus diebus eſſe lugendum? Quis autem neſciat, quos vulgò moriones vocant, natura ita fatuos, ut quibuſdam eorum penè ſenſus pecorum conferatur? Et non vultis fateri genus humanum, ex initio quo deſeruit Deum, trahere damnatæ originis noxam his omnibus digniſſimam pœnis, niſi ubi parcit, ratione diſpoſitionis occultæ ſapientia conditoris?* &c.

Rom.10.

Eccl.22.

Vide de pec.Orig. c.6.tom.3.

Lib.3.ca.6. in Iulian. Et rurſum; *Malum ſi nullum ex origine traherent (parvuli) nunquam cum vitiis vel corporalibus naſcerentur. Deus enim, qui eſt animarum conditor, etiã eſt corporum, qui utique humanæ naturæ in ipſa conditione vitia non infligit immerita. Neque enim de innumerabilibus parvulis, qui & in animo & in corpore, cum tanta vitiorum varietate naſcuntur, hoc dici poteſt, quod Dominus ait de illo qui cæcus natus eſt, non propter peccatum ipſius, vel parentum id eſſe factum ſed ut manifeſtarentur opera Dei in illo. Multi quippe nec ſanantur omnino, ſed cum iiſdem vitiis, ſive in qualibet ætate, ſive in ipſa moriuntur infantia. Nonnullis etiam parvulis jam renatis, vel permanent*

Ioan.9.

Digitized by Google

tum quibus ſunt nati, vel accidunt hujuſmodi mala: Abſit, ut dicamus indignè, ſed hinc potius intelligamus, eis ad alterum ſæculum prodeſſe, quod renaſcantur. Hujus autem ſæculi diſpoſitionem, propter initium ſuperbiæ hominis, per quod apoſtatavit à Deo, diverſis hominum malis peragi in jugo gravi ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Sic Auguſt. Eccl.40.

Si ergo quæratur cauſa efficiens defectuum, eſt juſtitia Dei punientis peccatum prædictum (quod videtur ignoraſſe Origenes.) Sunt enim pœnæ & effectus peccati originalis, ut ait D.Tho. ſive ſint defectus animi, ſive corporis. Si finalis quæratur, uti hic in iſto cæco nato, eſt ut manifeſtentur opera Dei in illo; id eſt, in eo quod circa ipſum fit. Sed quæ ſunt illa Dei opera? Miraculum iſtud, & fides eorum, qui ex iſto miraculo ad Chriſtum ſunt converſi, hoc enim eſt opus Dei, credere. Dicit D.Thom. *Deus præſcius eſt omnium futurorum eventuum, ex diſpoſitione divina præſentia & providentia; & ideo hujuſmodi pœnalitates diverſimodè in diverſis inveniuntur, non quidem propter aliqua merita præcedentia hanc vitam* (ut ſupra oſtenſum,) *ſed vel in pœnam paternorum peccatorum, in quantum filius eſt quædam res patris, unde frequenter parentes puniuntur in prole; vel etiam propter remedium ſalutis ejus, qui hujuſmodi pœnalitatibus ſubditur, ut ſcilicet per hoc à peccatis coërceatur, aut etiam de virtutibus non ſuperbiat, & per patientiam coronetur.* Sic D.Thom.

D.Thom. 1.2.q.87. art.7.ad 1.

Secunda 2. q.164.art. 1.ad 4.

MONITUM XCVII.

Inter natos mulierum non ſurrexerit major Ioanne Baptiſta.

Matth. 11.

MAgnus fuit Joannes Baptiſta in nativitate, magnus in vita, magnus in morte. Quoad nativitatem, omnia in ea magna & mira fuerunt. Taceo, quod adventus ejus etiam à Prophetis prædictus, ut; *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini.* Et; *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Conceptio & nativitas ejus prænuntiata ab eodem Angelo, à quo Nativitas Chriſti, videlicet à Gabriële, qui (ut ipſemet fatetur) *aſtat ante Dominum.* Nam etiam hic exequendo ſuum miniſterium, præſentem Deum aſpiciunt; unde & Chriſtus in Evang. *Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt.* Conceptus eſt à ſenibus, matre etiam ſterili, ut Iſaac, Jacob, Joſeph, Samſon, Samuel & alii, omnes maximi ſancti. *Significant filios gratiæ, qui non virtute carnis, ſed ſingulari dono gratiæ naſcuntur,* ut Auguſtinus. Deinde ſanctificatus in utero, & ſingulari privilegio factus templum Spiritus ſancti, ab Originali peccato purgatus. Unde quod de Jeremia, etiam de Baptiſta dicit Eccleſia, *antequam exires de vulva, ſanctificavi te.* Et ipſe Angelus dicit, *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ.*

Iſai.40. Malach.3. Luc.1. Matth.18. Matth.18. De Civit. lib.15.c.3. & epiſt. 105. Ierem.1. Luc.1.

Tertiò

Tertiò,accepit non ſolùm gratiam,ſed & ejus uſum,& liberi arbitrii: unde factum eſt,ut agnoſceret præſentiam Salvatoris, in voce Virginis Elizabeth matrem ſalutantis,ut ad eam exultaret, id eſt,cum gaudiò exſiliret in utero matris. Unde D.Ambr. *Habebat intelligendi ſenſum qui exultandi habebat affectum.* Et ejus Pater,tanquam ad intelligentem ſermonem dirigens,ait,*Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis.* In hunc locum Lucæ & Orig. Luc. 1.

Quartò, in ipſa nativitate mundus prodiit, ſine peccato Originali. Nos ut in eo concipimur, ita & in utero matris alimur, & naſcimur, filii iræ, & damnationis rei, niſi miſericordia liberemur. Unde in Job; *Nemo mundus à ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram.* Et ipſe David; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*, &c. Epheſ.2. Rom.5. Iob 25. ſec.70. Pſalm.50.

Quintò,Pater à Spiritu S. edoctus,nomen ejus ſcripto expreſſit,cunctis ſtupentibus:idem nomen Mater cenſuit imponendum,non à viro qui mutus erat,ſed à Spiritu ſancto etiam edocta.Sic nomen Abrahæ, Iſraël, Petri, Jeſu, ab ipſo Deo impoſitum,myſterii cauſa, uti patet ex nominum ſignificatione.

Sextò, Nomen non à carnali progenie, quod carnales obſervare ſolent, ſed à ſpiritali officio ſortitus eſt, quia erat annuntiaturus gratiam Dei, & gratiæ autorem,quam etiam in ſemetipſo monſtravit. Quo enim merito ita exaltatus, niſi quia Deus ita voluit, non quia ille meruit? nihil enim adhuc boni fecerat.

Denique Zacharias pater, ut ſcripſit nomen, ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, quo ante ob

Digitized by Google

incredulitatem tenebatur; dixerat enim: *Vnde hoc*
Luc.1. *ſciam? Ego enim ſum ſenex,* id eſt, ad generandum inidoneus, *& uxor mea proceſſit in diebus ſuis.* Non
Roman.4. ſic Abraham, qui *non conſideravit corpus ſuum emortuum, nec emortuam vulvam Saræ.* Sed credidit quod Deus eſſet verax in verbis, omnipotens in factis; cujus voluntati & potentiæ, naturæ impedimenta non poſſunt obſiſtere. Et loquebatur benedicens Deum, Canticum illud, quod quotidie frequentatur in Eccleſia, pronuntians,
Luc.1. *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Unde alii videntes hæc mirabilia, dicebant; *Quis putas, puer iſte erit?*

Magnus præterea fuit in vita, in qua duo conſideranda; Converſatio, & Prædicatio. Converſatio, optimis virtutibus fuit ornata; Inprimis, humilitate, quam oſtendit, quando ne nomen
Ioan.1. Luc.3. quidem Prophetæ admiſit; cùm tamen alii quaſi pro ipſo Meſſia eum habebant; *Vox,* inquit, *ſum*
Vide Mon. 81. *clamantis,* ne hoc quidem mihi arrogo, quod clamo, ſed vox ſum alterius, qui in me clamat, verbo, exemplo; *cujus non ſum dignus corrigiam calceamenti ſolvere.*
Ioan.1. Quàm humiliter erga Chriſtum ſe geſſit, cùm ad eum baptiſmi cauſa veniret,
Matth.3. *Ego à te debeo baptiſari, & tu venis ad me?* Summi ſancti apud Deum, minimi ſunt apud ſe. *Et bene*
Kemp. li.1. de Imit. *ſemper agere, & modicum de ſe tenere,* ait Thom. Kempenſis, *humilis animæ indicium eſt.* Omitto, quod pauperem, & abjectam vitam à puero elegit, in deſertis agens; opes, honores, & cætera hu-
Luc.1. juſmodi mundana contemnens, ſuperbiæ incitamenta.

Alia ejus virtus, ſobrietas & abſtinentia: *Venit*
Ioannes

Ioannes baptiſta, inquit Chriſtus, *non manducans panem, neque bibens vinum: quod bonum eſſe*, ait Apoſtolus. *Erat in deſertis uſque ad diem oſtenſionis ſuæ*, quæ quàm parum ſuppeditent ad vitæ neceſſaria, quis neſciat? *Veſtis aſpera, zona pellicea, cibus locuſtæ, melque ſilveſtre, omnia virtuti, & continentiæ præparata*, inq. Hier. Non ergo ſuperſtitiosè, ſed piè faciunt qui ad exemplum Baptiſtæ, à quibuſdã abſtinent; id enim faciunt ut caſtigent corpus & ſervituti ſubjiciant, ad exemplum Apoſtoli: *nec dãnant naturam*, ut illi de quibus Paulus ad Timotheum, *ſed uſum ſemovent*, ut ait D. Leo. Dixerat de eo Gabriël, *Vinum & ſiceram non bibet*. Nobis tanta abſtinentia, etſi non neceſſaria, *cibo tamen & potu moderatè utendum, non nimio deſiderio inhærendum*; imò etiam ab eiſdem ſæpè abſtinendum: *abjicere omnia non licet, natura ſuſtentanda eſt; ſed requirere ſuperflua, & quæ magis delectant, Lex ſancta prohibet; alioqui caro adverſus ſpiritum inſoleſceret. Fræna gulam, & omnem carnis inclinationem facilius frænabis.*

Lucæ 7.
Rom. 14.
In epiſt. ad Ruſtic.
1. Cor. 9.
1. Timo. 4.
Serm. 4. de Quadrag.
Kemp. li. 3. cap. 30. de Imitat.
Vide Mon. 99.
Idem lib. 1. cap. 19.

Tertia virtus ejus, Caſtitas, cujus illa prior mater eſt; virtus Angelica. *Sola eſt caſtitas*, ait S. Bernard. *quæ in hoc mortalitatis loco & tempore, ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat. Sanctam quidem habuit matrem, Pontificiſque filius erat; & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret caſtitatis*, ait D. Hieronym. Unde Ruſticum monet: *Matrem ita vide, ne per illam alias fœminas videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum vivat ſub pectore vulnus. Ancillas quæ illi ſunt in obſequio, tibi ſcias eſſe in inſidiis: quantò vilior earum conditio, tantò facilior ruina.*

Ber. epi. 24.
In epiſt ad Ruſtic.
Ibidem.

Et in epiſt. ad matrem & filiam, dicit *quod libido in nullis ætatibus tuta ſit, & quod etiam ferreas mentes domet*. Et D. Baſilius monet Virginem, *ut etiam erga fratrem cauta ſit; nam*, inquit, *etiam inter hujuſmodi perſonas luxuria vexilla ſua erexit*. Subtractis ergo fomentis, quæ ſunt mollities veſtium, cibus & potus, converſatio, aſpectus, auditus, &c. libido locum non habebat. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis*, inq. Sapiens: & Poëta;

Baſil. de vera Virginit.

Prov. 26.

Subtrahe ligna foco, ſi vis extinguere flammam.

Poſtrema ejus virtus (ut aliàs taceam) pietas fuit. *Vivebat*, ait Hiero. *in eremo, & oculis deſiderantibus Chriſtum, nihil aliud dignabatur aſpicere. In deſertis cœlum apertius, Deus familiarior*, inq. Origenes. Totum autem id tempus uſque ad diem oſtenſionis ſuæ, quibus, niſi Divinis rebus, Orationibus, meditationibus, & ſimilibus exercitiis, ad quæ aptiſſima eſt ſolitudo, tranſegit? *Iam undique ſilva, & ſolitudo, & ipſum ſilentium, magna cogitationis incitamenta ſunt*, ait Plinius. *Maximi Sanctorum*, ait quidam Sapiens, *humana conſortia, ubi poterant, vitabant; & Deo in ſecreto vivere eligebant. Et qui intendit ad interiora & ſpiritualia pervenire, oportet eum cum Ieſu à turba declinare. Unde putatis, fratres*, inq. S. Aug. *Servis Dei impleta eſſe deſerta? Si benè illis eſſet inter homines, recederent ab hominibus?*

Ibidem.

Hom. 11. in Luc.

Li. 1 epi. 6. Kemp. lib. 1 cap. 20. de Imit.

In pſal. 54.

Iſaac ſeceſſum & ſolitudinem petens, meditandi gratia, primus docuit mortales, eã opportuniſſimam eſſe ad res quaſcunque magnas animo agitandas, tractandaſque. Et Philoſophi ac Poëtæ ſeceſſus & ſolitudines frequentabant. Unde illud;

Gen. 24.

Scriptorũ chorus omnis amat nemus, & fugit urbes.

Horat.

Flagrantiſſimum ſolitudinis amatorem, & cultorem

torem fuiſſe D.Hier.indicant ejus epiſtolæ: *Mihi,* inq. *oppidũ carcer eſt, ſolitudo paradiſus. Crede mihi, neſcio quid hic plus lucis aſpicio.* Sic & S. Bern. *Experto crede, aliquid amplius invenies in ſilvis, quàm in libris; ligna & lapides docebunt te, quod à Magiſtris audire non poſſis. In ſilentio & quiete,* ait ibid. Kemp. *proficit anima devota, & diſcit abſcondita ſcripturarum. Ibi invenit fluenta lachrymarum, quibus ſingulis noctibus ſe lavet, mundet, ut conditori ſuo tanto familiarior fiat, quanto longiùs ab omni ſæculari tumultu degit. Qui ergo abſtrahit ſe à nobis & amicis, appropinquabit illi Deus cum Angelis ſanctis.*

Ad Helio. & Ruſtic. Epiſt.106.

Prædicatio ejus optima fuit, in qua ejus elucet charitas, qua proximos ad Chriſtum & ſalutem conabatur adducere; hortatus eſt homines ad Pœnitentiam, & bonam vitam, unumquemque ſecundùm conditionem ſui ſtatus; omnibus enim ſe debitorem agnoſcebat. Promiſſis incitabat, terrebat minis; non reſpiciens perſonas hominum, nec Phariſæos, quos tamen periculoſum erat habere offenſos, ut Ioſephus ait, quibus dicebat: *Progenies viperarum,* &c. nec Reges, unde Herodi adultero dixit intrepidè, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Ad laudem Chriſti: (ut videbatur) dicunt Judæi: *Non eſt tibi cura de aliquo. Non enim reſpicis perſonam hominum. Interrogatus à turbis, Quid faciemus? ſingulis generibus hominum conveniens tribuit reſponſum,* ait D.Ambr. *Unum omnibus. Publicanis, ne ultra præſcriptum exigant. Militibus, neminem concutere, nemini calumniam facere, ſtipendiis ſuis contentos eſſe.* Sic cogitandum de reliquis ſtatibus hominum: quod conjugatos monuerit, ſibi mutuo eſſe fideles in utendo conjugio

Luc.3.

Roman.1.

In lib Antiq. Iudaic.

Matt.3.14.

Marc.6.

Matth.22.

Luc.3.

In cap 3. Lucæ.

jugio honeſtos & caſtos, educare filios in timore Domini. Mercatores, juſtos eſſe in mẽſura, numero, pondere, non pluris res vẽdere quã valeant. &c. Filios parentes honorare, eis obedire, ſubvenire, &c.

Omnibus autem præcepit eleëmoſynam, tanquã omnibus neceſſariam; *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. A qua præſtanda nullus omninò excipitur*, inq. Ambr. *& nullus eſt, quin aliquam præſtare poſſit*, ait Aug. *vel facultate, vel benevolentia, conſilio, auxilio, voto, oratione*, &c. hinc Tobias ad filium; *Quomodo potueris, eſto miſericors. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleëmoſyna facientibus eam, ipſa ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Sic præcepit & *Pœnitentiam*, omnibus omnino neceſſariam, ut oſtendit D. Aug. & non baptiſatis, & poſt baptiſmum relapſis, & juſtè etiam viventibus, tametſi diverſimodè, ut alibi dictum.

Eodem lib. In pſal. 36. conc. 2. Tob. 4. Matth. 3. Luc. 13. Hom. 50. inter 50. Pars 1. M. 46. Matth. 3.

Comminatio ejus erat, *Iam ſecuris ad radicem poſita eſt: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Et, *Cujus ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & paleas comburet igni inextinguibili.* Promiſſio autem erat, *Triticum congregabit in horreum ſuum.* Et, *Appropinquabit regnum cœlorum.* Quæ promiſſio nova erat, ad illud tempus nunquam audita. Tot fuerunt antè Prophetæ & Patriarchæ, nulla hujus vocis apud illos mentio, ſoli Præcurſori reſervata, ex cujus ſacro ore primò ſonaret. *Teſtimoniis quidem vitæ æternæ abundat vetus Scriptura, & reſurrectionis mortuorum*, ait D. Aug. *Sed hoc nomen, Regnum cœlorum, ibi non invenitur, pertinet ad revelationem novi teſtamenti.* Maximum autem eſt, quod Salva-

Ibidem. Cont. Fauſt l. 19. cap. 31

torem

torem hominibus demonſtravit, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Cujus cognitio omnino ad ſalutem eſt neceſſaria: *Non eſt enim in alio aliquo ſalus,* inq. Petrus. In ipſo habemus patriam, in ipſo habemus viam eò ducentem. Hier. cont. Pelag. l. 2. Ioan. 1. Act. 4.

Magnus denique fuit in morte, quia pro juſtitia & veritate occiſus. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.* Et, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Maximum dei donum Martyrium, *ad cujus nominis titulum non niſi fide nobiles veniſſe pleroſque, ut devotionis obſequium mors honeſtaret,* inquit D. Cypr. Tametſi talis mors vilis ac contemptibilis ſit in oculis impiorum, qui de homine vix aliud cogitare ſolent, quàm quod hîc vident. *Videbunt,* inq. Sapiens, *finem ſapientis, & non intelligent quid de illo cogitaverit Dominus.* Et alibi; *Neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ.* Unde de Baptiſta canit Eccleſia; *En quomodo perit juſtus, quaſi non eſſet Deo dilectus; cùm ſit tamen pretioſa mors hæc in conſpectu Domini.* De eodem cecinit Poëta: Pſal. 115. Matth. 5. De laude Martyrii. Sap. 4. & 2.

Heu pretioſa tulit laſcivi præmia luſus
Saltatrix, damno læta puella ſuo.

Moyſes æſtimavit improperium Chriſti majores divitias theſauro Ægyptiorum. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Eligo pati, dicebat S. Ignatius, *ſed neſcio an dignus ſim,* tanto videlicet dono: & D. Cypr. conquerentibus ſe propter mortalitatem, quâ extinguebantur, perdere occaſionem martyrii; *Non eſt,* inq. *in tua poteſtate, ſed in Dei dignatione martyrium: nec potes te dicere perdidiſſe, quod neſcis an merearis accipere.* Hebr. 11. Actor. 5. In epiſt. ad Trallian. In tract. de mortalit.

D. Am

Epiſt.33. ad Marcell.

D.Ambroſ. cùm Valentinianus Imp.Baſilicam pro Arianis peteret;*Si*,inq.*à me peteres quod meum eſt,fundum meum,argentum meum*,&c.*non me refragaturum, (etſi omnia mea pauperum ſunt) verùm Divina Imperatoriæ poteſtati non ſunt ſubjecta.Si patrimonium petitur,invadite : Si corpus,occurram : vultis in vincula rapere,in mortem? voluptati eſt mihi. Non ego me vallabo circumfuſione populorum,nec altaria tenebo vitám obſecrans,ſed pro altaribus gratiùs immolabor.* Et Calligono Præpoſito cubiculi Imperat. dicenti ad eundem Ambr. *Me vivo tu contemnis Imperatorem?caput tibi tollo*.Reſpond.Ambr. *Deus permittat tibi, ut impleas quod minaris; ego enim patiar quod Epiſcopi,tu facies quod ſpadones.*

Nazian.in orat. de laudib. D.Baſil.

Sic & S.Baſilius Præfecto Valentis Imp. mortem minitanti, niſi doctrinæ Arianæ conſentiret: *Mors*,inq.*beneficii loco mihi erit,citiùs enim ad Deũ tranſmittet,cui vivo,& ad quem jampridem propero. Ignis,& gladius, & beſtiæ, & ungulæ lacerantes carnem,voluptati nobis ac delitiis potius ſunt,quàm terrori.Utinam fruar beſtiis*, dicebat B. Ignatius, *quæ mihi ſunt præparatæ,quas & opto mihi veloces eſſe ad interitum, & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me; ne,ſicut & aliorum Martyrum,non audeant corpus attingere. Quod ſi venire noluerint, ego vim faciam,ego me urgebo,ut devorer.Ignoſcite mihi,filioli, quid mihi proſit,ego ſcio.Ignis,crux,beſtiæ,confractio oſſium,membrorum diviſio, & totius corporis contritio,& tota tormenta Diaboli in me veniant : tantum Chriſto fruar. Cumque jam damnatus eſſet ad beſtias, & rugientes audiret leones, ardore patiendi* (inquit Hieron.)*ait,Frumentum Chriſti ſum,dentibus beſtiarum molar,ut panis mundus inveniar.*

In epiſt. ad Roman.

In lib.de Scriptorib. Eccleſiaſt.

MONI

MONITUM XCVIII.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.

Matth. 18.

ANgelos bonos aſſignatos eſſe hominibus, & maximè electis, qui cuſtodiant, & adverſus pericula, ſive corporum, ſive animarum tueantur, ſcripturis eſt valde conſentaneum. In quibus non modò generalis illa circa Eccleſiam cura angelica commendatur, ad quã pertinere cenſet D. Bern. quod ſcriptum eſt, *Super muros tuos, Ieruſalem, conſtitui cuſtodes. Super muros*, id eſt, viros excellentes, qui præeminent in Eccleſia. Verumetiam particularis illa circa ſingulos, præſertim electos, quò pertinere putat idem Bern. illud Pſalm. *Quoniam angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Quod verbum multam nobis*, (inquit) *inferre debet reverentiam, adferre devotionem, conferre fiduciam: reverentiam pro præſentia; devotionem pro benevolentia; fiduciam pro cuſtodia.* Et infra, *Adſunt enim*, inquit, *ut protegant, adſunt ut proſint.* Et rurſum, *Ne quiſquam minus illis fidendum eſſe putaret. Etſi*, ait, *tam parvuli ſimus, & tam magna nobis, & tam periculoſa reſtet via, quid tamen ſub tantis cuſtodibus timeamus? Nec ſuperari, nec ſeduci, minùs autem ſeducere poſſunt, qui cuſtodiunt nos in omnibus viis noſtris; fideles ſunt, prudentes ſunt, potentes ſunt, quid trepidamus? Oſtendunt nobis, quanta nos*

Iſai. 62.
Pſalm. 90. ib. Ber. ſer. 11. & 12.

debeamus

debeamus illis ſiducia committere. Hæc Bernard.

Sed & conſequentibus oſtendit, quibus in rebus cuſtodes illi nobis auxilio eſſe ſolent, nimirum in tentationibus, ne illis ſuccumbat humana infirmitas: eò namque refert illud: *In manibus portabunt te: Spirituales enim ſunt,* inq. *manus iſtæ, & auxilia*
Pſal.99. *utique ſpiritualia, quæ ſingulis electorum pro cujuſque diſcriminis modo & objectæ difficultatis, tanquam lapideæ molis quantitatem, ab his qui illis deputati ſunt angelis ſpiritualiter & multipliciter exhibentur.* Hoc jam exemplis declarat, quin & modum oſtendit, quo adjuvent, ſcilicet, *immiſſione cogitationum ſanctarum, ac duplici demonſtratione, tanquam duabus manibus, dum videlicet hinc tribulationis brevitatem, inde æternitatem retributionis demonſtrant. Quis verò,* inq. *iſtas tam bonas per bonos non credat fieri, cùm certum ſit, quod è contrario malæ utique fiant immiſ-*
Pſal.77. Ser.7. in Cant. *ſiones per angelos malos.* In Cantica etiam illud nobis oſtendit angelorum officium circa electos: *Credimus,* inq. *angelos ſanctos aſtare orantibus, offerre Deo preces & vota hominum. Probat hoc angelus ita loquens ad Tobiam: Quando orabas cum lachrymis,*
Tob.12. *ego obtuli orationem tuam Domino.*

Sed & alibi tres adfert rationes, cur circa nos
In feſto S. Michaëlis. cuſtodiendos tam ſint ſeduli. *Nam ad nos adjuvandos,* inq. *attrahit ſupereminens charitas angelorum, propter Deum, propter nos, propter ſeipſos: Propter Deum utique, quia cujus tanta erga nos miſericordiæ ſunt viſcera, ipſi quoque eum, ut dignum eſt, imitantur.*
Eodem Ser. *Ipſi enim,* inquit, *nos amant, quia nos Chriſtus amavit. Propter nos, in quibus nimirum propriam ſimilitudinem miſerantur: propter ſeipſos, quorum ordines inſtaurandos ex nobis toto deſiderio præſtolantur.*

Quod

Quod ſi quis dicat, quemadmodum idem ait, *ubi ſunt, quis eos vidit? Vidit eos Propheta Elizeus, inſuper & fecit orando, ut videret etiam & puer ejus. Vidit Patriarcha Iacob, & dixit: Caſtra Dei ſunt hæc. Vidit & Doctor gentium, qui dicebat: Nonne omnes adminiſtratorii ſpiritus ſunt, in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capient ſalutis?* Ser. 39. in Cant. 4. Reg. 6. Gen. 32. Heb. 1.

Non quod hominum ſunt miniſtri, cùm ſint natura præſtantiores & ſuperiores, ideo non ait Apoſtolus, in miniſterium hominum eſſe miſſos, ſed Dei, ſcilicet propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Deo ergo miniſtrant in hominum uſus ac utilitatem. Nec hoc miniſterio diſtrahuntur à ſuaviſſima contemplatione Divinitatis, aut ejus quietis, qua fruuntur, aliquam diminutionem patiuntur, ſemper enim interim vident faciem patris. Unde & Gabriël ipſe in miniſterio poſitus, *aſtare ſe dicit ante Deum*. Sed nec impediunt ab ipſius Dei ſummo amore, quæ propter Deum ſuſcipiunt, ſed tum demum amor ille imminuitur, ſi quid præter Deum ametur, quod non ametur propter illum. Et diſtrahi, eſt imperfectarum mentium, & nondum confirmatarum, quæ ob imbecillitatem in res diverſas nequeunt intendere. Matth. 18. Luc. 1.

Atque hinc eſt, quod frequenter Bernar. hortatur, *ut cautè ambulemus, in quovis diverſorio, in quovis angulo: item ut ſtudioſè oremus; quoties enim cernetur urgere graviſſima tentatio, & tribulatio vehemens, invoca cuſtodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus & tribulationibus tuis.* Hæc fuſius diverſis locis apud Bern. Quibus & illa conſonant, quæ apud alios quoque veteres inveniuntur. Videtur autem D. Ber. diverſis locis.

indica

indicare Scriptura, quod ſingulis hominibus ſinguli Angeli dati ſunt in cuſtodiam, quod non neceſſitate fieri putandũ eſt, quaſi unus Angelus plures homines tueri non ſufficiat, ſed partim ad teſtificationem propenſiſſimæ, & abundantiſſimæ erga nos Dei curæ, partim ad animarũ dignitatẽ cõmendandam referendum eſt; quemadmodum præ ſe ferunt verba D. Hier. quibus ait, *Magna dignitas animarum eſt, ut unaquaque habeat ab ortu nativitatis ſua Angelum ad cuſtodiam ſui delegatum.*

In cap. 18. Matth.

Non eſt autem probabilis opinio, cuique etiam aſſignatum malum Angelum ad exercitium. 1. quia in multis hominibus nullus eſt exercitii locus, in iis videlicet, qui Diabolo ultrò libenterque ſerviunt. Exercentur autem ii à Dæmonibus, qui occaſione tentationis proficiunt, & aliquam interioris hominis colligunt firmitatem. 2. ſupervacaneum eſt, unum aliquem dæmonem cuique ad exercitium dare, quando promptiſſimè omnes ex ſemetipſis circumvolant unumquemque noſtrum, in id ſtudioſiſſimè incumbentes, ut quos poſſunt, ſeducant ac perdant. 3. veriſimile non eſt Dei providentiâ directè hoc agi, ut quiſque dæmonem habeat tentatorem & impulſorem ad malum, quia *Deus neminem tentat*, neque cuiquam autor perditionis eſt putandus eſſe, quantum ad ipſum attinet. Citatur Gregor. ſed nuſquam eſt apud eum: ſed apud Hugo. de S. Victore. Autoritas Origin. & Caſſiani non magni ponderis per ſe, tum quia ſcripſerunt ex libro Paſtoris apocrypho per Gelaſ. ut eſt apud Gratian. Denique abundè ex noſtra corruptione ad malum proni ſumus, ut non ſit opus impulſore. Gentiles id ſenſiſſe

Iacob. 1. Hom. 12. & 38. in Luc. Collat. 8. cap. 17. In conc. 70. Epiſcop. Diſt. 15. ca. Sancta Romana.

fuiſſe videntur; dum genios duos, unum bonum, alterum malum poſuerunt, uti & duos lares, de quibus Prudentius.

Porrò ad publicam cuſtodiam pertinet, quod legitur apud Danielem, ubi Angelus loquitur; *Ego veni propter ſermones tuos. Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi 21. diebus; & ecce Michaël unus de Principibus primis, venit in adjutorium mihi.* Et paulò poſt: *Et nunc revertor, ut prælier adverſus Principem Perſarum.* Quos enim alios Principes gentium quàm Angelos appellare putãdus eſt? niſi fortè hũc ſenſum impediat, quod inter illos Principes quoddam intelligeretur prælium eſſe & concertatio, tanquam alii aliis adverſentur & reſiſtãt; cùm inter alios ſanctos conſtet ſummam ſemper eſſe pacem. Verùm quonam modo hoc accipiendũ ſit, erudité tractat D. Greg. *Rectè*, inq. *dicitur quod contra ſe Angeli veniunt, quia ſubjectarum ſibi gentiũ viciſſim merita contradicunt. Nam ſublimes Spiritus eiſdem gentibus principantes, nequaquam pro injuſtè agentibus decertant, ſed eorum facta juſtè judicantes, examinant: cumque uniuſcujuſque gentis vel culpa vel juſtitia ad ſupernæ curiæ conſilium ducitur, ejuſdem gentis Præpoſitus vel obtinuiſſe in certamine, vel non obtinuiſſe perhibetur. Quorum tamen omnium una eſt victoria, ſui ſuper ſe opificis voluntas ſumma, quam dum ſemper aſpiciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt.* De Angelis ſanctis locum Danielis præter D. Gregor. interpretatus eſt D. Baſil.

Dan. 10.

Lib. 17. Moral. c. 8.

Li. 3. cont. Eunom.

Jam ſi ſingulis gentibus Angeli ſancti ſinguli publica quadam cuſtodia præſunt; omnino probabile, ſingulis præſertim fidelibus ſingulos Angelos bonos datos eſſe cuſtodes. Hinc D.

Hom.3. in 1.cap. ad Coloſſ.

Chryſoſt.ſcribit, *olim quidem Angelorum numerum fuiſſe juxta numerum gentium, nunc verò non ſecundum numerum gentium, ſed ſecundùm numerum fidelium.* Quod non ſic accipiendum, quaſi non putaverit Chryſ. etiam olim inter fideles privatas fuiſſe cuſtodias angelorum, etiam erga ſingulos; ſed de ea loquitur conſervatione gentium, quæ aliquid ſpectabat ad futuram gratiam & ſalutem ſempiternam. Talis enim cura & circa gentes ſingulas olim verſabatur, ex quibus futurum erat, ut ſalutem per Chriſtum adipiſcerentur aliqui, ſed ejuſmodi cura circa ſingulos minimè verſabatur: Veruntamen & ſingulorum tunc hominum aliquam Angeli curam geſſiſſe exiſtimandi ſunt, quòd vel hoc Divinæ providentiæ ratio poſtulet, quæ cùm circa ſingulos homines ſit, in executione ſui tamen, miniſteriis utitur Angelorum.

Quod ſi quæras quid hominibus ſingulis etiam infidelibus Angelica cuſtodia conferat? reſponderi poteſt, valere partim ad hoc, ut ne in graviora ſcelera præcipites ruant, & ne ſemper quod mala voluntate conceperint, opere perficiant: partim ut adverſus corporis injurias & oppreſſiones defendantur: in hoc enim Divinæ providentiæ ſubſerviunt, qua cuique vitæ terminus præfixus eſt, atque ipſe etiam modus terrenæ cujuſpiam felicitatis & infelicitatis.

Itaque juxta Divinæ providentiæ rationes per Angelos ſanctos humana iſta adminiſtrātur atque reguntur, & ſic quidem, ut eorum curſus, neque inſidiis, neque vi aliqua dæmonum queat interrumpi. Verùm circa homines ſanctos peculiaris quæ-

dam

dam Angelorum cura verſatur, cujus etiam ſæpius ſanctorum libri meminerunt: eaque cura duobus illis officiis potiſſimùm oſtenditur. Altero, quod poſitum eſt in tutela ſpirituali adverſus ſpirituales nequitias; namque ut annotavit D. Hilar. *Ad eam rem imbelli homini opus erat naturæ fortioris auxilio*: altero, in eo quod fuſas à ſanctis preces & ſuo miniſterio offerant Deo, & precibus ſuis quàm commendatiſſimas reddunt. In pſal. 134

Porrò quantum ad hæc pertinet auxilia & officia, diſcedere dicuntur ſubinde Angeli ab iis quos cuſtodiunt, quia videlicet, & tueri deſinunt, & in congreſſu jam ſua voluntate ſuperatis, & offerre & commendare vota & preces; ſemper interim Divinæ ſubſerviunt Providentiæ ad gubernationem peccatorum. Diſceſſum autem illum Angeli cuſtodientis expreſſit D. Baſilius, cùm ait; *Omni credenti Angelus Dei aſſiſtit, niſi illum per impias actiones profligaverimus. Sicut enim fumus apes fugat, & fœdus odor columbas; ſic Angelum vitæ noſtræ cuſtodem, graveolens peccatum.* Ingemiſcere quoque & dolere dicuntur, ob peccata eorum quos cuſtodiunt; ſed per metaphoram, ſicut pœnitere, & iraſci tribuitur Deo, quia nimirum quiddam facit, quale homines ſolent triſtes atque dolore affecti, cum ab eo à quo ſunt offenſi, diſcedunt. In pſal. 33.

Vide Amb. lib. 5. epiſt. 21. & 22. Aug. lib. 9. cap. 5. de C. vit. De

Admodum ſolliciti eſſe debemus, inquit S. Bern. *ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, & eo modo converſemur in conſpectu Angelorum, ne fortè ſanctos offendamus obtutus. Væ nobis, ſi quando provocati peccatis & negligentiis noſtris, indignos nos judicaverint præsētia & viſitatione ſua, qua pretegūt nos & propul-* Serm. 1. & 2. in feſto S. Michael.

ſant inimicum. Et in his maximè exercendum, quibus novimus eos oblectari: ut eſt ſobrietas, caſtitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, orationes cum lachrymis, & cordis intentione. Super omnia Angeli pacis pace & unitate delectantur, & his quæ formam quandam repræſentant in nobis, civitatis ſuæ, ut mirentur novam Ieruſalem in terra.

Officia autem & obſequia, quæ præſtant Angeli hominibus, non ſunt merita; ſunt enim jam extra ſtatum merendi, ſed ſunt effectus perfectæ beatitudinis, in eoque Deo ſimiles exiſtunt, qui cùm ſit beatiſſimus, magna tamen beneficiorum ſuorum varietate hominibus opitulatur, non quo ipſe fiat beatior, ſed ut homines ſuæ beatitudinis participes reddat; ſic illi omnia agunt, ut ad ſimilem beatitudinem provehamur. Si autem proficiant in præmiis quibuſdam, quæ accidentaria vocantur, hujus tamen acceſſionis merita, etiam ante confirmationem compararunt, ſicut animæ Sanctorum, & ſpiritus damnatorum.

MONITUM XCIX.

Velox eſt depoſitio tabernaculi mei.

2. Petri 1.

PEtrus & Paulus, qui nos docuerunt legem Domini, glorioſi Principes terræ, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati. Paſſi Romæ eodem die & anno. Petrus cruce, ſed

capite

capite deorſum, *quòd indignum ſe putaret ita crucifigi ut Dominus*, inquit Hieron. Paulus verò gladio, quia civis Romanus erat. Unde D. Irenæus lib. 3. cap. 3. dicit Romanam Eccleſiam eſſe *maximam, antiquiſſimam, omnibus cognitam, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo fundatam & conſtitutam. Ad quam Eccleſiam propter principatum potentiorem*, inquit, *neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam*. Et Tertull. de præſcript. hæreticorum, loquens de Romana Eccleſia; *Statu*, inquit, *felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli Petrus & Paulus cum ſanguine ſuo profuderunt*, cap. 36. Vincti autem ſunt à Nerone, ob cauſam Simonis Magi, nova ſuperaddita accuſatione ultimo ſupplicio ſunt ab eo condemnati; ea erat, quod fœminas ad ſervandam caſtitatem convertiſſent; ejus enim libidinem in nobiliſſimas quaſque abſque ullo pudoris fræno eſſe graſſatam, teſtantur omnes hiſtoriæ. Uterque de morte per revelationem præſcius. Vide Bar. Tom. 1. an. 69.

Primò, ita ad ſuos Petrus: *Iuſtum arbitror*, quia, videlicet, hoc ad ſuum officium pertinebat: Caput erat, de membris ſollicitus eſſe debebat: Paſtor erat, oves ſuas paſcere illi incumbebat. *Quandiu ſum in hoc tabernaculo*. Corpus mortale intelligit, quod & militiæ ſervit, & mobile eſt, ac de loco in locum transfertur. *Suſcitare vos*; nempe, ut quiſque officium ſuum diligenter peragat; quod ſuperioribus apud Sapientem diligenter præcipitur: *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum*, &c. *in commonitione*. Prov. 5. Ignorantes doceri debent, ut ſciant; ſcientes commoneri, ut faciant. Monet Apoſt. Timotheum: *Attende* 1. Timot. 4

 lectio

August.de bono vid. cap.1. *lectioni, doctrina, exhortationi.* Lectioni quidem, ut ipſe idoneus ſit ad docendum & exhortandum; doctrina ad ignorantes pertinet, ut ſciant; exhortatio ad ſcientes, ut faciant. *Certus, quod velox ſit depoſitio tabernaculi mei,* hoc per revelationem didicerat. Unam habemus apud D. Ambr. quando ei Roma egredienti, occurrit Dominus, ac interroganti; *Quò venis?* reſpondit Chriſtus, *Venio Romam iterum crucifigi.*

Amb.cont Auxent. Greg.in pſal.4.pœnitent.

Commonitio autem omnibus communis, eſt initio ejuſdem capitis, qua vult quemque providere, *fidem*, ſanam videlicet, & ſinceram, ab omni pravarum opinionum labe purgatam, qualis nunc difficulter invenitur, ſicut prædixit Dominus, *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem ſuper terram?* ut Aug. interpretatur. Eſt autem *Spiritualis ædificii fundamentum*, quo ſublato, nihil boni ſuperſtruitur, ſine quo homo non placet Deo, nec poteſt ſaluari, ut Apoſt. ad Hebr. Et D. Proſp. *Alienus eſt à numero fidelium, & à ſorte ſanctorum, quiſquis in aliquo à Catholica veritate diſſentit. Cum fide* vult jungi *virtutē*, ſine cujus operibus fides mortua eſt, ſicut corpus ſine anima, & non prodeſt ad ſalutem, ex operibus autem conſummatur. *Diſcernenda eſt fides noſtra à fide dæmonum*, inq. S. Aug. *qui credunt, dicentes cum Petro: Scimus quis ſis. Tu es filius Dei: ſed malè operantur, & ideo damnantur*, bonis moribus diſcernitur. Sic & D. Hier. *Inter Chriſtianum & gentilem non fides tantùm debet, ſed etiam vita diſtinguere, & diverſam Religionem per diverſa opera monſtrare. Debemus eſſe factores verbi*, ait Aug. *intus, ubi videt Deus; & foris, ubi Deus & homo.*

Lucæ 18. In pſalm.7. De præd. ſanctor. c.7 Heb.11. In epiſt.ad Demetr. Athanaſ.in Symb. Iacob.2. Ser.55.in Nov.& 126 Matth.8. Marc.5. In epiſt.ad Celant.

Iacob.1. *Cum virtute* autem, docente Petro, jungenda eſt *ſcientia*,

ſcientia, qua videlicet ipſa opera diſcretè & prudenter fiunt. Oportet bonum benè facere. *Iuſtè, qued juſtum eſt, perſequeris*, ait Script. *Non in facto virtus eſt, ſed in eo quemadmodum fiat*, inq. Seneca. Opera virtutis non debent admiſceri ſuperſtitione, immoderatione, negligentia, torpore, intentione mala, quæ ipſa cómaculare poſſet. Cum hac verò, *Abſtinentia*, id eſt, continentia à voluptatibus & illecebris carnis & ſæculi. Vel abſtinentia: Primò, ab operibus malis, quæ prohibentur. Secundò, ab iis quæ mali ſpeciem habent, uti mandat Apoſtolus. Tertiò etiam à licitis interdum: *Qui enim*, inquit Aug. *à nullis ſe refranat licitis, vicinus eſt & illicitis*. Et, *Qui meminit*, ait Gregor. *ſe illicita perpetraſſe, etiam à licitis ſe debet abſcindere. Habent ſancti viri hoc proprium*, ait idem Greg. *ut ſemper ab illicitis longè ſint, à ſe plerumque etiam licita abſcindunt*. Quartò à periculis & occaſionibus iis, quæ peccata ſolent inducere. *Qui amat periculum*, inq. Sap. *peribit in illo*. Et orat David, *Viam iniquitatis*, id eſt, peccati occaſionem, *amove à me*, interpretante S. Chryſ. *Nullus diu tutus eſt, periculo proximus*, inquit Cyprian.

Deut. 16.
1. Theſſ. 5.
Ser. 62. in Nov.
Hom. 10. in Evang.
Li. 4 Dial. cap. 11.
Eccl. 3.
Pſalm. 118.
Li. 1. epiſt.

Abſtinentia jungenda *Patientia*, ſine qua non multùm ſunt ponderanda merita noſtra. *Omnes*, ait Apoſt. *qui piè vivere volunt in Chriſto Ieſu, perſecutiones patientur*. Si deſit patientia, quis ſtabit? *Patientia*, ait Iacob. *opus perfectum habet, quia facit ut homo in opere bono perſeveret. Datur vita æterna iis, qui cum patientia benè operantur; & terra bona dat fructum bonũ in patientia*. Patientiæ jungenda *Pietas*, quæ in iis rebus oſtenditur, quæ ad Deum, ejuſque cultum pertinent, ut in precibus & laudibus

Kemp. lib. 1 cap. 16.
2. Tim. 2.
Iacob. 1.
Cypr. de bono patient.
Rom. 2.
Lucæ 8.

Digitized by Google

Dei,gratiarum actione,uſu Sacramentorum,auditione Sacrificii, auditione verbi Dei, cæteriſque cæremoniis ritè obſervandis.Poſt hanc ponit Petrus, *Amorem fraternitatis*,de quo Paulus, *Charitate fraternitatis invicem diligentes.* Et idem Petrus; *Fraternitatem diligite.* Et, *Fraternitatis amatores.* Oſtenditur autem in dimittendo aliena peccata, & largiendo beneficia,ſeu ſpiritalia, ſeu corporalia. Poſtrema ac ſuprema eſt *Charitas* propriè dicta,quæ eſt amicitia, qua Deo creaturæ rationalis voluntas conjungitur; ſive talis dilectio, qua homo feratur in Deum,tanquam amicum & patrem; non autem ſolum ut ſummum bonum,quod etiam ante reconciliationem fieri poſſet.Hoc autem maximè curandum, ut ſimus amici & filii Dei, alioqui reliqua quid ad ſalutem proderunt,ſi ſimus extra gratiam Dei & amicitiam ejus? Hinc tam diligenter monet Apoſtolus; *Obſecramus pro Christo,reconciliamini Deo*, id eſt, ſuſcipite fidem, agite pœnitentiam, orationibus inſtate, Sacramenta ſuſcipite, &c. quibus poſſitis Deo reconciliari, effici ejus amici & Filii.*Si enim filii,& hæredes.* Et amicis dicit Sponſus Cant.5. *Comedite amici, & bibite,& inebriamini*,De qua ebrietate pſal.35.*Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.*

Rom.12. 1.Pet.2. 1.Pet.3.

Audi & Apoſtolum Paulum inſtante morte loquentem: *Ego jam delibor*, id eſt, incipio offerri; incarceratus enim erat, & paſſio ac mors pro Chriſto ſuſcepta,maximum Deo ſacrificium.Aug. legit; *Iam immolor, id eſt, Sacrificium ero. Cujus? Dei, quia pretioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorum ejus. Nullus cum tanta exultatione dixit, ſe epulaturum,quanta Paulus ſe paſſurum.Et tempus reſolutionis*

Rom.8. 2.Tim.4 Aug.ſerm. 13. in Nov. Pſal.115.

ſolutionis meæ inſtat. Reſolutionem dixit à corpore, inquit Aug. *Eſt enim quoddam dulce vinculum corporis, quo ligatus eſt homo, & ſolvi non vult: tamen gratulabatur ipſe ſibi de hoc, quod aliquando ſolvendum eſſet, dicens: Cupio diſſolvi.* Et, *tempus reſolutionis meæ inſtat.* Et alibi conſolans Chriſtianos: *Scimus,* inquit, *quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus,* &c. Tametſi homines plerumque *nolint exſpoliari* (corpore) *ſed ſuperveſtiri* (immortalitate.) *Tantam habet vim,* ait D. Aug. *carnis & animæ dulce conſortium, etiam in tanta infirmitate vitæ, ut etſi aliam vitam reſtare ſciant meliorem, velint tamen differri mortem, etiam pii plerique. Verè aut pauca, aut nulla eſt anima, quæ fracto vaſe teſtaceo non triſtis erumpat,* inquit S. Hieron.

Philip. 1. 2. Cor. 5. Epiſt. 120. cap. 6. Epiſt. ad Marcel. de obitu Leæ.

Sed vide quàm Paulus in morte ſecurus, & unde? *Bonum certamen certavi.* Ad quod hortatur Timotheum; *Certa bonum certamen fidei.* Malum certamen prohibet, quando dicit, *Non in contentionibus & æmulationibus.* Et; *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Verùm mundum oppugnare, & omnia vitiorum monſtra debellare, in ſe, in aliis (uti faciebat Apoſtolus) per ſe bonum eſt; deinde etiam ad ſummum bonum conſequendum, & malum declinandum ducit, ac provehit. De hoc certamine idem Apoſt. *Non coronatur, niſi qui legitimè certaverit.* De quo & alius ſapiens: *Eſto expeditus ad pugnam, ſi vis habere victoriam. Sine certamine non poteris venire ad coronam. Si pati non vis, recuſas coronari; ſi autem coronari deſideras, certa viriliter, ſuſtine patienter. Sine labore non tenditur ad requiem, nec ſine pugna pervenitur ad victoriam.*

1. Tim. 6. Rom. 13. Philip. 2. 2. Tim. 2. Kemp. lib. 1. de Imit. cap. 21.

n: (ait Aug.) *quando aliud & aliud profiteris; fidelis in nomine, aliud demonſtrans in opere; non tenens promiſſionis tuæ fidem.* Non tamen hic fit proprii nominis promiſſio, quæ novum injiciat vinculum; ſic enim peccans mortaliter poſt baptiſmum, bis peccaret, ut ebrietatis, vel luxuriæ, &c. peccato, & voti violatione. Sed eſt quædam Chriſtianæ legis publica ſuſceptio, ſeu profeſſio, ratione cujus majus ſit delictum Chriſtiani quàm gentilis, in violandis Dei præceptis: ſicut turpiùs errat, qui ſe muſicum profitetur, aut grammaticum. August. de Symb. ad Catech. lib. 4. cap. 1 Vide Aug. lib. 1. Confeſſ. cap. 11.

Curſum conſummavi. Vita iſta curſus eſt, ad mortem, ad iudicium, ad tribunal Dei. In Actis dicitur de Baptiſta; *Cum impleret curſum ſuum.* Et de Chriſto in Pſalmis: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Et Apoſtolus ait; *Sic currite, ut comprehendatis.* Et; *Currebatis bene, quis vos impedivit non obedire veritati?* Et Poëta ſæcularis inquit: Actor. 13. Pſalm. 18. 1. Cor. 9. Galat. 5.

Vixi, & quem dederat curſum fortuna peregi. Virg. lib. 4. Æneid.

Et alius: *Feſtinat enim decurrere velox* Iuvenal.

Floſculus, anguſtæ miſeræque breviſſima vitæ

Portio. Conſummaverat ergo, quia brevi futurum erat; Dominus ei revelaverat imminere mortem, quâ glorioſè vitæ iſtius curſum finiret. Dicebat Chriſtus Patri, *Opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam.* Sic Apoſtolus, *Curſum conſummavi.* Ioan. 17.

Supereſt mihi corona juſtitiæ. Hiſce verbis, ait Aug. *certus ſecuruſque gaudebat, quia de victoria futuri tanti certaminis certum eum ſecurumque Dominus fecerat.* Dicitur autem corona iuſtitiæ, quia illi debetur & redditur, ac perſeveranter certantibus tanquam merces promittitur: *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et; *Qui vicerit,* 2. Tim. 4. Ser. 113. in Nov. Apocal. 2.

dabo

dabo ei coronam vitæ. Hanc, quia haud ſegniter
2.Tim.4. in agone certaverat, expectabat Apoſtolus. Cum
hac ipſe filius Dei, qui dixerat, *Ego vici mun-*
Ioan.16. *dum*, micare viſus eſt. Coronati etiam ſede-
Apoc.4.19 bant 24.ſeniores, ob devictos hoſtes, quam & pa-
2.Tim.4. ratam ait Apoſtolus, *omnibus qui diligunt adven-
tum ejus*, & ſæculi cupiditates ſtrenuè decertando vincunt: quibus, ut jam dictum, coronæ tanquam regibus promittuntur. Non quales erant illæ, *quibus inter gentes*, ait Tertullian. *conſignari libertas ſolet*, ſed æternæ illæ & immarceſſibiles, quibus acceptis, in ſervitutem relabi nemo poteſt. Ipſe Chriſtus *reges nos facit, & Sacerdotes Deo ſuo*: reges, propter dominatum ſpiritus in carnem: ſacerdotes, propter piam, qua Deo nos offerimus, ſubjectionem.

In lib. de coro. militis.

Apoc.5.

MONITUM C.

Vidit Ieſus hominem in telonio ſedentem.

Matth.9.

VIdit non ſolùm oculis corporis, quibus & impios obſtinatos ac reprobos vidit, ſed & miſericordiæ & gratiæ, quomodo *reſpexit Petrum*, non corporaliter, quia Petrus foris erat, & deorſum; Jeſus autem intus, & ſurſum: ſed quia eum convertit. De quo ſpiritali aſpectu David, antequam

Lucæ 22.

tequam Deus oculos carnis haberet; *Aſpice in me*. Idque explicans, addit: *Et miſerere mei*. Et D.Ambroſ. Auguſt.de conſ.Evãg. Pſal.118.

Ieſu labentes reſpice, In hymno.
Et nos videndo corrige:
Si reſpicis,lapſi ſtabunt,
Fletuque culpa ſoluitur.

Et rurſum; *Reſpice,Domine Ieſu,ut ſciamus noſtrum lugere peccatum,lavare delictum.* In Lucam. lib.10. in cap.22.

Status autem telonarii ſeu publicani, etſi non in ſe ſit vitioſus ac damnabilis, ſicuti eſt uſurarii, concubinarii, alioqui dixiſſet eis Baptiſta,deſerite officium veſtrum: Et V. Beda, non ſolos exactores vel conductores vectigalium, ſed eos etiam qui per negotia hujus ſæculi lucra ſectantur, publicanos eſſe affirmat. Et quia officia à vitiis ſunt diſcernenda, non eſt abſolutè prohibitum publicani vel mercatoris officium, tametſi periculoſum, quia facilè contingit eos peccare: ſed monet eos D. Auguſtin. ut mendacia, juramenta, perjuria, injuſtitias, ex negotiis auferant, quæ non rerum, ſed hominum ſunt peccata. Non eſt ergo ſtatus vitioſus ac damnabilis, ſed periculoſus, & vitio ac damnationi vicinus, ſicut ſtatus Principis, militis. Et publicani id temporis publici peccatores habebantur, & erant, ob varias injuſtitias quas committebant. Unde Baptiſta, illis interrogantibus, quid faciemus? *Nihil amplius*, inquit, *quàm quod conſtitutum eſt vobis, faciatis.* In 3.cap. Lucæ. In pſal.70. Lucæ 3.

Adverte ubi Chriſtus oviculam ſuam inveniat, & unde ad ſe vocet? Matthæum ab injuſto Matth.9.

telo

Matth. 9. Actor. 9. Lucæ 7. telonio, Paulum ex fervore perſecutionis, Magdalenam è cœno libidinum: ſignificatque Matthæus non ſuis meritis, quæ non erant niſi damnationis, ſed ſola vocantis gratuita voluntate tractum & converſum rectè David: Pſal. 112. *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus populi ſui.* Hinc ſpem conci- Rom. 5. piunt boni; ſi enim inimicis & malè merentibus ita benefacit Deus, quid non faciet jam in gratia conſtitutis, & aliquid boni merentibus? Unde audacter David; *Juſtum adjutorium meum à Domino,* malis eſt gratuitum.

Pſal. 7. & ibi S. Aug. Deinde *non eſt deſperandum, nec judicandum de quocunque etiam peſſimo, in hac vita conſtituto,* quando etiam publicanos, perſecutores, bonitas Dei ad Aug. lib. 2. Retract. c. 19. de cor. & grat. ca. 15. ſe trahit & ſaluat. Hicque etiam conſideranda immutabilitas & fidelitas Divinorum promiſſorum, quæ etiam non obſtante qualibet malitia hominum, implet. Propoſuerat ab æterno vocare Matthæum (ſicut & Paulum, Magdalenam & ſimiles) ad fidem bonam, vitam, ſalutem; interim commiſerant magna peccata, quæ videri poterant impeditura propoſitum Dei: tamen iis non obſtantibus, quod promiſit, fecit. *Sine pœnitentia,* ait Apoſt. *ſunt dona & vocatio Dei,* id eſt, inquit Au- Rom. 11. guſtin. *ſine mutatione ſtabiliter fixa.* Unde & De præde. Sanct. c. 16. D. Proſp. *Manet prorſus quod Dominus Abrahæ ſine conditione promiſit, ſine lege donavit.* Hinc & San- De vocat. Gent. lib. 1. cap. 9. cti, quando incipiunt intelligere ſuam electionem, audacter dicunt; Pſal. 117. *Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* Et; Rom. 8. *Quis ſeparabit nos à charitate Chriſti?* ſcientes ſalutem electorum impediri non poſſe.

Nomi

Nominat autem ſe Matthæus nomine communi (quod reliqui tacent,) malam vitam ſuam præteritam ponens ob oculos, ob varios fructus. Primò, ad majorem Dei gloriam. Quando quis medici alicujus bonitatem vult laudare, morbi, quem ſanavit, gravitatem indicat. Sic ſua magna peccata refert, ut Dei gratiam illuſtriorem reddat; erant enim publicani peccatores infames. Dicebat Angelus Tobiæ; *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt; opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum eſt*, maximè ea, in quibus elucet ejus miſericordia. *Cœli enarrant gloriam Dei*, ait Pſalmiſta; id eſt, homines cœleſtes, qui cœleſtia quærunt & ſapiunt, in quibus Deus tanquam in cœlo habitat, enarrant gloriam, id eſt, gratiam Dei; de qua dicitur, *Omnes peccaverunt, & egent gloria*, id eſt, gratia *Dei*, unde ille glorificandus. Unum illis eſt ſtudium, unica cura, ut nomen Dei ſanctificetur; quod & primo loco petunt in Oratione Dominica.

Tob. 12. Pſalm. 18. Rom. 3. Matth. 6.

Delectat, inquit Aug. *bonos, audire præterita mala eorum qui jam carent eis, non quia* mala ſunt, ſed quia *fuerunt & non ſunt: unde dicunt, Benedictus Deus in cœlo & in terra, magnum & mirabile nomen ejus.* Et dicit de libris Confeſſionum ſuarum; *Quid opuſculorum meorum frequentius ac delectabilius innoteſcere potuit, quàm libri Confeſſionum mearum?* In quibus deſcribit vitam præteritam, graviſſimis erroribus & peccatis plenam, à quibus magna Dei miſericordia eſt liberatus, quam ibi laudat, & ab aliis maximè laudari expetit. *Laudant*, inq. *illi libri, & de malis & de bonis meis bonum & juſtum Deum, atque in eum excitant humanum intellectum & affectum.*

Lib. 10. conf. cap. 3. De bono perſ. c. 20. Lib. 2. Retract. cap. 6.

Deinde

Deinde fecit hoc Matthæus, ad ſui majorem profectum in humilitate, gratitudine, & charitate erga Deum tam miſericordem; recordando damnabilem vitæ prioris ſtatum, à quo Dei benigni-
1.Tim.1. tate erat liberatus. Sic Paulus recenſet priora ſcelera; Fui blaſphemus, contumelioſus, perſecutus ſum Eccleſiam Dei: reſpectu cujus ſtatus, humiliat ſe, vocans ſe *minimum* Apoſtolorum, & *in-*
1.Cor.15. *dignum qui vocetur Apoſtolus, etſi plus omnibus la-*
Epheſ.2. *boraſſet*. Et alios hortatur; *Memores eſtote, quod era-*
Epheſ.5. *tis aliquando gentes in carne, ſine Deo, & ſine Chriſto. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*
Pſalm.50. Unde & Propheta David: *Peccatum*, inq. *meum contra me eſt ſemper*, id eſt, ſemper mihi verſatur ante oculos, etſi audiſſet à Nathan Propheta; *Tran-*
Pſalm.88. *ſtulit Dominus peccatum tuum*. Hinc & ait: *Miſeri-*
Li.2.conf. cap.1. *cordias Domini in æternum cantabo*. Et Aug. *Recordari*, inquit, *volo tranſactas fœditates meas, non quòd eas amem, ſed ut te amem, Deus meus: amore amoris tui facio iſtud, recolens vias meas nequiſſimas in amaritudine animæ meæ, ut tu dulceſcas mihi dulcedo non fallax, dulcedo felix & ſecura.*

Denique fecit hoc Matthæus, ad aliorum conſolationem; omnibus videlicet peccatoribus ac-
In Commentar. ceſſum patere ad Dei gratiam, & ſalutem. *Oſtendit*, ait D. Hieron. *nullum debere ſalutem deſperare, ſi ad meliora converſus ſit, cùm ipſe ex publicano in Apo-*
1.Timo.1. *ſtolum repentè mutatus ſit*. Hanc eandem cauſam adfert Apoſtolus, cur præterita ſua peccata recenſeat; *ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam*. Id eſt, ad exhortationem, con-
Li.10.conf. cap.3. ſolationem, incitamentum, & exemplum eorum. Et Auguſtinus etiam ſua refert: *Ne dormiat,*

Digitized by Google

miat, inq. *in deſperatione animus & dicat, Non poſ-
ſum; ſed evigilet in amore miſericordiæ Dei, & in
dulcedine gratiæ ejus, qua potens eſt omnis infirmus,
qui ſibi per ipſam fit conſcius infirmitatis ſuæ.*

Dicit Matthæo Ieſus; *Sequere me*, id eſt, eſto meus
diſcipulus; imitare mores meos, & cõverſationem.
Hoc omnibus dicitur. *Fruſtra appellamur Chri-* Ser. 5. de
ſtiani, ait Leo, *ſi imitatores non ſumus Chriſti; qui* Natali.
ideo ſe viam dicit eſſe, ut converſatio magiſtri forma Ser. 1. de
eſſet diſcipuli. Et nihil eſt dignius, quàm ut homo ſit ieju 10.
ſui autoris imitator, & ſecundùm modum propriæ fa- menſ.
*cultatis divini ſit operis executor. Si quis vult venire
poſt me*, ait Chriſtus, *abneget ſemetipſum, tollat cru-*
cem ſuam, & ſequatur me. Et; *Qui non tollit crucem* Mat. 16.
ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. De Paſtore
& Ovibus dicitur; *Ante eas vadit, & oves illum ſe-* Matth. 10.
quuntur. Non ſum turbatus, ait Ieremias, *te paſtorem* Ioan. 10.
ſequens. Et Sapiens; *Magna eſt gloria ſequi Domi-* Ierem. 17.
num. Hoc, inquit Ambroſ. *eſt, quod pro magno inter* Eccleſ. 23.
ſeptem Sapientum dicta celebratur: ſequere Deum. Lib. de A-
Magna enim dignitas, ſervum eſſe potentis. brah. 1. c. 2.
Et in 1. c. 1.

Sed non omnes æqualiter ſequuntur Dominum; ad Timot.
alii ſolùm in præceptis, ad quæ omnes obligantur;
alii etiam in conſiliis, ſequendo ejus paupertatem,
*qui propter nos egenus factus eſt, non habens ubi caput
ſuum reclinaret*; & ſuaſit, *Vade & vende omnia quæ* 2. Cor. 8.
habes, & da pauperibus. Caſtitatem, qui abſque coi- Matth. 8.
tu & ſemine viri de Virgine conceptus, ſpiritu Matth. 19.
munditiæ fuit pleniſſimus; & ſuaſit, *Qui poteſt ca-*
pere, capiat. Obedientiam, qui *parentibus fuit ſubdi-* Matth. 19.
tus, & Patri cœleſti *obediens uſque ad mortem cru-* Lucæ 2.
cis; & ſuaſit, *Abneg a temetipſum. Veni, ſequere me.* Philip. 2.
Matth. 16.
Matthæus audita voce Chriſti, *ſurgens ſecutus eſt* & 19.

Xx *eum.*

eum. Oves meæ, ait Dominus, *vocem meam audiunt.*
Ioan. 10. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Hoc ergo Divi-
Ioan. 8. næ prædeſtinationis eſt ſignum, ſequi Dominum
Vide vocantem. Vide vocantis efficaciam, vocatíque
Mon. 90. obedientiam, & animi promptitudinem ad Dei vocationem. Vocatus non diſtulit, ſed paruit ſtatim. *Non tardes converti ad Dominum, neque differas*
Eccleſ. 5. *de die in diem. Ne dixeris amico tuo, vade & rever-*
Prov. 3. *tere, & cras dabo tibi. Non quærit Deus,* inquit Auguſt. *dilationem in voce coruina, ſed confeſſionem in*
In pſal. 102 *gemitu columbino.* Sic ille apud Auguſtinum, le-
Lib. 8. conf. ctione vitæ D. Antonii converſus ad Dominum,
cap. 6. ita ad Socium: *Ego,* inquit, *abrupi me ab omni ſpe ſæculi, & Deo ſervire ſtatui, & hoc ex hac hora, in hoc loco aggredior: Te ſi piget imitari, noli adverſa-*
Lib 8. cap. *ri.* Deplorat in Confeſſ. Auguſtinus ſuam dilatio-
5 ibid. nem, qua dixerat; *Modò, modò; ſine paululum: ſed*
Lib. 8. cap. *modò, & modò,* ait, *non habebat modum, & ſine paulu-*
7. ibidem. *lum, ibat in longum.* Sicut etiam petierat à Deo caſtitatem: *ſed,* inquit Deo, *noli modò dare; malens adhuc cupiditatem expleri, quàm extingui.* Quoties vocantur homines à Deo ad bonam vitam, virtutum profectum per inſpirationes, prædicationes, tribulationes, & vel non audiunt, vel differunt. Unde conqueritur æterna Sapientia; *Vocavi, & renuiſtis;*
Prov. 1. *extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum.* Sed quid ſequitur? *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit.* Et Dominus per Iſaiam; *Numerabo vos,* inquit, *in gladio, & om-*
Iſaiæ 65. *nes in cæde corruetis, pro eo quod vocavi, & non reſpondiſtis: locutus ſum, & non audiſtis, & faciebatis malum in oculis meis.*

Arguit hic Julianus Apoſtata, & Porphyrius, vel imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum qui ſtatim ſecuti ſunt Saluatorem. Meritò ſanè reprehenditur, qui ſtatim novum aliquem doctorem, ut hæreticum audiens, ad ſequendum vel credendum movetur; contra præceptum Domini; *Attendite à falſis Prophetis.* Et, *nolite exire, nolite credere*; & Joannes, *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate Spiritus ſi ex Deo ſint.* Verùm non irrationabiliter id feciſſe Apoſtolos, ex multis clarum eſt: magnæ enim virtutes, ſignaque præceſſerant [illegible] Apoſtolos antequam crederent, vidiſſe non dubium eſt; & erant ſigna à Prophetis de Meſſia prædicta. Unde & reprehenduntur Judæi, quòd viſis illis ſignis, ad credendum non flecterentur: & volens diſcipulos Joannis Chriſtus ad fidem adducere, non niſi iſta ſigna in medium protulit.

Hier. in c. 9 Matt. — Matth. 7. & 24. — 1. Ioan. 4. — Iſaiæ 35. — Matth. 16. — Matth. 11.

Deinde fulgor ipſe & majeſtas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana ſpecie relucebat, ex primo ad ſe veniētes trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete, & aliis quibuſdam ea vis eſt, ut alias res ſibi copulet, quantò magis Creator omnium ad ſe trahere poterat, quos vocabat? Sol iſte viſibilis emollit glaciem, ignis ceram; ita Sol juſtitiæ, qui & ignis conſumens, durum cor hominis. *Imò ejus gratia,* ait D. Aug. *à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia auferatur. Quis tam impiè deſipiat,* inq. alibi, *ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non poſſe convertere?*

Malach. 4. — Hebr. 12. — de præd. Sanct. c. 8. — Ench. c. 98.

Et factū eſt, diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores, &c. Hic multa conſideranda;

Digitized by Google

Primò Evangeliſtæ humilitas, vitia ſua aperientis, virtutes ſuas tegentis: nam hoc convivium Chriſto ipſum exhibuiſſe referunt alii; ipſe ſimpliciter, *diſcumbente eo in domo,* ipſius ſcilicet, Matthæi. Contrarium facere ſolent homines, jactant ſuas virtutes, ſi quas fortè habent: vitia aſtutè occultant, ne confundantur, cum tamen expediret ſæpè ea ſciri ab aliis, ut corrigerentur, & humiliarentur. Chriſtus autem ad convivia vocatus ibat, non ut genio indulgeret, ſicut Judæi interpretabantur; hinc dicunt, *homo vorax & potator vini:* homines malevoli etiam bona in malum trahunt: ſed ob utilitatem animarum, *ut occaſionem haberet docendi, cupiens ſuis invitatoribus ſpirituales cibos præbere doctrinæ ſalutaris,* ait D. Hieron. Alioqui unum ex inſtitutis D. Ambroſii, quæ S. Aug. in moribus, & vita hominis Dei ſervanda aiebat, erat, *ut in ſua patria petitus, non iret ad convivium, ne per frequentiam conviviorum, temperantiæ amitteretur modus.* Et D. Hier. *Facile contemnitur clericus, qui ſæpè vocatus ad prandium, ire non recuſat: Conſolatores nos potius in mæroribus ſuis, quàm convivas in proſperis noverint homines.*

Marc. 1. Luc. 5. Matth. 11. In cap 9. Matth. Poſſid. in vit. Aug. cap. 27. In epiſt. ad Nepotian.

Deinde oſtendit hic Matthæus gratitudinem ſuam erga benefactorem ſuum excipiendo illum convivio. Ille primus eſt fructus fidelium, ait Auguſt. fovere, nutrire, defendere prædicatores veritatis. *Communicet is qui catechiſatur,* ait Paulus, *ei qui ſe catechiſat in omnibus bonis.* Maximum bonum eſt, edoceri veritatem, ſcientiam ſalutis, omnibuſque theſauris, & regum opibus præferendum. Qui ergo ſpiritualia ſeminat, magnum eſt ſi carnalia metat? *Quis plantat vineam, & de fru-*

In pſal. 101. conc. 3 Galat. 6. Lib. 8. Conf. c. 7. 1. Cor 9.

ctu

ſtu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Non eſt idoneus populus reddere mercedem illis, qui ſibi in charitate Evangelii ſerviunt, inquit Auguſtinus. De Paſtorib. cap. 2.

Denique diligens erat Matthæus in procuranda etiam aliorum peccatorum ſalute, quos ſimul invitaverat, cupiens etiam illos Chriſti converſatione & prædicatione erudiri & converti. *Et quiſquis verus amator eſt Domini, clamat cum David, Magnificate Dominum mecum.* Pſal. 33. Qui carnaliter amat, ut fœminam, dignitatem, &c. cum zelo peſtifero amat. Unde Poëta;

Non bene cum ſociis regna Venuſque manent. Ovid. l. 3. de arte am.

Et alius; Seneca in Agamem.

Nec regna ſocium ferre, nec tæda ſciunt;

quia multi iis ſimul potiri non poſſunt. *Non ſic eſt Sapientia Dei*, inq. Aug. *omnibus eſt ipſa communis, tanta eſt multis, quanta paucis, tanta ſingulis, quanta omnibus: & ideo ejus verus amator clamat, Magnificate Dominum mecum. Nolo ſolus amare, nolo ſolus amplexari; non enim ſi amplexatus fuero, non habet alius quod amplexetur. Si ergo amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis junguntur.* Auguſt. in pſal. 33. Sent. 198. Apud Proſp. Et certè, qui Deum verè amat, curabit ut complures ſecum efficiat ejuſdem amatores; cumque Deus ipſe adeò hominum ſalutem amet, eandem proculdubio, etiam ab omnibus qui Deum amant, & qui ſe ab eo amari volunt, amandam eſſe, quis non videt? Vide Theodoret. in hiſt. religioſa.

MONITUM CI.

Domine ne ſtatuas illi hoc peccatum.

Act. 7.

In ſer. de S. Steph. DIcit de S. Stephano S. Fulgentius, quod *Charitatem ubique pro armis habebat, & per eam ubique vincebat.* Sanctorum autem charitas erga Deum & homines, non ſolùm fortis fuit, ut nihil eos potuerit ab ea ſeparare, ſed etiam lata; Deum enim non ſolum diligunt, quando bona largitur, ſed etiam quando caſtigat; & homines, non ſolum amicos, ſed etiam inimicos.

Primum opus charitatis D. Stephani erat, quod ignorantes veritatem docere conabatur, demonſtrans clariſſimè ex Scripturis, eſſe Chriſtum Ieſũ; Act. 6. 7. tanto rationum & verborum pondere, ut *non poſſent reſiſtere Sapientiæ & Spiritui qui loquebatur.* Maximum beneficium (uti jam dictum) eſt doctrina veritatis; & maximè doctrina de Redemptore Mon. præced. ſeu Mediatore, cujus cognitio maximè neceſſaria, Actor. 4. ſine *quo non eſt ſalus, qui via eſt ſine qua non venitur* Ioan. 14. *ad Patrem.* Quid profuit multis Philoſophis, etiam Iudæis, & Turcis, unius Dei cognitio, ſine cognitione Salvatoris? Quid prodeſt videre quò eundum ſit, niſi & ſcias quà, & viam ducentem ad beatificã Lib. 7. Cõf. c. ult. patriam? *De ſilveſtri cacumine viderunt patriam pacis; ſed iter ad eam non invenerunt, ſed fruſtra per invia conabantur,* inquit Auguſt. de Philoſophis.

Secundum opus charitatis, quod reſiſtentes veritati arguebat. Adhibetur correptio ex charitate,

te,ad emendandum hominem, ſicut amara potio ad ſanandum.*Sive enim blanda ſit charitas,ſive ſaviat, ſemper Mater eſt*.Varios tentat modos,ut hominem ſalvet : quos iſto modo non poteſt, tentat alio : *vultum mutat & actum,ſed non affectum*.Correptio erat,*Dura cervice,* quia nolebant ſubjicere collum ſuum jugo Chriſti;*& incircuncíſis cordibus,* quia corrupti falſis doctrinis quæ impediebant ſuſceptionem veritatis ; & infecti cupiditatibus pravis,quæ impediebant receptionem juſtitiæ.*Vos ſemper reſiſtitis Spiritui ſancto*. Ber.ep.2.& de diligendo Deo.

Quidam dicuntur *extinguere Spiritum S.* quia extinguunt bonam inſpirationem, propoſitum, deſiderium à Spiritu S.immiſſum. *Spiritum nolite extinguere,* inquit Apoſtolus. Alii dicuntur *contriſtare Spiritum S.* qui pravis erroribus vel moribus contriſtant Sanctos, in quibus Spiritus S.habitat. Alii dicuntur *Spiritui S. contumeliam facere*, qui eum ſemel receptum in cordis hoſpitio, turpiter ejiciunt, redeuntes ad ſordes priſtinas. 1.Theſſ.5. Epheſ.4. Aug.de Gen.ad lit. l 4.cap 9. Heb.10.

Turpius ejicitur,quam non admittitur hoſpes, ait Poëta.Alii denique dicuntur *reſiſtere,* qui veritati,quam Spiritus S.per ſuos loquitur, reſiſtunt. Dicitur *Spiritus veritatis, docens omnem veritatem.* Reſiſtere autem veritati, ſcelus eſt graviſſimum. Dicit Paulus,*iis qui non acquieſcunt veritati,credunt autem iniquitati, ira & indignatio erit.* Et alibi: *quod Chriſtus de cœlo veniet in flamma ignis, dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio.* Imò dicit ipſe Chriſtus, quod *in die judicii remiſſius erit terræ Sodomorum, quàm illi civitati quæ veritatem prædicatam non recipit.* Ovidius. Act.7. Ioan.16. Roman.2. 2.Theſſ.1. Matth.11.

Tertium opus charitatis, quod illos perſequentes

tes per patientiam tolerabat. *Injurias patienter ferre ad miſericordiam pertinere, hi maximè ſentiunt, qui eis quos multum diligunt, tanquam filiis, vel quibuſlibet dilectiſſimis ſuis, ægrotantibus ſerviunt, vel parvulis & phreneticis, à quibus multa ſæpè patiuntur; & ſi eorum ſalus id exigat, præbent ſe etiam, ut plura patiantur, donec vel ætatis vel morbi infirmitas trāſeat. Omnis autē improbitas ex imbecillitate animi venit.* Oſtendit Boëtius quod *nullus apud Sapientes ſit odio locus: nam bonos quis niſi ſtultiſſimus oderit; malos vero odiſſe ratione caret. Nam ſicuti corporum languor, ita vitioſitas eſt quaſi morbus animorum. Cum ægros corpore minimè dignos odio, ſed potius miſeratione judicemus; multo magis non inſequendi, ſed miſerandi ſunt, quorum mentes omni languore atrocior urget improbitas.*

August. de Ser. Dom. in mont. l. 1 c. 34.

De conſ. Philoſ. l. 4. cap. 4. & metro ſeq.

Vis aptam meritis referre vicem?
Dilige jure bonos, & miſereſce malis.

Docet D. Thomas principaliorem actum fortitudinis eſſe ſuſtinere, & ad eum pertinere Martyrium. *Et ſic eſt amanda veritas & juſtitia, ut ab ejus operibus etiā pœna corporis nos cohibere non debeant, atque inter manus crudelium inimicorum, luceant opera noſtra coram hominibus, ut quibus placere poſſint, glorificent patrem qui in cœlis eſt. Tolera,* inquit Aug. *ad hoc enim natus es: tolera quia fortè toleratus es. Si ſemper bonus fuiſti, habeto miſericordiam; ſi aliquando malus fuiſti, noli perdere memoriam.*

Aug. epiſt. 144.

Tract. de Ovib. c. 5.

Quartum opus charitatis D. Stephani, quod pro lapidantibus ſe interceſſit, imitator Domini ſui, qui pro ſe crucifigentibus rogavit; & præcipit, *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderūt vos, orate pro perſequentibus vos;* quod magnificentiſſimæ

Lucæ 23. Matth. 5.

boni

bonitatis opus eſſe, ait D. Aug. *Multi dicunt quando exemplo Chriſti monentur orare pro inimicis, illos diligere, eis benefacere. Potuit hoc Chriſtus, ego non poſſum; ego enim homo ſum, ille homo Deus. Deus ergo*, inquit Auguſt. *ut quid homo, ſi non corrigitur homo? Sed tamen attende & Stephanum conſervum tuum; homo erat, hoc erat quod tu, & tamen idem fecit.* Et dat rationem idem Aug. Cur ſtans pro ſe oraverit, genuflectens pro inimicis: *quia*, inquit, *ut quis pro juſto impetret, non valde laborat; ſed pro impiis qui perſequuntur, quorum impietas difficilè donatur, amplius laborandum.* Enchir. cap. 75. Aug. ſer. 91. 98. in Nov. Ibidem.

Et quis fructus hujus orationis? *De orationis Chriſti potentia fuit*, inq. Leo, *ut prædicatio Petri ex iis qui dixerant, Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros, multorum ad pœnitentiam corda converteret, & uno die baptizarentur hominum tria ferè millia, fieretque omnium cor unum, & anima una, paratorum jam pro eo mori, quem popoſcerant crucifigi.* De potentia autem orationis Stephani fuit, ut converteretur Paulus, qui poſtea totum mundum convertit. *Precationis Stephani effectum*, ait D. Ambroſ. *in Apoſtolo Paulo videmus.* Et S. Aug. *Si Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Ser. 11. de Paſſ. Dom. Matth. 27. Act. 1. Lib. 1. de Pœnit. c. 9. Ser. 1. & 4. de S. Step.

Confunduntur ergo qui quærunt vindictam, quando ab inimicis patiuntur injuriam. 1. exemplo Chriſti; *propter te*, ait Aug. *pependit in ligno, & nondum eſt vindicatus, & tu vis vindicari? & non vis talem & tantum magiſtrum imitari? ideo pati voluit, ut tibi patientiæ ſuæ demonſtraret exemplum.* 2. exemplo Steph. *qui cùm lapidaretur, non ſolùm non exſpectabat de perſecutoribus vindictam, ſed eis potius de Deo veniam poſtulabat. Meminerat enim dixiſſe* Ibidem.

Digitized by Google

xiſſe Dominum, Mihi vindictam, ego retribuam. Et
Rom. 12. iterum; *Ne dixeris, Reddam malum, ſed exſpecta*
Hebr. 10. *Dominum, & liberabit te. Exſpectare nos jubet*
Deut. 32. *Dominus, ut in die futura reſurrectionis cum San-*
Prov. 20. *ctis Martyribus vindicemur, quando perſequentibus*
Apocal. 6. *reddet pœnam, patientibus dabit coronam.* Hinc S.
Cypr. cont. Demetr. Cypr. contra Demetr. *Nemo noſtrum,* inquit, *quando apprehenditur, reluctatur; nec ſe adverſus injuſtam violentiam veſtram, quamvis nimius & copioſus noſter ſit populus, ulciſcitur. Patientes facit de ſecutura ultione ſecuritas.*

MONITUM CII.

Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.

Joan. 15.

HIc dicendum, quibus cogitationibus & armis inſtructus eſſe debeat Chriſtianus, ut in perſecutione ſtet, quando rapinæ, contumeliæ, exilia, cædes inferuntur. Primò ponenda ante oculos exempla Chriſti capitis, & ſervorum ejus, quæ maximam vim habent ad permovendum.
Cyprian. lib. 4. epiſt. 6. *In hac enim militia primus ambulavit Dominus, humilitatis, & tolerantiæ, & paſſionis Magiſter, ut quod fieri docuit, prior faceret: & quod pati hortatur, prior pro nobis ipſe pateretur. In quo itinere* (nempe quo ad Deum itur) *nec æſtus deeſt laboris, nec nubes triſtitiæ, nec procella formidinis,* inquit S. Leo. *Ibi ſunt inſidiæ iniquorum, perſecutiones infidelium, minæ potentium, contumeliæ ſuperborum,*

quæ

Digitized by Google

quæ Dominus virtutum & rex gloriæ ideo omnia in infirmitatis noſtræ forma, & in carnis peccati ſimilitudine percurrit, ut inter præſentis vitæ pericula, non tam optandum ſit nobis declinando iſta effugere, quàm tolerando ſuperare. Ser. 16. de paſſ. Pſal. 23.

Capitis verò paſſionem tam multa membrorum exempla & præceſſerunt, & ſecuta ſunt, ut verè dicere poſſimus, nihil eſſe novum pro juſtitia pati, ſicut nihil mirum eſt. Unde Chriſtus in Evang. cùm Apoſtolis de imminentibus ipſis perſecutionibus loqueretur; *Sic*, inquit, *perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Et S. Iacobus; *Exemplum* (ait) *accipite fratres, exitus mali, laboris & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini. Imitemur ergo*, inquit D. Cyprianus, *Abel juſtum, qui initiavit martyria, dum propter juſtitiam primus occiditur. Imitemur Abraham Dei amicum, qui ob unius Dei cultum perſecutionem à Chaldæis paſſus*, ut Auguſt. *Imitemur tres pueros in camino ignis, Danielem, Machabæos, & eorum Matrem, Prophetas omnes & Apoſtolos*, qui fortiter pro veritate & juſtitia decertarunt, & gravia ac multa pertulerunt. 1. Pet. 4. Matth. 5. Iac. 5. Epiſt. 56. ſive lib. 4. epiſt. 6. De Civit. l. 16. c. 13.

Secundò, cogitandum peregrinos nos eſſe ſuper terram. Per aliena enim feſtinanter iter agimus, cœleſtem patriam repetentes; & ideo non mirum, ſi hoſtes inveniamus, ac latrunculos iter noſtrum obſidentes, ac interrumpere conantes; quod autem Chriſtiani in ſua peregrinatione, inter exteros non obtinent, quietem videlicet & ſecuritatẽ in patria inter cives ſuos exſpectant. Ideo nec moventur, cum iſta terrena bona auferuntur, quorum nulla cupiditate, utpote peregrini, tenentur; 1. Pet. 2. Hebr. 11.

nentur; hinc dicit S. Apoſt. *Rapinam bonorum ve-*
Hebr. 10. *ſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habe-*
re meliorem & manentem ſubſtantiam. Nihil perdidi,
Lib. 5. c. 2. *ubi nihil amavi*, dicebat Oroſius, *totumque habeo,*
quando quem diligo, mecum eſt. Exultant ſemper in
Cyp. cont. Demetr. *Domino,* inquit D. Cypr. *& lætantur & gaudent in*
Deo ſuo, & mala atque adverſa mundi fortiter tole-
rant, dum bona & proſpera futura proſpectant. Exilia
etiam non timent, quibus eſt totus hic mundus exilium,
& habitatio ac civitas perditorum. O ſtulta infidelitas
Serm. de S. Cyprian. *perſequentis,* ait Aug. *ſi quæris exilium quò Chriſtia-*
nus cogatur exire! De patria ſua in alienam te arbi-
Vide ſup. de Baſilio Mon. 32. *traris excludere hominem Dei, in Chriſto nuſquam*
exulem, in carne ubique peregrinum. Nihil intereſt,
ubi ſit in ſæculo, qui extra ſæculum eſt cordis voto.

Tertiò, contemplanda eſt ipſa cauſa, ob quam patimur. Quis enim dubitet pro juſtitia & veritate pati, cùm multos pro rebus minoribus graviſſima paſſos eſſe conſtet? Ita ſe invicem 40. mi-
Apud D. Baſil. hom. 17. lites Martyres cohortabantur; *Quot noſtri commilitones ceciderunt, fidem mortali regi ſervantes? nos pro fide vera in Deum ſervanda, hanc vitam non projiciemus? Quot item malefici homines mortem tulerunt in ſcelere deprehenſi, nos verò pro juſtitia mortem non ſubeamus? Beati,* inquit Chriſtus, *qui perſe-*
Matth. 5. *cutionem patiuntur propter juſtitiam.* Et Petrus; *Si*
1. Pet. 4. *exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis.* Idcirco
Act. 5. & Apoſtoli *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Unde nec admittenda deliberatio, ſi fortè offeratur, quæ ex quadam infidelitate proficiſcitur, cum fides non dubitet potius eſſe mortem oppetendam, quam pietatem violandam. Aut ſi nulla eſt

ignoratio,

ignoratio, ipſa certè voluntas ad lapſum nimis pendula convincitur, quæ nec puncto temporis eſſe debet à peccato non averſa. Vide Part. 1. Mon. 30.

Quartò, frequenter conſideranda mors inevitabilis, variique morbi quibus ad eam trahamur; præſertim cum ſemel morituro, cum gloria etiam moriendi tribuatur occaſio. *Si mortem poſſemus evadere*, ait Cypr. *meritò mori timeremus: porrò autem cum mortalem mori neceſſe ſit, amplectamur occaſionem de divina promiſſione & dignatione venientem, & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis.* Deinde non minora interdum ſunt tormenta morborum, ac medicamentorum, quam cruciatus carnificum; qua quidem contemplatione confirmabat ſe Romanus Martyr, dum ait; Lib. 4. epiſt. 6.

Nam membra parvi pendo quomodo cadant, Apud Prudent.
Caſura certè lege naturæ ſuæ;
Inſtat ruina, quod reſolvendum eſt, ruat.
Nec diſtat ignis, an fidiculæ ſæviant,
An corpus ægrum languor aſper torqueat,
Cum ſæpè morbos major armet ſævitia, &c.

Quid intereſt, inquit S. Aug. *utrum eos febris, an ferrum de corpore ſolverit? Non qua occaſione exeant, ſed quales ad ſe exeant, Dominus attendit in ſervis ſuis: niſi quod majorem habet pœnam languor diuturnus, quam citiſſimus exitus.* Epiſt. 122.

Tabeſne cadavera ſolvat,
An rogus haud refert, inquit Lucan. lib. 7.

Quintò, debet Chriſtianus ſe agnoſcere, & humiliter peccata ſua confiteri; eſt enim patientia firmior, ſi nos dignos tribulatione cenſemus; & lætior ſi perſuademus per eam ipſa peccata aboleri & remitti. *Quam verò*, inquit Cyprian. *gra-* Ibidem Cyp.

vis

vis cauſa ſit hominis Chriſtiani, ſervum pati nolle, cum paſſus ſit prior Dominus; & pro peccatis noſtris De exhor. Martyr. cap. 11. *nos pati nolle, cùm peccatum ſuum proprium non habens, paſſus ſit ille pro nobis?* Ideóque idem ait, quod *in ſexto Machabæo, non virtus ſola, ſed humilitas prædicanda eſt; nihil ſibi eum vendicaſſe, nec confeſſionis ſuæ honorem ſuperbis vocibus ventilaſſe; potius ſuis peccatis aſcripſiſſe; quod perſecutionem à Rege pateretur. Nos,* inquit, *propter noſmetipſos hæc patimur,* Epiſt. 122. *peccantes in Deum noſtrum,* &c. Sic Aug. quærentibus cur & ſervi Dei Barbarorum ferro perempti eſſent, humiliter & veraciter ac piè reſpondere jubet: *Quantamlibet enim juſtitiam ſeruemus, quantamlibet Domino obedientiam exhibeamus, nunquid meliores eſſe poſſumus illis tribus viris qui pro conſervanda lege Dei in caminum ignis ardentis projecti* Daniel. 3. *ſunt? Nunquid ipſo Daniele, nunquid cæteris, qui omnes propter peccata ſua humiliatos ſe atque afflictos* Dani. l. 9. *clamant unanimiter? Si iſta dicunt, qui excellentiſſima ſanctitate ignes & leones circa ſe innoxios habuerunt,* Dan. 6. & 14. *quid nos oportet dicere in humilitate noſtra, qui tam longè illis impares ſumus, quantamcunque juſtitiam ſervare videamur?* ita Auguſt.

Psal. 118. Vide Aug. & Proſp. hic. Matth. 10. Sextò; juvat conſiderare futurum ſupplicium, & ignem æternum, quem Dominus fidem violantibus comminatur. Sic ſe Martyr confirmat apud Pſaltem: *Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidavit cor meum.* Licet igitur Chriſtianus gravia patitur, perſtat tamen verbo Dei confortatus, quo dixit; *Nolite timere eos qui occidunt* In pſal. 118 eodē verſu *corpus, ſed eum timete qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam.* Unde D. Ambr. *Quamvis,* inquit, *circumſpectet omnia plena periculis ac ſuppli-*

ciis,

ciis,tamen illum ignem cogitans perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum,corde trepidat, negare formidat,ne dũ præſentibus cedit,æternis ſe dedat exitiis.Per duas januas, timoris videlicet ſæculi & cupiditatis ſæculi,intrat & regnat inimicus, inq.D. Aug. *qui primò Dei timore,deinde charitate pellendus eſt:* De agon.Chriſt.cap.ult. Unde rectè Boëtius ; *Nec ſperes aliquid,nec extimeſcas ; exarmaveris impotẽtis iram.At quiſquis trepidus pavet vel optat,nectit qua valeat trahi catenam.* De conſ.Philoſ.lib.1.met.4.

Poſtremò , qui ſe hujuſmodi meditationibus exercebit,poterit in qualibet perſecutione vincere, ſi viribus ſuis diffiſus, ſpem victoriæ in auxilio ac cruce Chriſti ponat,dicatque cum Apoſtolo,*Mihi abſit gloriari,niſi in cruce Domini , per quem mihi mundus crucifixus eſt,& ego mundo.Non enim Chriſtus tanquam ſpectator ſolum cogitandus eſt,ſed & tanquam adjutor implorandus, qui in ſuis & luctatur & vincit, & coronat pariter & coronatur.* Huic igitur dicendum,*Da nobis auxilium de tribulatione , quia vana ſalus hominis.In Deo faciemus virtutem,& ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.*Et,*Non timebo mala,quoniam tu mecum es.*Et, *Dominus mihi adjutor,non timebo quid faciat mihi homo.*

Galat.6. Cypr. lib. 2.epiſt.6. Pſal.59. Pſal.22. Pſal.117.

Has cogitationes quæ poteſt perſecutio vincere ? quæ tormenta ſuperare ? *Durat fortis & ſtabilis religioſis meditationibus fundata mens ,* inquit D. Cyprian. *Et adverſus omnes Diaboli terrores, & minas mundi , animus immobilis perſtat , quem futurorum fides certa & ſolida corroborat. Clauduntur oculi in perſecutionibus terræ , ſed patet cœlum. Minatur Antichriſtus , ſed Dominus Chriſtus tuetur ; mors infertur, ſed immortalitas ſequitur;*

De exhort. Martyrii cap.12.

occiſo

occiſo mundus eripitur, ſed reſtituto paradiſus exhibetur; vita temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur. Quanta dignitas, claudere oculos quibus homines videbantur & mundus, & aperire eos ſtatim, ut Deus videatur & Chriſtus? Sic Cyprian.

MONITUM CIII.

Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.

Lucæ 12.

TRia hîc à Domino præcipiuntur; Abſtinendum à malo, faciendum bonum, & intendendum in futuram retributionem. *Sint*, inquit, *lumbi veſtri præcincti.* In lumbis luxuria ſignificatur, & ſenſus eſt, carnis luxuriam per continentiam refrænate. Luxuria autem variis modis mortaliter committitur. Primò, delectatione voluntaria ſeu moroſa; *voluntas enim ſe oblectandi etiam ſine voluntate operandi damnat hominem*, inquit S. Aug. Deinde conſenſu, decernendo ipſum flagitium. *Quoties enim concupiſcimus, toties fornicamur*, ait S. Hier. Denique opere, vel ſecum; quæ ſunt horrenda, de quibus Apoſtolus, *Quæ autem in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere*; vel cum aliis, quæ pro diverſitate perſonarum vel modorum quibus iſta libidinum ſcelera committuntur,

Gregor. hom. 13.

De Trinit. l. 12. c. 12.

Matth. 5.

In epiſt. ad Ruſtic.

Epheſ. 5.

Digitized by Google

tur, variantur vel gravantur. Omitto libidinoſa oſcula, tactus, cantus, verba, quibus omnia plena, ædes, menſæ, plateæ, etiam ſæpe ipſa Dei templa.

Sub nomine autem Luxuriæ omne peccatum intelligere poſſumus; voluit autem Dominus illud peculiariter deſignare, quia omne peccatum eſt quædam immunditia animam contaminans. Unde Dominus in Evang. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, &c. Et hæc coinquinant hominem.* Vnde Iſaias; *lavamini, mundi eſtote:* dehortans homines à peccatis animam fœdantibus: & David, petens veniam peccati ſui; *Lava me,* inquit, *ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Deinde, quia illud eſt vitium, quod maximè ſolet inter homines regnare, in corde, ore & opere eorum, & de hoc maximè peccato dixit Deus, *Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.*

Matth. 15. Iſaiæ 1. Pſal. 50. Geneſ. 8.

Tertiò, quia valdè excæcat hominem, & alienat à Deo, ſic ut vix eum aliquid boni cogitare permittat. De Salomone dicit D. Auguſt. *quod Sapientiam quam ſpirituali deſiderio adeptus erat, carnali amore amiſit.* Denique, quia id maximè Deus deteſtatur, & punit; ut ſatis conſtat in diluvio totius orbis, in perditione Sodomæ & Gomorrhæ, &c. Et ob hoc peccatū terribiliter dixit Deus, *Pœnitet me feciſſe hominem. Delevitque univerſum genus humanum aquis diluvii, juſto Noë tantum* cum ſeptem hominibus ſuæ familiæ reſervato ad humani generis reparationem. Et in majorem deteſtationem hujus peccati, etiam omne vivens in terra & aëre, conſervato tantum uno pari in qualibet

De doct. Chriſt. lib. 3. cap. 21. Geneſ. 6. 7.

ſpecie.*Sed quid læſerant irrationabilia?* rogat Ambroſ.*Quia propter hominem facta erant, eo utique deleto, propter quem facta ſunt, conſequens erat, ut etiam illa delerentur, quia non erat qui his uteretur*, inquit de Arca & Noë, cap.4.

Cur autem homo ab omni malo, ſeu peccato abſtinere debeat, variæ ſunt cauſæ. Tres accipe: Una eſt, quia peccatum Deo diſplicet: homo autem ſic ſe comparare debet, ut nihil agat quod Divinæ Majeſtatis oculos poſſit offendere, à qua illi omnis ſalus. Deinde, quia Diabolo placet, hoſti noſtro infenſiſſimo; *Dæmonum cibus eſt, ebrietas, luxuria, fornicatio, & univerſa vitia*, inquit Hieron. Et ſapiens: *Si*, ait, *præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis & invidis tuis*, id eſt, Diabolo & angelis ejus, qui ſunt inimici, & invidi noſtri. Denique quia homini nocet. Mirum valde, cum homo tam ſit diligens in avertendis iis quæ nocent corpori, ut ſunt ſerpens, peſtis, &c. non ſimile ſaltem adhibeat ſtudium in vitandis iis quæ nocent animæ; imò toti homini. Nullum enim accidit homini malum, vel hic, vel poſtea, cujus non ſit cauſa peccatum.

Pſal.3. & 34. De filio prodigo. Eccl.18. Auguſt. in Iulia. l.5. cap.3.

Secundò, præcipimur habere lucernas ardentes in manibus. *Quod facimus*, inquit Greg. *cum per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus. De quibus profectò operibus Dominus dicit; Luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona. Non ſufficit abſtinere à malo, niſi fiat quod bonum eſt*, ait S. Aug. *& parum eſt, nemini nocere, niſi ſtudeas multis prodeſſe.* Non ſatis eſt aliena non rapere, oportet etiam ſua dare; non ſufficit mala non

Hom.13. in Evang. Matth.6. Sent.86. apud Proſp. Epheſ.4.

non dicere, niſi etiam dicas bona, grata Deo, utilia proximo. Terribiliter dicit Dominus; *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Non eſt ſatis Domino, quod non faciat fructum malum: vult eam facere fructum bonum, alioqui ſervatur ei ſecuris & ignis. Matth. 7.

Sed nonne vult Chriſtus juſtitiam noſtram, quæ his tribus continetur, jejunio, eleemoſyna, oratione fieri in abſcondito? Ita verum ſecundum intentionem, non ſecundum opus, inquit D. Gregor. *Sic ſit opus in publico, ut tamen intentio maneat in occulto*, id eſt, verſetur circa id quod occultum eſt. Merces enim æterna quæ bene operantibus promittitur, ob quam bona opera facienda ſunt, in abſcondito eſt. Monet Paulus, *Providentes bona coram omnibus hominibus*: & laudat Philippenſes, quod *tanquam luminaria lucerent in mundo*. Et Sapiens; *Semita juſti quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem.* Et ob ſplendorem bonorum operum quæ faciunt juſtè, dicitur à Propheta; *Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Matth. 6. Hom. 11. in Evang. Rom. 12. Philip. 2. Prov. 4. Iſaiæ 61.

Fiunt autem iſta opera in publico; primò, ut glorificetur Deus, qui talia in eis operatur, non ipſi, alioqui opus tenebroſum erit. Unde addit Dominus; *Ut glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Gloria patris, cura filiorum? hinc prima eorum petitio; *Sanctificetur nomen tuum.* Deinde, ut proximus ædificetur; & ad imitandum invitetur. *Duplex eſt elemoſyna, quæ fit in opere bono,* ait D. Auguſt. *Corporalis & ſpiritualis. Eſurienti, ſitienti,* &c. *corporali miſericordia ſubvenitur;* Matth. 6. Ser. 89. in Nov.

videntibus autem ſpirituali, quia ad imitationem provocantur. Alius paſcitur opere bono, alius exemplo bono. Nullus bonus ſibi tantùm bonus eſt, ait D. Leo, *Sed hæc verarum eſt natura virtutum, ut multos à tenebroſo abducat errore. Facilis ad exhortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum; validiora ſunt tamen exempla, quàm verba, & plenius eſt opere docere quàm voce.* Et rurſum, *Qui in Eccleſia piè vivit & juſtè, qui ea quæ ſurſum ſunt quærit, cœleſtis eſt inſtar luminis, & dum Sancta vitæ nitorem ſervat, quaſi ſtella multis viam ad Chriſtum demonſtrat.*

In ſerm. de S. Laur.

Serm. 3. de Epiphan.

Tertium quod præcipitur eſt, ut in operibus bonis quæ coram hominibus facimus, non aſpiciamus ad aliquod temporale, ſed in futuram & cœleſtem remunerationem: *Exſpectantes,* inquit, *Dominum.* Vt Paulus, *Exſpectantes beatam ſpem, & adventum Domini. Peccatum enim, non ſolùm illud eſt,* inquit D. Auguſtin. *quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus, ſed etiamſi habeat ſpeciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem ſempiternam.* Rectè dixit Cicero, *plus fines, quàm officia penſari.* Et D. Ambroſ. *Affectus tuus,* inquit, *operi tuo nomen imponit. Magni intereſt,* ait S. Auguſt. *cùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus. Officium quippe noſtrum non initio, ſed fine penſandum eſt, ut ſcilicet, non tantum ſi bonum eſt, quod facimus, ſed præcipuè ſi bonum eſt, propter quod facimus, cogitemus. Inclinavi,* inquit David, *cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem, æternam ſcilicet.* De qua Deus Abraham, *Ego ero protector tuus, & merces tua magna nimis.*

Ser. 26. in Nov.

Lib. 1. Offic. cap. 20.

In Pſal. 118 conc. 12.

Pſal. 118.

Geneſ. 15.

Hanc

Digitized by Google

Hanc Moyſes ſpectabat, cùm illecebroſis Ægypti delitiis, ærumnas populi fidelis & afflictiones anteponeret: *Aſpiciebat*, ait Apoſt. *in remunerationem*. Hebr. 11. Hanc fidelium patres, *non acceptis repromiſſionibus mortui, à longè aſpexerunt, & ſalutarunt, confitentes quia peregrini eſſent ſuper terram*. Ibidem. Hanc & Tobias quando amicis ridentibus ejus eleemoſynas & ſepulturas quas fecerat, quaſi fruſtra factas, ait; Tob. 3. *Nolite ita loqui, filii ſanctorum ſumus, & vitam illam exſpectamus, quam daturus eſt Deus his qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo*. Ad hanc adipiſcendam dicit Apoſtolus eos qui in agone contendunt Chriſtiani ac laborioſi certaminis, ab omnibus ſibi temperare, quæ illius conſecutionem impedire poſſint. 1. Cor. 9.

Hanc ante omnia quærere jubet Dominus; qui & cum operariis in vineam ſuam evocatis, de denario diurno paciſcitur, per quem vitæ æternæ proportionata ſignificatur æqualitas, ut ait D. Proſper. Hinc rectè D. Greg. *Sæpe vos, fratres, admoneo prava opera fugere, mundi hujus inquinamenta devitare; ſed hodierna ſancti Evangelij lectione compellor dicere, ut & bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis, ne per hoc quod à vobis rectè geritur, favor aut gratia humana requiratur; ne appetitus laudis ſurrepat, & quod foris oſtenditur, intus à mercede evacuetur*. Et ſanè, cum pro recto opere aliquid temporale quæritur, æterna retributione res digna, vili pretio venundatur. Matth 6. Matth 20 Proſp. l. 1. de vocat. Gent. c. 17 Greg. hom. 11. in Evãg.

MONITUM CIV.

Benedicite Angeli Domini Domino.

Daniel. 3.

Vide Perer. in Dan.

MUlta ſunt in Angelis eximia & præclara, ob quæ Deus, & ab ipſis & à nobis maximè laudandus eſt. Angeli namque inter omnia, quæ in hoc ampliſſimo, pulcherrimo, pleniſſimo mundo continentur, ſine ulla dubitatione principatum obtinent. Etenim ſi ſpectes eorum originem, & antiquitatem, primi omnium aut cum primis creati ſunt. Dicit Concil. Lateranenſ. *ab initio temporis creatos eſſe*: ergo non ante mundum. Si vitæ & durationis longitudinem, immortales & corruptibiles ſunt, quia videlicet, ex partibus materia & forma, non coaluerint, ſimplicesque ſint, ideoque indiſſolubiles, ſive immortales, quamquam ſicut ex nihilo conditi ſunt, ita etiam in nihilum poſſe redire, ideoque manu illa conſervatrice egere, ejus qui condidit. Unde & Damaſcen. ait, quod *Angelica natura per gratiam, non natura ſit immortalitatem conſecuta.*

Conc. Later. c. 1. Dionyſ. l. 4. de Div. nomin. Nazianz. in ſer. de Natali. Cyr. ad illa verb. *Ego ſũ panis vitæ.* Baſ. hom. quod Deus non ſit autor malor. Damaſ. lib. 2. c. 2.

Si ſpectes naturæ gradum & conditionem, ſunt planè incorporei, id eſt, non habent extenſionem juxta dimenſiones notas, longum, latum, craſſum, quod definitum eſt in Concil. Lateranenſ.

Digitized by Google

teranenſ. tametſi Aug. aliquando fuerit in ea opinione. Nec mortis neceſſitati ſubjecti, nec frigoris, caloris, famis, ſitis, morborum, ulliúſve laſſitudinis moleſtiis obnoxij, nec rei ullius corporalis indigentes. Si agilitatem, nulla eſt cervorum, pardorum, tigridum, vel aquilarum pernicitas, vel orbium cœleſtium velocitas, quæ Angelorum velocitatem poſſit adæquare. Si dignitatem intellectus & mentis, perpetuò intelligunt & ſine diſcurſu: & omnium quæ naturaliter ſciri poſſunt, ex quo ſunt cōditi, plenam & conſummatam habent ſcientiam. Si vim & conſtantiam voluntatis, efficaciſſimè volunt, quod volunt, & immobiliter eligunt. Si firmitatem memoriæ, nulla illis unquam ſurrepit oblivio, ſed quod ſemel perceperunt, omni ævo conſervant.

Ut eſt ep. 115. ad Nebr.

Si potentiam, eſt incomparabilis; cujus vel unum illud ſatis manifeſtum eſt argumentum, quod unus Angelus, nullo labore, maxima facilitate, primum cœlum, cujus comparatione univerſa terræ & aquæ moles unius ferè puncti inſtar obtinet, tot annorum millia, ſine ulla intermiſſione, tanta vi & celeritate converſat. Si numerum, ſunt propemodum innumerabiles, ut indicat Daniel; & Dionyſius in lib. de cœleſti Hierarch. majorem eſſe affirmat numerum Angelorum, quam omnium rerum ſenſilium, & caducarum multitudinem. Sicut enim cœleſtia corpora aliorum corporum magnitudinem exuperant. Sic numerus Angelorum, multitudinem aliarum rerum excedit. Si diſpoſitionem & ordinem, ſunt ordinatiſſimi, in tres Hierarchias, & novem diſtributi ordines, nunquam ea diſtinctione &

Dan. 7. Dion. c 14.

Greg. hom. 34. in Evan.

 ordine,

Digitized by Google

ordine, aut variato, aut variando. Itaque nec inferiores cupido inceſſit unquam aſcendendi ad locum ſuperiorum: nec ſuperiores, ne detrudentur ad locum inferiorum, metus ullus ſollicitat aut tangit.

Si varietatem, nullus eſt in tanta multitudine Angelorum, qui authore Divo Thoma, non differat ſpecie ab alio Angelo. Ex quo licet intelligere, cùm infimus Angelus tam ſit perfectus, quanta ſit ſupremi perfectio. Si in aliquo ampliſſimo campo vel prato eſſent mille millia florum, in quibus duo flores ejuſdem ſpeciei reperiri non poſſent, ſed quilibet florum à quovis alio differret ſpecie, nihil poſſet cerni pulchrius, nihil ſpectari admirabilius. Hinc notandum quod ſententiæ D. Thomæ cæteri ferè repugnant. Et D. Baſilius dicit, *inter Angelos differentia eſt ordinis, & dignitatis, & tamen omnes ejuſdem ſunt naturæ, ſicut ejuſdem appellationis*, refellens argumentum Eunomij; *Spiritum Sanctum natura etiam tertium eſſe, ſi eſſet ordine, & dignitate tertius.* (Lib. 3. cont. Eunom.)

Si ad munus & exercitationem eorum advertas animum, in cœlo quidem unum hoc potiſſimum ac perpetuò agunt, omni vi & contentione ſua laudare Deum; nec unquam ab hoc ſuaviſſimo concentu vacant; de quo intelligi poteſt illud Iob: *Concentum cœli quis dormire faciet?* (Iob 38.) Infra cœlum autem multa & varia ſunt eorum miniſteria: ſunt enim Divinæ providentiæ, in regendo & conſervando mundo, præcipui adminiſtri: quamobrem in Scripturis vocantur *milites Dei, exercitus Dei, principes provinciarum, præſides populorum, ſingulorum hominũ cuſtodes, Magiſtri, ac apud*

Deum

Deum internuntii, & interventores; denique orbium cœleſtium motores, & rectores, quapropter apud Iob dicuntur *portare orbem, & eſſe columnæ cœli.* Iob 9. & 26.
Sentit D. Bern. ex omnibus Ordinibus mitti aliquando: Nec indignum videri debet, cum & Dei filius ad externum miniſterium noſtræ redemptionis peragendum miſſus ſit, & hæc eſt opinio veriſimilior; *omnes enim aſſiſtunt*, nimirum ad omne miniſterium, quod ille ſubire juſſerit, paratiſſimi. Sic habet etiam Collecta Eccleſiæ de Angelis, & ab Apoſtolo omnes omnino Angeli vocantur, *Spiritus adminiſtratores. A quibus tibi miniſtrantibus in cœlo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur*, orat Eccleſia. Ser. 1. de S. Michaële. Heb. 1.

Dicit etiam D. Auguſtinus: *Quoſdam Angelos humanis oculis apparuiſſe commemorat Scriptura. Sed utique poteſtati eorum corpoream creaturam ita Dominus ſubdidit, ut illis pro voluntate eam coaptaret. Vnde & illi quamvis non nati ex fœmina, verumtamen corpus habuerunt, quod ex qualibet ſpecie in quamlibet ſpeciem pro ſui miniſterii atque officii ratione converterent, ex vera tamen in veram.* Quamvis in eis non fuerint vitales operationes, nec vera comeſtio, locutio, &c. Ser. 20. in Nov. Gregor. l. 27. Mor. c. 2.

Tribus autem de cauſis in corporibus aſſumptis ſe conſpiciendos angeli præbuerunt. Prima eſt, ut declararent intellectualem ſibi cum hominibus eſſe ſocietatem, eum iiſque amicè & conjunctiſſimè vivere, tantum abeſſe, ut alieni exiſtimari debeant ab humano conſortio. Secunda, ut ſpirituales, quibus præditi ſunt, facultates, ipſa partium quaſi humanarum varietate præ ſe ferrent, ut cum extrinſecus cibum ſumerent, Vide parte 3. Mon. 95.

rent, ſpiritualiter & Divino quodam cibo ali putarentur; quemadmodum ſignificat Angelus apud Tobiam. Tertia, ut hoc modo majore quadam
Tob.12. ſimilitudine, futura filii Dei incarnatio præfigurare tur, per quam in homine aſſumpto ſeſe mortalium oculis exhibuit. Huc enim præcipuè Angelorum illæ apparitiones referebantur.

Sic & dæmones putamus vera ſibi jungere corpora poſſe: unde collocutio diaboli cum Chriſto, in vera quadam humanæ formæ ſubſtantia, facta eſſe credenda eſt, in qua etiam ab aliis videri
Matth.4. potuerit: etſi illis familiarius eſt, variis phantaſmatibus illudere: Et angelis ſanctis major ſit facultas, propter obeunda miniſteria, corpora ſibi vera fingendi, ut ſi quid non poſſint, promptiſſimè Divina operatione juventur.

Jam verò ſi conſideres excellentiam ſupernaturalis gratiæ, quam illis Deus abundanter largitus eſt, comperies in illis omnibus eſſe gratiam innocentiæ; quippe qui nulla unquam vel leviſſima peccati labe inquinati ſunt; nunquam gratia Dei ſpoliati, nunquam nudi fuerunt, in gratia ab ini-
Matth.11. tio creati, & in ea perpetuò conſervati. Hinc cùm Dominus laudaret Baptiſtam, *Inter natos mulierum non ſurrexit major*: addidit, *Qui autem minimus in regno cœlorum, major eſt illo*, id eſt, minimus angelus: quia Ioannes & in peccatis conceptus, & (ſi
Epiſt.57. quæſt.2. Auguſtinum ſequimur) in peccatis natus, & ſine peccatis non vivebat.

Verùm quod omni miraculo mirabilius eſt, in tanta donorum naturalium & cœleſtium abundantia & excellentia, eſt in illis profundiſſima humilitas, & incredibilis adverſus Deum pietas

&

& reverentia. *Coram eo incurvantur*, ait Iob, *qui portant orbem*. Et: *Columnæ cœli pavent in conſpectu ejus*. Iob 9. & 26.
Ioannes quoque in Apoc. vidit *Angelos cadentes in faciem ſuam, adorare Deum*. Apoc. 7. Nolunt ſibi ſacrificari, aut exhiberi cultum qui Deo debetur, ex eadem humilitate. Et princeps Angelorum Michaël, aliis per ſuperbiam volentibus eſſe ſimiles Deo, ex humilitate dixit, *Quis ut Deus?* unde & nomen ſortitus. Iudic. 13. Apoc. 12. In viſione Iſaiæ, *non ſolum ora tegunt, ſed & pedes, reverentiæ ſuæ amoriſque exiguitatem, erubeſcentes, quod non ſunt pro dignitate Creatoris*, inquit, D. Chryſ. Iſaiæ 6. *unde non ſolum ora tegunt, quod in ſumma illa luce obtutum intelligentiæ figere nequeant, ſed & pedes*, &c. Tractans viſio. Iſai.

Eſt præterea in Angelis paratiſſima & promptiſſima voluntas, ad omnia Dei mandata, ſumma diligentia & efficacitate exequenda. Unde David; Pſal. 102. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum ejus, ad audiendam vocem ſermonum ejus, miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus*. Nec verò minima & abjectiſſima miniſteria detrectant ſubire Angeli, quin ea cupidiſſimè ſuſcipiunt, & diligentiſſimè obeunt, ut Dei voluntati obſequantur, & hominum ſaluti conſulant. Tale fuit *Angelum luctari cum Iacob, famulari juniori Tobiæ, & prophetam Abacuc capillo ex Iudæa traducere in Babylonem, ut prandium ferret Danieli*: Geneſ. 32. Tob. 5. Daniel. 14. propter quam obedientiæ promptitudinem & efficaciam comparantur Angeli *ventis & igni*. De illis enim cecinit David; *Qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem*. Pſal. 103.

Eſt & ſumma pax & concordia inter illos in tanta diſtantia bonorum, etiamſi unus alio ſit beatior,

Digitized by Google

tior,& excellentior, non tamen inferiorem deſpicit,nec inferior invidet ſuperiori,ſed ita gaudet de alterius beatitudine æquè ut ſua. Hinc dicuntur *Chori Angelorum. Chorus enim concordiam ſignificat, eſt enim conſenſio cantantium.* Sic ergo Chori Angelorum, quòd ſumma voluntatum concordia unum Deum ſemper laudent in omnibus.

Vide Aug. in Pſal. ult.

Eſt & miſericors in eis charitas erga homines miſeros, mortales, & peccatores, ut beati,juſti,ac immortales efficiantur; hinc eos cuſtodiunt, ad bonum exhortantur, pro eis orant, bona eorum opera & orationes ad cœlos deferunt,ac ſuis Deo commendant, eorumque animas exeuntes è corpore ad cœlum portant. Atque hæc dicta ſunt, ut ad eos imitandos accédamur in terris,cum quibus aliquando unam civitatem conſtituemus in cœlis. Quod facere nos voluit Chriſtus cùm orare nos docuit; *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra,* id eſt, *Quomodo tibi angeli inculpatè ſerviunt in cœlis,* inquit Hieronym. *ita & nos in terra tibi ſerviamus: Et ſicut illi præceptis tuis ſemper obediunt,* ait Aug. *& quod tibi gratum fore ſciunt, id ſemper præſtant;ita & nos interea dum regnum tuum differtur,agamus quæ tibi placent, ut angelis ſimus ſimiles.* Et S. Baſil.hominem etiam *propterea dicit in hanc vitam miſſum,ut probè diſpoſitam diſciplinam in cœlis adumbret in terris.*

Pſal.90. Zach. 1. Tob.12. Lucæ 16. Matth.6. In c.6.Mat. Lib.2. de ſer.Dom. in Monte. Baſil. hom. 23.

MONI

MONITUM CV.

Peperit filium ſuum primogenitum.

Lucæ 2.

DEſcriptio iſta orbis, cujus fit mentio in Evan' ad contributionem fiebat: deſcribebantur enim capita familiarum, & ex capitum collectione ſumma capitalis colligebatur. Et niſi iſta facta fuiſſent Divina providentia, non tam diligenter ſcriberentur. Venerat enim tempus, ut ex toto orbe deſcriberet electos, & tributum exigeret ille, qui verè Auguſtus eſt, de quo prædixit Pſal. *quod adorarent eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervirent ei.* Qui *lapis eſt*, de quo Daniel, *abſciſſus de monte ſine manibus: de Maria, virtutibus excelſa, natus ſine hominis opere; & factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram. Repleta eſt terra ſcientia Domini*, ait Iſaïas.

Ioſeph. l. 17 Antiq. c. ult & lib. 18. c. 1.

Pſal. 71.

Daniel. 2. Hier. ibi. Auguſt. in pſ. 98.

Iſaiæ 11.

Tributum autem ſolvendum erat Didragma; continens duas dragmas: & ſignificat vel legem Dei in duabus tabulis, quam pro tributo à nobis exigit Deus. In quarum priori, ſcripta erant tria priora præcepta ad Deum pertinentia; in altera, ſeptem poſteriora, ad proximum ſpectantia. Vel ſignificat duo præcepta Charitatis Dei, & proximi, *in quibus tota lex pendet & Prophetæ.* Unde S. Auguſtin. *Ille tenet, & quod patet, & quod latet in*

Vide Aug. in pſ. 32. Conc. 1. & q. 7. ſup. Exod.

Matth. 22.

In ſer. de

divinis

laudibus charitatis. *divinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus:* Vigore hujus edicti aſcendit Joſeph à Nazareth in Bethleem, quia ibi natus erat; & quòd caput eſſet familiæ. Capita enim ſolùm urgebantur. Mich.5. Cur autem Maria ſimul aſcendit; & quidem prægnans, inſtante partu? niſi quia Prophetiam intelligebat, & quod ſic impleretur? Idcirco & pannos contulit, & alia ad partum congrua.

Vocatur autem Bethleem *Civitas David*, quòd 1.Reg.17. ibi eſſet natus, qui etiam typum gerit Chriſti; 1.Reg.25. qui ad Goliath, id eſt, Diabolum venit, cum baculo crucis, & proſtravit eum: *Ipſe etiam eſt tenerrimus ligni vermiculus, non ſolùm ob humilitatem paſſionis, ſed etiam quia vermis in ligno ſine concubitu* In Pſal.21. *naſcitur, ſicut Chriſtus de Maria virgine*, ut ait S. & epi.120. Aug. Vocatur autem proprio nomine Bethleem, id cap.8. eſt, domus panis, quia ibi naſciturus erat *verus panis, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo.*

Ioan.6. *Non manducaretur autem ille panis à nobis*, inq. In pſal.32. idem Aug. *niſi Deus eſſet humilis: Reſpice altitudi-* Ioan.1. *nem ipſius. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibus ſempiternus; ſed eum manducant Angeli, & manducant & ſaginantur, & integrum manet, quod eos ſatiat & læ-* Vide lib.7. *tificat. Quis autem homo poſſet ad illum cibum? Opor-* Conf.c.18. *tebat ergo ut menſa illa lacteſceret, & ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac, unde cibus in lac convertitur, niſi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit: Quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus eſt infans, qui pane veſcatur, ipſum mater incarnat per humilitatem mamillæ, & lactis ſuccus de ipſo pane paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane pavit nos Sapientia Dei? Quia*

Verbum

Digitized by Google

Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducavit homo, ut ſcriptum eſt. Verbum illud, quo paſcuntur Angeli ſempiternum, manducavit homo; quia cùm in forma Dei eſſet, non rapinā arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Saginantur ergo illi Angeli, ſed ſemetipſum exinanivit, ut manducaret panem Angelorum homo. Pſal.77. Philip.2.

Cùm autem ibi eſſent, *impleti ſunt dies ut pareret, & peperit filium ſuum Primogenitum.* Is dicebatur primogenitus, qui primus vulvam matris aperit, ſive qui primò de utero egreditur, licet nullus ſequatur; & dicitur primogenitus reſpectu Matris, ut notat Auguſt. Sic Joannes Baptiſta, primogenitus erat, & alii multi, in quibus ſtatim complebantur ea, quæ de primogenitis præceperat Deus, non exſpectando an ſecundus ſequeretur, ut poſſet dici primogenitus. Nota eſt diſputatio Sancti Hieronymi contra Heluidium, qui ex hac voce deſtruere conabatur Virginitatem Mariæ, quæ tanta fuit, ut etiam ipſe Joſeph Virgo fuerit per Mariam, ut ex Virginali conjugio virgo filius naſceretur. Si enim in virum ſanctum (qualis erat Joſeph) non cadit fornicatio, & aliam uxorem eum habuiſſe non ſcribitur, (*Maria autem, quam putatus eſt habuiſſe, cuſtos potiùs quàm maritus fuit, ſpes enim commiſcendæ carnis per prolem Chriſtum à Ioſeph ablata fuit*, inquit Aug.) relinquitur virgo permanſiſſe cum Maria, qui pater Domini meruit appellari. Super Levit. Vide Hiero. cont. Heluid. & Beda in c. 2. Ioan. Matth. 1. Aug. lib. 5. cont. Iulia. cap. 9.

Novo autem modo peperit filium, ſicut novo modo conceperat. Sicut ſine viri opere in uterum, ita ſine obſtetricis obſequio venit in mundum: ſicut ſine libidine conceptus fuit, ita Synod. Epheſ. 1. in epiſt. Synod. Fulg. in ſer. de laud Mariæ.

ita ſine matris dolore editus; tam enim à ſolita
Damaſc.l.4 c.15.Ber. hom.5.ſup. Miſſus. parientium infirmitate in partu fuit aliena, quàm ab omni corruptione in conceptione. Ipſa enim mater eum in præſepio repoſuit, ipſa eum pannis
Hier.cont. Heliod. involvit. Quod autem poſitus eſt in præſepio, ſignificatur quod ſit cibus animalium, id eſt, homi-
Pſ. 48. num, qui per peccatum beſtiis ſimiles facti ſunt: cibus, inquam, ſanans, medens, & confortans: Sive eorum, qui obedientes ſe præbent, & ut jumenta ſe
Pſal.72. gubernari ſinunt. *Ut jumentum*, ait David, *factus*
Heb.5. *ſum apud te:* & dicit Paulus, quod *Omnibus ſibi obtemperantibus factus ſit cauſa ſalutis.* Conſidera ingreſſum Regis Regum in hunc mundum, non diſſimilem ab exitu. Nam ſicut ſtabulo illum excepit mundus, ita per crucem dimiſit.

Dominus univerſorum, qui nullam habet indigen-
In Speculo c.4. *tiam*, inq. D. Anſelm. *inter ipſa nativitatis ſuæ initia, non horruit abjectiſſimæ paupertatis deguſtare incunabula. Illi cùm naſceretur, non erat locus in diverſorio; neque cunabula, quæ ejus teneritudinem excipe-*
Lucæ 2. *rent, habuit; ſed in vili præſepio ſordentis ſtabuli, ille qui terram palmo concludit, involutus panniculis, reclinatus eſt; & hoc ipſum à brutis animalibus mater*
Ibidem. *eius mutuo accepit. Conſolamini, conſolamini,* ait, *qui in ſordibus paupertatis enutrimini, quia vobiſcum eſt Deus in paupertate. Non cubat in delitiis ſplendidi*
Amos 6. *cubilis; nec enim invenitur in terra ſuaviter viven-*
Iob 28. *tium. Quid ultra gloriaris, ô dives, in re lutea, in volutabro lecti picti & delicati, cum Rex Regum ſuo recubitu ſtramenta pauperum honeſtare maluerit? Cur dura ſtrata deteſtaris, cùm tener infantulus, in cujus manu ſunt omnia, tuis plumis duras iumentorum ſtipulas prælegerit?*

Duplex

Digitized by Google

Duplex in parvulis notanda infirmitas, ex peccato orta: Una corporis, ſic ut nec pedes ad inceſſum ſint idonei, nec manus ſaltem ad ſcalpendum habiles, & ſugendis uberibus ope admoventur aliena. Altera mentis, per quam motibus irrationabilibus ita perturbantur, ut nulla ratione, nullo imperio cohiberi poſſint; cui juncta eſt ignorantia, ſic ut nec Deum norint, nec parentes. Certè ante lapſum habuiſſent omnium membrorum ad actiones illi ætati congruas uſum; nec indocti fuiſſent omninò, neque ſanè indociles, ſed aliqua jam tum diſcere potuiſſent ad illam ætatem pertinentia; & Dei notitiam habuiſſent, non ſolum habitu, ſed & actu, ac eum pro ſuo modulo honoraſſent; habuiſſent quoque diſcretionem non ſolùm commodi ab incommodo, noxii ab innoxio, ſed & liciti ab illicito. Vide Aug. l.1. de peccat. mer. c. 36. & ſeq.

Aſſumpſit autem Chriſtus infirmitatem carnis, quæ in parvulis cernitur. Unde de puero Ieſu D. Leo; *Quantitate parvulus, alienæ opis indigus, fandi impos, & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate diſſimilis.* Animi autem infirmitatem & ignorantiam non aſſumpſit: *venit in ſimilitudinem carnis peccati:* carnem autem peccati non habuit, ſicut reliqui infantes, Adæ filii. Unde dicit in Pſalm. ad Patrem, *Tu es qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab uberibus matris meæ, in te projectus ſum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu*; id eſt, Tu es qui ſingulari opere Spiritus tui extraxiſti me de ventre, abſque ullius hominis opere, & permanente matris integritate; in te ſperavi, ex quo matris ubera ſuxi; imò ex eo tempore, quo in utero fui, projeci in te ſpem meam, & te tanquam Serm 4. de Epiph. Pſal. 21.

Digitized by Google

Pſal. 50. Deum meum colui. Diſtinguens ſe ab iis,in quo-
Pſal. 57. rum perſona ait David, *Ecce enim in iniquitatibus*
Pſal. 39. *conceptus ſum*, &c. Et, *Alienati ſunt peccatores à*
Heb. 10. *vulua, erraverunt ab utero*. Unde & in alio Pſalmo dicit; *Corpus autem aptaſti mihi*, id eſt, ô Deus, per Spiritum tuum tale corpus mihi ex virgine dediſti, ut non rebellaret ſpiritui, nec impediret me à facienda voluntate tua, & perficienda lege tua, ſicut videlicet in aliis.

Addit Evangeliſta; *Quia non erat ei locus in diverſorio*, tum ob multitudinem civium eò confluentium, ut profiterentur; tum ob ſummam & odioſam paupertatem.Quò enim pecuniæ non pe-
Pſal. 21. netrant? *Pauper ubique jacet. Domini eſt terra, &*
Ioan. 1. *plenitudo ejus*; *imò mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt*.Quærit locum Maria ubi Chriſtum pariat,non invenit:intrat ergo ſtabulum Regina cœlorum, & habitatio pecudum fit habitatio Filii Dei, ut qui ad jumenta, quæ in ſtercore ſuo computruerant,ſalvanda venerat,jumentorum loco exciperetur. Spiritualiter diverſorium mundus iſte eſt: Chriſtus non erat habitator terræ, ſed advena & peregrinus. Nemo intrat diverſorium, ut ibi maneat, ſed ut non nihil recreet cor-
Actor. 10. pus fatigatum. De Chriſto dicitur; *pertranſiit be-*
Pſal. 18. *nefaciendo*. Et, *Exultavit ut gigas ad currendam viam*. Sic & nobis mundus iſte diverſorium eſt: non eſt nobis hic locus: advenæ ſumus & peregrini, ad aliam properamus patriam.Unde Apo-
Heb. 13. ſtolus, *Non habemus hic manentem civitatem, ſed*
Pſal. 38. *futuram inquirimus*, ſicut omnes Patres noſtri.

Audi D. Aug. *Deſcendit huc ipſa vita noſtra, &*

tulit

tulit mortem noſtram de abundantia vitæ ſuæ, & tonuit, clamans ut redeamus hinc ad eum, in illud ſecretum, unde proceſſit ad nos, in ipſum primum virginalem uterum, ubi ei nupſit humana natura, caro mortalis, ne ſemper eſſet mortalis; & inde velut ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultavit ut gigas ad currendam viam. Non enim tardavit, ſed cucurrit, clamans dictis, factis, morte, vita, deſcenſu, clamans ut redeamus ad eum: & receſſit ab oculis, ut redeamus ad cor, & inveniamus eum. Abſceſſit enim, & ecce hic eſt: noluit nobiſcum eſſe, & non reliquit nos; illuc enim abſceſſit, unde nunquam receſſit; quia mundus per ipſum factus eſt, & in hoc mundo erat, & venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, cui confitetur anima mea, ut ſanet eam, quia peccavit ei. Filii hominum uſquequò graves corde? Nunquid & poſt deſcenſum vitæ non vultis aſcendere, & vivere? Sed quò aſcendiſtis, quando in altum iſtis? & poſuiſtis in cœlum os veſtrum? Deſcendite ut aſcendatis, & aſcendatis ad Deum. Cecidiſtis enim aſcendendo contra eum.

Li.4.Conf. cap.12. Pſal.18. Ioan.1. 1.Timot.1. Pſal.4. Pſal.72.

Denique notanda alia verba ejuſdem Auguſt. *Dominus Ieſus Chriſtus, Deus homo, & divinæ in nos dilectionis indicium eſt, & humanæ apud nos humilitatis exemplum, ut magnus tumor noſter, majore contraria medicina ſanaretur. Magna eſt enim miſeria, ſuperbus homo: ſed major miſericordia, humilis Deus. Omnia terrena bona contempſit, factus homo, ut contemnenda monſtraret; & omnia mala terrena ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcipiebat, ut neque in illis quæreretur felicitas, neque in iſtis infelicitas timeretur.*

De Catec. rudib. c.4. Ibid. c.22.

MONITUM CVI.

Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.

Matth. 2.

Hom.8. in Matth. RECtè S. Chryſoſt. *Sanctos*, ait, *neque tribulationes, neque jucunditates ſinit Deus habere continuas, ſed tum de adverſis, tum ex proſperis ipſorum vitam quaſi admirabili varietate contexuit.* Oſtendit hoc in Ioſeph Mariæ ſponſo: Is enim triſtis fuit, conſpecta uxore gravida; lætus cùm audivit ab Angelo, eſſe hoc à Spiritu Sancto: lætus in nativitate pueri, rurſum triſtis ob turbatum Herodem, & omnem Hieroſolymam cum illo; lætus in adoratione Magorum, & munerum exhibitione, triſtis cùm audit, Accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Quæret enim Herodes puerum ad perdendum eum. *Sic Eccleſiæ*, inquit S. Auguſt. *rebus proſperis conſolatio, ne frangatur adverſis; & rebus adverſis exercitatio, ut non corrumpatur proſperis, Dei providentia procuratur: atque ita temperatur utrumque ab alterutro, ut inde dicatur in Pſal. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

Lib.18. de Civit. c.51.

Pſal.93.

Sed cur non eſt uſus poteſtate Divina, ut rabiem hoſtium compeſceret, & etiam in eorum medio, ſe tutum à malis omnibus & periculis præſtaret? *Niſi ut hominis inſtrueret infirmitatem, ut*

Deum

Digitized by Google

Deum tentare non audeat, quando habet quod faciat, ut quod cavere oportet, evadat? Pertinet ad ſanam doctrinam, ait D. Aug. *ut quando habet quod faciat homo, non tentet Dominum Deum ſuum. Ita Paulus cum à perſecutoribus quæreretur, permiſit ſe per murum in ſporta ſubmitti, ut eorum manus effugeret. Et Apoſtoli, juſſu Domini, cum in una civitate perſecutionem patiebantur, in aliam fugiebant. Non poterat ergo illos tueri Dominus, aut cùm illi hoc faciebant, deſperaverant adjutorium Dei, fidemque perdiderant? Minimè; ſed Deum tentarent, ſi fugere noluiſſent, cum ſic fugere potuiſſent. Cujus rei ipſe Chriſtus prior exemplum præbuit, fugiendo interdum & latendo.* Cōt. Fauſt. l. 22. c. 36. Act. 9. Matth. 10.

Verùm ſi quis omni humano auxilio deſtitutus ad divinum confugiat, non tentat Deum, ſed ſuis neceſſitatibus quærit à Deo remedium, qui rebus humanitus deſperatis, adhuc juvare poteſt. Sicut fecit rex Joſaphat, qui ita ad Deum; *In nobis quidem non eſt tanta fortitudo, ut poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos: ſed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te, Deus noſter.* Olim urgente perſecutione & privatim ſibi Chriſtiani conſulebant, redemptione Martyrij dato pretio, & ut quietè ſibi agere liceret, & conventus agere Eccleſiæ Chriſtianorum, certam pecuniarum ſummam, tanquam tributum quoddam, Principi pendebant. Tametſi his oblatret Tertull. de fuga, cap. 5. 13. jam hæreticus: illud etiam in Romanos Pontifices intorquens contumeliæ jaculum; *In pace leones, in bello cervos eſſe.* De cor. milit. c. 1. Sed id licere monſtrat exemplum Jaſo- Matth. 2. Ioan. 7. Lucæ 11. Ioan. 10. 2. Par. 20.

Digitized by Google

nis, & aliorum Pauli diſcipulorum, qui data pecunia ſe redemerunt. Et defendit Petrus Martyr, Epiſc. Alexand. can. 12.

Significatur præterea hic, Diabolum perſequi Chriſtum recèns natum in cordibus hominum, ut illum extinguat. *Herodes in Diabolo fremit*, ait S. Leo, *& auferri ſibi iniquitatis ſuæ regnum in iis, qui ad Chriſtum tranſeunt, ingemiſcit. Unde ſi parvulos interficiat, Ieſum ſibi videtur occidere. Quod utique facere ſine ceſſatione molitur, dum primordiis renatorum, Spiritum ſanctum eripere, & quandam teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere.* Sic Leo. Pharao jubet recenter natos maſculos occidi, & Iſraëlitas cogitantes egredi de Ægypto, magis onerat. Vaſtator Ægypti Angelus primogenita occidit, hoc eſt ipſam fidem, vel bonam voluntatem, quæ *ſuperni agricolæ prima plantatio eſt*, ait D. Proſp. & *virtutum omnium germen eſt primum*, conatur impedire, vel jam natam interficere. Unde præmonet Sap. volentem Deo ſervire, *Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Vir enim ſapientia plenus*, ait Leo, *ſciens ſtudium religionis laborem habere certaminis, cùm prævideret pugnæ periculum, ante admonuit pugnaturum, ne fortè, ſi ad ignorantem accederet, imparatum citiùs vulneraret.*

Ser 5. de Epiph.

Exod. 1. & 2.

Vide Aug. in pſal. 136.

Exod. 12.

Lib. 1. de voc. gent. cap. 6.

Eccl. 2.

Ser. 1. de Quad.

Sed cur à Deo permiſſa tanta crudelitas in innocentes parvulos? in exitium Tyranni, & in bonum parvulorum. *Ecce*, inquit D. Aug. *prophanus hoſtis nunquam beatis parvulis tantum profuiſſet obſequio, quantum profuit odio. Quos enim rex impius eximit mundo, Chriſtus inſerit cœlo, & quibus nondum ſanguinis ſui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem*, ait Leo. Sic de aliis Tyrannis,

Ser 10. de Sanct.

Digitized by Google

nis, cur permiſſi ita ſævire in Martyres? Dicit Proſp. *Temporalis furor impii, fit perpetuus honor juſti.* Perſecutio enim impiorum, *illis*, inq. Apoſt. *eſt cauſa perditionis, fidelibus autem ſalutis.* Philip. 1. *Quanta nobis præſtitit Deus de malis hominibus; nec tamen ſecundùm id quod de illis nobis præſtat, ſed ſecundùm malitiam eorum, retribuet eis. Videte enim quanta nobis de immaniſſimo ſcelere Iudæ traditoris. Iudas quippe tradidit ad paſſionem filium Dei, & per eam omnes gentes redemptæ ſunt ad ſalutem: nec tamen pro ſalute gentium merces reddita eſt Iudæ, ſed pro ejus malitia debitum ſupplicium ei retributum eſt.* Ser. 1. de Epiphan. In pſal. 93. cap. 13.

Nihil quidem excipiendo dixit Chriſtus, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.* Unde & D. Cyprianus, *non carnem, ſed animam parvuli dicit eſſe perdendam, niſi baptizetur.* Sed tamen excipiuntur infantes illi, qui pro Chriſto occiduntur, in quibus Martyrium idē omninò efficit quod Baptiſmus. Unde generaliter etiam dixit Chriſtus: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Quod ab initio ab Eccleſia traditum, & ſemper obſervatum, dum infantes illos,* inquit D. Aug. *qui, cùm Chriſtus ab Herode necandus quæreretur, occiſi ſunt, in honorem Martyrum recepit.* De quibus ait etiam Tertul. quod *teſtimonium Chriſti, ſanguine ſuo litaverint.* Et D. Hilar. *quod in æternitatis profectum per martyrii gloriam efferebantur.* Et S. Bern. *Ille*, inquit, *pro Chriſto trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto non credit inter adoptionis filios numerari.* Denique D. Leo; *Chriſtus, ne ullum ei tempus eſſet abſque miraculo, ante uſum linguæ poteſtatem* Lib. 2. de voc. gent. Lib. 3. ep. 8. Lib. 3 de lib. arb. cap. 23. De Baptiſ. in Matth. Serm. de Innocent. Serm. de Epiphan.

Digitized by Google

verbi tacitus exercebat, & quaſi jam diceret, Sinite
Matth. 18 *parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum, nova gloria coronabat infantes, & de initiis ſuis parvulorum primordia conſecrabat: ut diſceretur neminem hominum divini incapacem eſſe Sacramenti, quando etiam illa ætas, gloriæ eſſet apta Martyrii.*

Notanda hîc mirabilis Dei gratia, qua quos vult parvulos per baptiſmum ſanctificat, quos vult per Martyrium honorat, ſine ullis ipſorum meri-
Epheſ. 2. tis. Quæ enim habent, niſi iræ & damnationis? cui
Rom 5. *naturâ ſubditi ſunt*, ut Paulus ait, ob originale pec-
Rom. 9. catum. Sic de Jacob & Eſau dicit, *Cum nihil egiſſent boni vel mali*, propria videlicet voluntate, & actione, (alioqui in peccato concepti & nati) *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia major ſer-*
Gen. 25. *viet minori, ſicut ſcriptum eſt*; *Iacob dilexi, Eſau au-*
Malach. 1. *tem odio habui.* In uno voluit exercere juſtitiam, in altero ſuam declarare miſericordiam. *Et quis ei dicet: Cur ita facis? An non poſſum*, inquit, *quod volo facere?* Noſtra ergo ſanctificatio & ſalus magis
Job 9. pendet ex Dei opere & munere, quàm ex libero
Matth. 20. arbitrio hominis.

Poſtremò, notanda verba Salvatoris de parvulis; *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in re-*
Matth. 18. *gnum cœlorum*. Et; *Sinite parvulos venire ad me, ta-*
Matth. 19. *lium eſt enim regnum cœlorum*, id eſt, eorum qui illis fiunt ſimiles. Sed qua in re? Hoc declarat Apoſtol. *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia par-*
1. Cor. 14. *vuli eſtote*. Vocat æterna Sapientia etiam parvulos;
Prov. 9. *Si quis eſt parvulus, veniat ad me.* Sed iis tamē dicit, *relinquite infantiam*; per quam ſignificatur vita carnalis, & erroneum judicium, quo bona, & voluptates hujus vitæ præeliguntur bonis æter-
nis,

nis, quomodo pueri res vanas & ludicras ſeriis.

Tota Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina, inquit D. Leo, *non in abundantia verbi, non in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, ſed in vera & voluntaria humilitate conſiſtit: quam Dominus Ieſus Chriſtus ab utero natus, uſque ad ſupplicium crucis pro omni fortitudine & elegit & docuit. Nam cum diſcipuli ejus inter ſe, ut ait Evang. diſquirerent, quis eorum major eſſet in regno cœlorum, vocavit parvulum, & ſtatuit eum in medio eorum, & dixit; Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit ſe, ſicut puer iſte, major erit in regno cœlorum. Amat Chriſtus infantiam, quam primum & animo ſuſcepit & corpore. Amat Chriſtus infantiam humilitatis magiſtram, innocentiæ regulam, manſuetudinis formam. Amat Chriſtus infantiam, qua majorum dirigit mores, ad quam ſenum reducit ætates, & eos ad ſuum inclinat exemplum, quos ad regnum ſublimat æternum.*

Ser. 7. de Epiphan. Lucæ 22. Matth. 18.

Ut autem plenè valeamus agnoſcere, quomodo apprehendi poſſit tam mira converſio, & in puerilem gradum, qua nobis imitatione redeundum ſit; doceat nos B. Paulus & dicat: Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote. Non ergo ad ludicra infantiæ & imperfecta nobis primordia redeundum eſt, ſed aliquid quod etiam graves annos deceat, inde ſumendum eſt, velox commotionum tranſitus, citus ad pacem recurſus: nulla ſit memoria offenſionis, nulla cupiditas dignitatis: amor ſociæ dilectionis, æqualitas naturalis. Magnum enim bonum eſt nocere non noſſe, & ad maligna non ſapere; quia inferre ac referre injuriam, mundi

S. Leo ibid. 1. Cor. 14.

mundi hujus prudentia eſt ; nemini autem malum pro
Ibidem. *malo reddere, Chriſtiana eſt æquanimitatis infantia.*

Ad hanc vos, dilectiſſimi, ſimilitudinem parvulorum, myſterium hodiernæ feſtivitatis invitat, & hanc vobis humilitatis formam adoratus à Magis puer Salvator inſinuat: qui ut imitatoribus ſuis quid gloriæ pararet, oſtenderet, ortus ſui tempore editos, martyrio conſecravit: ut in Bethlehem, ubi Chriſtus natus eſt, geniti, per communionē ætatis conſortes fierēt paſſionis. Ametur igitur humilitas, & omnis à fidelibus
Philip. 2. *vitetur elatio. Alter alterū ſibi præferat, & nemo quod*
1. Cor. 10. *ſuum eſt, quærat, ſed quod alterius: ut cum in omnibus*
Lucæ 14. *abundaverit affectus benevolentiæ, in nullo virus inve-*
Lucæ 16. *niatur invidiæ; quoniam qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Hactenus S. Leo.

MONITUM CVII.

Circumcidimini Domino.

Hierem. 4.

CIrcumciſio carnalis olim à Deo inſtituta, ſignum fuit ac figura circunciſionis ſpiritalis,
Vide Iren. quam ſcilicet potius quàm illam carnalem, etiam
lib. 4. c. 30. in veteri Teſtamento requirebat Deus, & ad eam ipſos quoque Judæos impenſiùs hortabatur atque incitabat. Verùm id generis Circunciſionis præcipuè in novo Teſtamento uſurpatum celebratumque fuit. De qua Dominus, *Circuncidite præ-*
Deut 10. *putium cordis veſtri.* Et, *Circuncidite duritiem cordis*
Deut. 30. *veſtri.* Et, *Circuncidet Dominus Deus tuus, cor tuum,*

&

& cor ſeminis tui,ut diligas eum ex toto corde tuo. Arguuntur etiam in Scriptura *Incircunciſi corde.* *Omnes gentes,* inq. Propheta, *habent præputium: omnis autem domus Iſraël incircunciſi ſunt corde.* Et S. Stephan. *Dura cervice, & incircunciſis cordibus.* Quibus ita minatur Dominus: *Circuncidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorũ, ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit qui extinguat, propter malitiam cogitationum veſtrarum.* Hier. 9. Actor. 7. Hier. 4.

Eſt autẽ Circuncisio ſpiritualis, non modò vitiorum omnium remotio, ſed inanium ac ſuperfluarum cupiditatum abſciſſio, cum pietate, amore, & obſervantia erga Deum conjuncta. De hujuſmodi loquens Circuncisione Apoſtolus; *Nos,* inq. *ſumus circunciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo.* Et, *Non quæ in manifeſto in carne eſt circunciſio; ſed circunciſio cordis in ſpiritu, non in litera.* Quem locum tractans Aug. ait, *Circunciſionem cordis dicit, puram ab omni illicita concupiſcentia voluntatem, quod non fit littera docente & minante, ſed ſpiritu adjuvante atque ſanante.* Philip. 3. Rom. 2. De Spir. & lit. c. 8.

Hanc circuncisionem ante omnes prædicavit Chriſtus dicens: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Si quis,* inquit, *vult venire poſt me.* Sed quónam abiit? Mortuus eſt, reſurrexit, & abiit in cœlum. Qui cum illo ergo poſt mortem reſurgere, & in cœlum vult aſcendere, primò neceſſe eſt ſeipſum abneget, id eſt, ſuam voluntatem peccato corruptã, & ad peccata incitantem mortificet: Crucem ſuam tollat, quamvis tribulationem, non niſi merito ſuo accidentem, patienter ſuſtineat. Quid verò hoc eſt, niſi ſpiritualiter ſeipſum circumcidere? Matth. 16.

Ean

Tit.2. Eandem prædicat ejus Apoſtolus, dicens; *Abnegantes omnem impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo.* Primò ab-

Aug. de prædeſt. Sanct. c. 7. Heb. 11.

neganda impietas, ſeu infidelitas. *Fides* enim *ſpiritalis ædificii eſt fundamentum, ſine quo impoſſibile eſt placere Deo, & ad eum accedere.* Impii, infideles, ut ſunt Gentiles, Judæi, hæretici, qui non credunt univerſa quæ ab Eccleſia credenda proponuntur. Curandum ergo ante omnia, ut quis ſanam fidem habeat, tentationes ei contrarias repellat ac vincat. *Secularia deſideria* ſunt, de quibus Ioannes,

1. Ioan. 2.

Concupiſcentia carnis, oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ ut S. Thom. docet, *omnium peccatorum ſunt radices.* Quæ etſi in hac vita finiri non poſſint, ut ait D.

In 1. 2. q. 77. art. 5. Ser. 49. in Nov. Lib. 3. de vit. contemp. c. 2. Apud Aug. lib. 2. cont. Iulia. cap. 3 & 9. Ser. 5. de Quadrag. Rom. 8.

Aug. abnegandæ tamen ſunt, quia fortiter eis reſiſtendum, nec ad illicita ſequendæ. *Concupiſcentiam autem non in nobis ſentiendo, ſed ei conſentiendo peccamus,* inquit S. Proſp. Quam ſi devincimus, etiam exteriores hoſtes ſuperamus, *qui per illam nos penetrare & dejicere moliuntur,* ut ait D. Ambroſ. *Poteſt inimicus excitare tentationis metum,* inquit S. Bern. *ſed in te eſt, ſi volueris, dare ſeu negare conſenſum. In tua facultate eſt, ſi volueris, inimicum tuum facere ſervum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus, deſiderium cibi, vanitatis aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: Tu ſolummodo ne conſenſeris, & quoties reſtiteris, toties coronaberis.*

In verbis *ſobriè, juſtè, & piè,* quæ addit Apoſtolus, exprimit hominis officium erga ſe, proximum, & Deum. Homini ergo ſobriè vivendum, Sobrietas autem primò generaliter accipi poteſt, pro temperantia in omni re, in cibo & potu,

ſomno,

Digitized by Google

ſomno, ſermone, veſtitu, inceſſu, re familiari, &c. Ac in bonis etiam rebus adhibenda, ut jejuniis, vigiliis, &c. *Virtutes enim immoderatas fieri vitia, etiam Philoſophi dixerunt*, teſte Hier. Quæ Temperantia, etiam Modeſtia vocatur ab Apoſtolo; *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* In epiſt. ad Demetriad.

Omnibus adde modum; modus eſt pulcherrima virtus. Specialiter accipitur pro temperantia in cibo & potu; quibus *alimentis utendum*, docet Aug. *ut medicamentis*, quæ non delectationis, ſed ſanitatis vel acquirendæ vel conſervandæ cauſa ſumuntur. *Attendite vobis*, inquit Chriſtus, *ne graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate.* Philip. 4. Lib. 10. Cõf. c. 31. Luc. 21.

Ac ſobrietas, etſi ipſa per ſe virtus amabilis ſit, etiam aliorum bonorum eſt cauſa. In primis ſanitatis, qua fit, ut quiſque officia ſibi incumbentia facilè poſſit peragere. Multa bona poteſt homo operari, dum ſanus eſt: infirmus quid poteſt? *In multis autem eſcis erit infirmitas*, ait Sap. Et, *Propter crapulam multi obierunt; qui autem continens eſt, adjiciet vitam.* Et, *Sanitas animæ & corporis eſt ſobrius potus.* Deinde etiam mater eſt caſtitatis, quæ Mentem caſtam ſervat in corpore caſto. *Appendices gulæ, laſcivia atque luxuria eſt*, ait Tert. & S. Ambroſ. *Luxus*, inquit, *mater libidinis eſt*. Qui enim nimis nutrit carnem, ſimul & carnis nutrit vitia: ſublatis autem lignis, extinguitur ignis. Caſtitate fit, ut ſolutus libidinem refrænet, ne in conſenſum vel actum erumpat. Conjugatus, ut alienam non quærat, ſua ſit uxore contentus, eáque pudicè ac moderatè utatur. Eccleſ. 35. Eccleſ. 31. Lib. de jejuniis. Epiſt. 15. Bern. in Cant. ſer. 66.

Iuſtitia, quæ proximo debetur, exigit, *ut nulli noceat homo*, nec in animo, nec in corpore, nec in hono

Prov.26. honore & fama, nec in bonis temporalibus. *Proſit*
D. Auguſt. *autem cui poterit*, vel auxilio, vel conſilio, admo-
de Civit. nitione, correptione, exemplo, oratione, &c. Ne-
l.19.c.14. mo tam miſer, quin in aliquo poſſit prodeſſe
Apud proximo. *Non ſufficit*, inquit D. Auguſtin. *abſtinere*
Prof.ſent. *à malo, niſi fiat quod bonum eſt; & parum eſt, nemini*
86. *nocere, niſi ſtudeas multis prodeſſe. Sumus invicem*
Rom.12. *membra*, ait Apoſt. Quemadmodum ergo membra ſibi mutuò ſuccurrunt in humano corpore, ita & Chriſtiani ſibi mutuò ſuccurrere debent in Eccleſia.

Eccleſ.2. Pietas autem exhibetur Deo, quando ei ut veraci creditur, etiamſi dicat ea, quæ ſenſum omnem ac rationem ſuperant. *Qui timetis Dominum*, ait Sap. *credite illi, & non evacuabitur merces*
Pſal.36. *veſtra*. Quando in eo tanquam omnipotente &
Matth.10. largo ſperatur. *Revela Domino viam tuam, & ſpera*
Deut.10. *in eo, & ipſe faciet*, ait David. Quando tanquam juſtus timetur. *Timete eum*, ait Chriſtus, *qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam*. Quando tanquam bonus diligitur; *Et nunc Iſraël audi, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi ut timeas & diligas eum?* Denique quando verbo & opere, omnibuſque modis aliis laudatur, glorificatur, & tanquam Deus colitur. De hac pietate dicit Apoſt. *Pietas ad om-*
1.Tim.4. *nia utilis eſt*.

Qua enim intentione hæc omnia facienda
Tit.3. ſint, docet idem Apoſt. verbis ſequentibus; *Exſpectantes beatam ſpem*, &c. Non ergo ut temporalem quis à Deo remunerationem accipiat, non ut ab hominibus laudem & gloriam, ſed propter beatitudinem ſperatam vel deſideratam, ad quam conditus eſt homo, & quam ei promiſit

Deus

Digitized by Google

Deus in futuro ſæculo. *Non enim cogitandum tantum, ſi bonum eſt quod facimus; ſed præcipuè ſi bonum ſit, propter quod facimus*, inquit S. Aug. *Peccatum enim non ſolum illud eſt, quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus, ſed etiamſi habeat ſpeciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem ſempiternam*, ait idem Auguſt. In pſal. 118 conc. 12. Serm. 26. in Nov.

Non ſine præmio diligitur Deus, inquit B. Bern. *quia ipſe diligenti præmium eſt ampliſſimum, quamvis ſine præmii intuitu ſit diligendus*, quod videlicet diverſum ſit à Deo, propter quod adipiſcendum, tanquam dilectionis ultimum finem, ille diligatur. Hoc enim eſſet Deo non frui velle, ſed uti; nec eum ſummè amare, ſed aliud potiùs ducere, in quo eſſet dilectionis ultimus finis conſtitutus. Unde idem Bern. veriſſimè dixit; *Quicquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quò amoris finis pertendit. Quapropter ſi Deum amamus propter aliud, jam illud magis, quod nefas eſt, quàm Deum amabimus.* Idipſum & D. Aug. *Qui aliud*, inquit, *præmium petit à Deo, & propterea vult ſervire Deo, carius facit, quod vult accipere, quàm ipſum à quo vult accipere.* Et alibi, Hoc affectu & deſiderio colendus eſt Deus, ut ſui cultus ipſe ſit merces. Nam qui Deum ideo colit, ut aliud magis quàm ipſum Deum promereatur, non Deum colit, ſed id quod aſſequi concupiſcit. Epiſt. 11. In pſal. 72. Apud S. Proſp. Sent. 20.

MONI

MONITUM CVIII.

Ecce pater tuus & ego, dolentes quærebamus te.

Lucæ 2.

PArentum officium eſt, ſedulam curam gerere filiorum. Primò ne perdantur, quod fit per malam fidem, aut vitam malam. *Venimus enim in jus Diaboli vel vitæ vel fidei perverſitate*, inquit Chryſoſt. ideóque diligenter debent eos educare, in fide recta & Chriſtianis moribus; *Natura enim tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percipimus.* Unde & Propheta ait, *bonum eſſe homini, cùm portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua.* Secundò, ſi fortè perditi ſint, diligenter eos quærere, hoc eſt, omnem curam adhibere, ut in viam rectam fidei ac morum reducantur. *Non enim felicitas eſt iam filios habere, ſed bonos habere.* Alioqui Euripidis probanda ſententia eſt, qui *carentem liberis, infortunio dixit eſſe felicem.*

Hom.6.in 2.ad Timoth. Quintilia. lib.1. Threnor.3 Auguſt.ib. Pſal.127. Boëth.lib. 3.proſ.7. de Conſol.

Cujus rei optimum habemus exemplum in S. Monica D. Auguſt. matre, cujus opera & cura, etſi maritum haberet infidelem, in fide Chriſti & pietate tota ejus familia enutriebatur. Scribit Auguſt. quod *in ipſo adhuc lacte matris, nomen Chriſti Salvatoris tenerum cor eius piè biberat, & altè retinebat, & quicquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis literatum,*

Li.1. Conf. cap.11. Lib.3.c.4.

ratum, & expolitum, & veridicum non me totum rapiebat, inq. *quod condiebatur ejus ſale, & ſignabatur ſigno Crucis ejus, jã inde ab utero matris ſuæ*. Scribit etiam, *cum jam pubeſcere inciperet, quanta ſollicitudine monuerit illum mater pudicitiam, ne fornicaretur & maximè, ne adulteraret uxorem cujuſquam*. Li. 2. Conf. cap. 3.

Deinde cùm ipſe prava aliorum conſuetudine ſeductus, incidiſſet in hæreſim & alia gravia peccata, quàm fuerit ſollicita, ut rediret in viam; *terra marique eum ſequens, denſiſſimas pro eo lachrymas fundens, quibus rigabatur terra ſub oculis ejus, in omni loco orationis ejus. Non ſatis eloquor*, inquit, *quid erga me habebat animi, & quantum maiori ſollicitudine me parturiebat ſpiritu, quã carne pepererat*. Et alibi; *Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te* (Domine) *deviare cernebat. Multorum parentum diverſa & præpoſtera eſt cura*, ait S. Chryſ. provident diligenter filiis ſuis opes, honores, & hujuſmodi terrena bona; non Deum, ut illum honorent, timeant, diligant: *perditionem illorum magno pretio comparant; ſalutem autem eorum nec dono accipere volunt: Si viderint pauperes, triſtantur; ſi peccatores, non triſtantur, quia corporum ſunt amatores, non animarum*, imò parentes corporum, peremptores animarum. Lib. 6. c. 1. L. 4. c. 11. Lib. 5. c. 9. Lib. 9. c. 9. Chryſoſt.

Dicitur in Evangelio, quod Chriſtus duodennis perditus, & ſollicitè admodum à parentibus quæſitus, *inventus ſit in templo; in medio doctorum, audiens illos, & interrogans eos. In templo*, non inter cognatos & notos, qui ſæpè carnales ſunt, & carnalia ſuggerunt, ac in via Dei nos impediunt. Unde dictum eſt Abrahæ; *Egredere de cognatione tua, & de domo patris tui*. Et monet Propheta; *Obli-* Luc. 2. Gen. 12. Pſalm. 44.

viſcere populum tuum, & domum patris tui. Non in
Gen. 34. plateis, ubi Dina ab aliis conſpecta, rapta ac ſtu-
Cant. 5. prata eſt, ubi percuſſam ſe ac vulneratam, theriſtrũ
Hieron. ad Euſtoc. & ad Lætam. etiam pudicitiæ amiſiſſe, queritur Sponſa in Canticis. Ideo *Maria ſera in domo, feſtina erat in publico,* inq. S. Ambr. *docens maximè Virgines, non demorandum in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones.* Nõ denique in tabernis, ubi ſolent homines comeſſationibus ac potationibus curare corpora,
Ambr. l. 2. in Lucam.
Prov. 20. animas perdere. *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas,* ait Sap. *quicunque his delectatur, non erit ſapiens.* Et, *Cui væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cau-*
Prov. 23. *ſa vulnera? Nonne his qui ſtudent calicibus epotandis?*

Sed *inventus eſt in templo,* in domo Dei, quæ orationi, laudi divinæ, piæ doctrinæ, Sacramentorum participationi, cæteriſque ſpiritualibus exercitiis, quæ homines ad æternam ſalutem promovent, dicata eſt. Quiſquis ergo ſuæ ſalutis eſt ſtudioſus, ibi libenter eſſe debet, & quæ tali loco conveniunt, diligenter peragere. Quam domum ita extollit
Hom. 36. in ep. 1. ad Corinth. Chryſ. ut vocet, *Locum Angelorum & Archangelorum, regiam cœli, cœlum ipſum,* id probans ex reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, quod ibi conſecratur, offertur, ſumitur, & aſſervatur. Cogitet qui illam domum ingreditur, cum quanta illi devotione ac reverentia in ea verſandum ſit.

Eſt & aliud templum Spirituale, in quo invenitur Deus, & eſt cor hominis. *Vos eſtis templum Dei*
2. Cor. 7. *vivi.* Et, *Habitat Chriſtus per fidem in cordibus ve-*
Epheſ. 3. *ſtris,* ait Paulus. *Ecce,* inq. Aug. *ibi eſt, ibi ſapit veri-*
Lib. 4. Cõfeſſ. c. 12. *tas. Intimus cordi eſt, ſed cor erravit ab eo. Redite præ-*
Iſaiæ 46. *varicatores ad cor, & inhærete illi qui fecit vos.* Et rurſum; *Ambulabam,* inq. *per tenebras & lubricũ, & quærebam*

rebam te foris à me, & non inveniebam Deum cordis mei. Et, *Convertantur peccatores, & quærant te, quia ſicut ipſi deſeruerunt te creatorem ſuum, ita & tu deſeruiſti creaturam tuam Ipſi convertantur & quærant te, & ecce ibi es in corde eorum, in corde confitentium tibi, & projicientium ſe in te, & plorantiū in ſinu tuo poſt vias ſuas difficiles, & tu facilis terges lachrymas eorū.* Denique: *Ex quo,* inq. *didici te, manes in memoria mea, & illic te invenio, cùm reminiſcor tui, & delector in te. Hæ ſunt ſanctæ delitiæ meæ, quas donaſti mihi miſericordiâ tuâ, reſpiciens paupertatem meam.* Lib.9.c.1. Lib.5.c.1. Lib.10. cap.24.

In medio doctorum. Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit, ait Sap. *Amicus autem ſtultorum, ſimilis efficietur.* Et rurſum: *In multitudine presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei poſſis audire,* &c. *Et ſi videris ſenſatum, evigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus.* Et iterum; *Ne deſpicias narrationem Presbyterorum, & in proverbiis eorum converſare, ab ipſis enim diſce ſapientiam, & doctrinam intellectus,* &c. *Non te prætereat narratio ſeniorum; ipſi enim didicerunt à patribus ſuis, quoniā ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum.* Prov.13. Eccleſ.6. Eccl.8. Ioan. 1.

Audiebat illos, & interrogabat eos. Non propter ſe, qui ſapientia plenus erat, & inſtructione non egebat, & *interrogando magis inſtruebat alios,* inquit Hier. ſed id fecit, humilitatis & exempli cauſa. *Interroga libenter,* ait quidam, *& audi tacens verba Sanctorum.* Quos interrogabo? *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* Quid interrogabo? *Interrogate de ſemitis antiquis,* ait Hier. *quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus veſtris.* Monet Euſto- Lucæ 2. Deut.32. Hierem.6. In epiſt.ad Euſtoch.

Digitized by Google

chium D. Hier. *Si quid ignoras, ſi quid dubitas, interroga eum, quem vita commendat, excuſat ætas, fama non reprobat.* Et Demetriadem; *Bonum eſt poſt regulas Scripturarum vitæ ſuæ tramitem etiam ab aliis, majoribus videlicet & perfectis, diſcere: nec præceptore uti peſſimo, propria ſcilicet præſumptione.*

In epiſt. ad Demetri.

Conſtituit Chriſtus in Eccleſia, cujus templum illud erat figura, *Paſtores & doctores, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia & aſtutia hominum.* Illi ſunt interrogandi & audiendi. Sicut in veteri teſtamento conſtituti erant à Deo Sacerdotes Levitici, ad quos confugere debebat populus in difficultatibus & dubiis. *Quæres,* inquit Scriptura, *ab eis judicii veritatem, qui judicabunt tibi, ſequeriſque ſententiam illorum.* Et jubebatur occidi, nolens obedire Sacerdotis imperio. Unde & Propheta; *Hæc dicit Dominus. Interroga Sacerdotes legem.* Et alius; *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Ita Chriſtus; *Si Eccleſiam,* id eſt, *Eccleſiæ Præpoſitos, non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Illis qui in Eccleſia ſunt Presbyteris obaudire oportet,* inquit Iren. *cæteros qui alibi colliguntur, contemnere.*

Epheſ. 4.

Deut. 17.

Aggæi 2.
Malach. 2.

Matth. 18.
Chryſoſt. in hunc locum.
Li. 4. c. 42.

Et dixit Mater ejus ad illum, Fili quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Excuſanda eſt hic D. Virgo à negligentia, impatientia, infidelitate. In primis culpanda non eſt, quòd vel ex negligentia filium ſuum jam duodennem amiſerit, vel quòd eum, quem ſciebat Deum, cum dolore quæſierit. Ipſe enim Dominus Ieſus omnipotentia ſua ſe ſubtraxit, ut voluit, ſine culpa matris aut Joſeph, qui dum redirent, eum in

Vide Heſſel. in Salut. Angel.

in comitatu eſſe putabant. Et licet Mater eum Deū eſſe non ignorarit, ſciebat tamen & verum hominem, qui dignatione ſua, etiam humano ſolatio indigere voluerit. Cui mater pia ſollicitudine ſuccurrere & ſolebat, & debebat. Sic quod dixit; *Fili quid feciſti nobis ſic?* non impatientiæ, ſed humilitatis potiùs verbum eſt, quaſi d. Scimus te id rationabili aliqua cauſa feciſſe, ſed eam neſcimus, precamur nobis indices. Luc. 2.

Et ait ad illos, Quid eſt quod me quærebatis? Non increpando hoc dicit, ſed quæ natura in eo præferenda eſſet, oſtendit: Senſus enim eſt; Quæ cauſa eſt quòd me quærebatis, niſi quia hominem me eſſe noviſtis, & affectu parentum erga me affecti eſtis? Nec refutans maternæ obſequium pietatis, ſed quod amplius, quàm homo eſſet, declarans. Nec increpando dictum eſt: *Neſciebatis, quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* quaſi Joſeph & Maria non cogitaverint Chriſtum plus debere patri cœleſti, quàm ipſis; ſed quòd hoc cogitare debuerint, ſignificatur. Sicut non increpando dicit Apoſt. *Neſcitis quia templum Dei eſtis,* &c. ſed oſtendit, quid cogitare debeant fideles. Ita hic non negavit, quin Maria cogitaverit eum amplius debere paternis myſteriis, quàm maternis affectibus; ſed eam alloquendo, docet alios, quod non tantum homo eſſet, ſed etiam Dei filius, Deo patri æqualis; quod veræ Religionis eſt fundamentum. Ibidem. Luc. 2. 1. Cor. 3. Aug. li. 1. de nupt. cap. 11.

Duo ergo docemur verbis Chriſti. Primò quæ Dei ſunt curare diligenter, in illis eſſe, illis toto pectore incumbere, in illis vigilare. Plerique cùm ſe dant orationibus, meditationibus, & ſimilibus

Digitized by Google

exercitiis ſpiritualibus, non ſunt in illis, ſed eorum animus foris vagatur, eſt in plateis, in patinis, in pecuniis, ne dicam in ſordibus, de quibus Propheta; *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Monet Timotheum ſuum Paulus: *Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ: hæc meditare, in his eſto.* Et, *Inſtate orationi, vigilantes in ea. Ibi multoties homo non eſt, ubi corporaliter ſtat, aut ſedet; ſed ibi magis eſt, ubi eſt ejus cogitatio.* Et ubi quæſo illa eſt, etiam ſæpe tempore orationis? puderet hominẽ dicere. Qui ergo experitur in ſe quod ait David *Cor meum dereliquit me; ſequatur illud quaſi fugitivum, quærat & inveniat, ſicut David; revocet, ac retrahat, ut ſolum Deum cogitet*, eique ſoli vacet.

Iſaiæ 29. Matth. 15. 1. Tim. 4. Coloſſ. 4. Kemp. l. 3. c. 53. de imitat.

Pſal 39. Vide Aug. in pſal. 85. 2. Reg. 7.

Secundò docet Chriſtus, plus ſemper tribuendum eſſe divinis mandatis, monitis, inſpirationibus, quã parentum affectibus. *Qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos; & fratribus ſuis, ignoro illos; & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, Domine*, ait Moyſes, *& pactum tuum ſervaverunt.* Sic & Chriſtus in Evang. *Qui non odit patrem ſuum, & matrem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Hoc faciendum, quando nos impediunt à regno Dei, quãdo jubent aliquid contra præcepta & conſilia Dei. Tunc locum habet illud Hier. *Licet ubera quibus te nutrierat, oſtendat mater, licet in limine pater jaceat: per calcatum perge patrem: ſiccis oculis ad vexillum crucis evola. Summum pietatis genus eſt, in hac re eſſe crudelem. At contra Scriptura præcipit, parentibus eſſe obediendum. Sed quicunque eos ſupra Chriſtum amat, perdet animam ſuam. Gladium tenet hoſtis, ut me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo? Propter patrem militiam Chriſti deſeram, cui ſepulturã Chriſti*

Deut 33. Lucæ 14. Aug. Lib. Retr. c. 19. in ep. ad Heliod. Matth. 10. Matth. 8.

cauſa

cauſa non debeo, quam etiam omnibus ejus cauſa debeo? Sed nonne vincula amoris inter parentes & liberos fortia ſunt? *At facilè rumpit hæc vincula amor Dei, & timor gehennæ*, ait Hieron. Pietas erga parentes, pietate in Deum ſuperanda eſt, & amor parentum, majore in Deum amore contemnendus. Ibidem.

MONITUM CIX.

Beatus vir, qui timet Dominum, &c.

Pſal. 111.

TRiplex timor malus, & cavendus. Primus, Timor deſperationis, qui fiduciæ eſt contrarius, & oritur ex mala conſcientia, quæ tormentum deſperationis operatur. Sicut enim ex bona conſcientia, ſpes: ita ex mala, deſperatio conſurgit, & ut ſpes conſolationem, ita tormentum conſcientiæ deſperatio operatur. Hinc S. Ioannes, *Timor pœnam habet*. De hoc timore ait in Cantico Zacharias. *Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi, &c.* & David; *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* Et Iſaias, *Ecce Deus ſalvator meus: Fiducialiter agam, & non timebo.* Secũdus eſt timor humanus, quo quis metu hominum juſtitiam deſerit, qui, ut prior, cum charitate pugnat, de quo Chriſtus, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Contra quem orat David; *A timore inimici eripe animam meam*, ne videlicet, plus eum timeam, quàm Deum: quod fit quando quis propter hominem, fidem vel juſtitiam abjicit. Tertius

Vide Aug. in pſal. 127

1. Ioan. 4.
Lucæ 1.
Pſal. 26.
Iſaiæ 12.
Matth. 10.
Pſal. 63.

timor eſt malus, quo quis abſtinet ab externo opere peccati, ſolo timore pœnæ vel temporalis vel æternæ, libenter iniquitatem perpetraturus, ſi impunè id poſſet; *ac proinde intus eſt reus, ubi is qui præcipit, inſpicit Deus.* Qui etiam omninò charitati eſt contrarius. *Eſtote factores verbi*, ait Iac. *non ſolùm foris*, inq. Aug. *ubi Deus & homo, ſed etiam intus, ubi videt Deus.*

De Spir. & lit. cap. 14.
Iac. 1.

E contra, Triplex bonus timor, & amplectendus. Primus eſt Dei cultus & reverentia, de quo dicitur: *Miſericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.* Et Apoſtolus mandat, *Mulier timeat virum*, illum revereatur. De quo etiam dicitur, *Timor Domini caſtus permanens in ſæculum ſæculi.* Et in Angelis etiam reperitur, *Imò reverentiæ ſuæ amoriſque exiguitatem erubeſcunt, quod non ſit pro dignitate Creatoris, unde non ſolùm ora tegunt, quòd in ſumma illa luce obtutum intelligentiæ figere nequeant, ſed & pedes*, inquit Chryſ. tractans viſionem Iſaiæ. Et nihil eſt aliud, quàm eximia quædam Divinæ Majeſtatis reverentia, cum ſecura & conſtanti omnium eorum abominatione, quæ ei quoquomodo repugnant.

Lucæ 1.
Ephes. 5.
Pſal. 18.
Iſaiæ 6.
Hom. 3. in illa verb. Iſai. Vidi Dominum.

Secundus timor eſt gehennæ, quam homo etiã ſibi bene conſcius rectè ſibi proponit, quo tanquam fræno, concupiſcentias ſuas coërceat, juxta illud Chriſti mandatum; *Timete eum, qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam.* Hoc Chriſti præceptum implet charitas, ſicut ait Apoſtolus; *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.* Quo timore, veluti clavis, configi carnes, id eſt, concupiſcẽtias ſuas, petebat David. Tertius timere nos facit, ne

Baſil. in Pſal 33.
Matth. 10.
Vide M. 7.
1. Cor. 9
Pſal. 118.

ne per peccatum ſeparemur à Deo, & eſt ſollicitudo non offendendi Deum, ſeu ambulandi cum Domino Deo ſuo, quam Propheta exigit ab homine. A quo timore in Script. commendatur Iob, Tobias, Simeon, & alii. Sequitur in pſalmo: Vide Mo. 26. Mich. 6.

In mandatis ejus volet nimis id eſt, Tota eius cogitatio ac voluntas eſt in obſervandis Dei mandatis, uti mandat Sapiens: *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.* Et de viro iuſto dicitur, *In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Mandata autem Domini duplicia ſunt, ut ait D. Hier. *in quibus clauditur tota juſtitia; Prohibendi, & Iubendi. Ut enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona. Ibi otium operatur, hic ſtudium; ibi coërcetur animus, hic incitatur; hic feciſſe, illic non feciſſe, culpabile eſt. Quod duplex genus mandatorũ Dei, à quo omnibus iure mandatum eſt, nemo ab hoc imperio liber eſt, omnibus tranſgreſſoribus parata ſupplicia.* Eccleſ. 3. Pſalm. 1. In epiſt. ad Celant.

Declina à malo, & fac bonum, ait Propheta. Pſalm. 33.

Non ſufficit, inquit S. Aug. *declinare à malo, niſi fiat quod bonum eſt; & parum eſt nemini nocere, niſi ſtudeas multis prodeſſe.* Sent. 86. apud Proſp.

Servus, ait D. Chryſoſt. *non ſit ebrioſus, rapax, contumax, ſed ſobrius, moderatus, &c. ſi tamen deſes ſit, officium negligat, nonne vapulabit? Sit agricola in cæteris culpâ vacans, non tamen ſerat, non aret, non vites colat, ſed domi deſideat, nonne vapulabit? Sic in corpore humano, ſit manus ita affecta, ut non præſcindat linguam, non oculos eruat, nihil denique damni adferat, ſed deſidioſa ceſſet, reliquo corpori non inſerviat, nonne inutilis reputabitur? & præcidenda potius quàm retinenda. Eodem modo non modò aliquid mali feciſſe, ſed & aliquid boni omiſiſſe, punitione dignum* Serm. de Virtut. & Vitiis.

Lib.1.ad Vxor.c.3.

dignum eſt.Ita Chryſoſt. Et licet declinare à malo quoddam bonum ſit,eſt tamen inter hæc duo præcepta,nimirum, *Declina à malo,& fac bonum*, hæc differentia, quod juxta Tertull. *is declinare à malo dicitur, qui non facit quod obeſt, facere autem bonum dicitur, qui addit inſuper quod prodeſt*.

Hom. de Judicio,& Serm.2. de Bapt.c.6. & 9.
Li.50.hom. 7. & ſerm. 63.in Nov.
In Paſt. part.3.adm. 21.

Quod autem damnatio immineat, non ſolùm prohibita patrantibus, ſed & juſſa prætermittentibus, probat etiam D.Baſil. ex eo quod à Judiee dicendum erit, *Eſurivi,& non dediſtis mihi manducare*, &c. Sola enim omiſſio ejus boni, quod ex circumſtantia loci & temporis contingit eſſe in præcepto, ipſo regno facit indignum. *Si autem in ignem mittitur*, inquit D. Aug. *qui non dedit rem propriam, ubi putas mittendus erit, qui invaſit alienam? Si cum Diabolo ardet, qui nudum non veſtivit, ubi putas arſurus eſt, qui exſpoliavit?* &c. Et D.Greg. *Si tanta animadverſione feriuntur, qui ſua indiſcretè tenuerunt, quanta damnatione plectendi ſunt, qui aliena rapiunt? Quo illos obligat reatu res rapta, ſi tali ſubjicit pœna non tradita?* &c.

Gen.9.
Malac.1.
2.Reg.13. 17.
Aug. de bon.viduit. c.19.
Epiſt 143.
Tert.l.1. ad uxor. c. 6. de reſur. car. c 8. de veland. Virg. c.13.
Cyp. de ſingul. cleric.

Potens in terra erit ſemen ejus. Si intelligas ſemen, & generationem corporaliter, in multis falſum erit; de Noë enim natus eſt maledictus Cham;de Iſaac,Eſau Deo odioſus;de David,Amnon impurus & parricida Abſalon. Deinde multi timentes Deum caſtitatem elegerunt, *ut tanto fœcundiores poſſent eſſe in bonarum cogitationum ac operum fœtibus*. Imò, multi etiam viventes in conjugio,aut eo non utuntur,aut ſi utantur,ſteriles ſunt; nec(ſi corpus ſpectes)ſemen aut generationem habent. Intelligitur ergo de ſemine, & generatione ſpirituali bonorum operũ,ut ſæpe Scriptura; *Qua*

ſeminave

Digitized by Google

ſeminaverit homo, hæc & metet. Qui parcè ſeminat, parcè & metet. Qui ſeminãt in lachrymis, in exultatione metẽt. Quid autẽ potẽtius, ait S. Aug. *quã ut nõ ſolũ Zachæus emat cœlũ, dimidio rerũ ſuarum, ſed & Vidua duobus minutis; & tantumdẽ ibi uterque poſſideat? Quid potentius, quàm ut idem regnum, & theſauris divitis, & calice aquæ frigidæ pauperi valeat?* Galat. 6. 2. Cor. 9. Pſal. 125. Auguſt. in hunc pſal. Lucæ 21. Matth. 10.

Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, quid potentius? *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum,* quid potentius. Quam potens fuit oratio Moyſi, ut teneret Deum ne faceret quod minatus erat? Quàm potens oratio Eliæ, ut clauderet & aperiret cœlum. Dixit David, *Peccavi Domino,* ſtatim audivit, *Tranſtulit Dominus peccatum tuum.* Dixit Publicanus, *Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcẽdit juſtificatus in domũ ſuã.* Dixit latro in cruce, *Memẽto mei Domine, cũ veneris in regnũ tuũ,* ſtatim accepit reſpõſum, *Hodie mecũ eris in paradiſo.* Eccleſ. 35. Eccleſ. 3. Exod. 32. 3. Reg. 17. Iacob. 5. 3. Reg. 18. 2 Reg. 12. Lucæ 18. Lucæ 23.

Generatio rectorum benedicetur, id eſt, eorum quibus placet, quod Deo placet: *Illi ſunt recti corde,* inquit Auguſt. *qui non reſiſtunt patri emendanti, credunt pollicenti; non turbantur ob dilationem promiſſorum, nec tranſeuntia carnaliter appetunt, ſed manſura fideliter, patienter exſpectant.* Benedicetur autem non ſemper de area aut de torculari, id eſt, frumento aut vino temporaliter; ſed ex Sion, benedictione cœleſti, quæ eſt multiplicatio bonorum operum; quia *Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici,* ait idem Aug. Et ut D. Proſp. *In pleriſque particulariter quicquid ſuperna largitas donat, accreſcit, ut conferendorum munerum cauſa, de his quæ ſunt collata, parantur.* Et ipſe Apoſt, bene ſeminantibus ait: *Multiplicabit ſemen veſtrum, & incrementa* In hunc pſal. Epiſt. 109. Lib. 2. de voc. gent. cap. 1. 2. Cor. 9.

crementa frugum juſtitiæ veſtræ,id eſt,augebit continuò juſtitiam veſtram. *Omnis enim,qui habet,dabi-*
Matth.25. *tur ei & abundabit*. Deinde benedicetur,quia tales
Pſalm.22. audient in iudicio, *Venite benedicti Patris mei, per-*
Pſal.127. *cipite regnum*.Et de tali dicitur;*Hic accipiet benedi-*
Pſalm 26. *ctionem à Domino*. De qua dicitur ; *Benedicat tibi*
1.Cor.2. *Dominus ex Sion ut videas bona Ieruſalem, omnibus diebus vitæ tuæ*.De quibus & alibi;*Credo videre bona Domini in terra viventium.Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt*.

Gloria & divitiæ in domo eius.Si de domo materiali intelligas.in domo iuſti ſæpe paupertas, miſeria, anguſtia, contemptus, contumelia, &c. pa-
Lucæ 16. tet in Lazaro mendico , & aliis ſanctis. Sed de
Hebr.11. domo ſpiritali agitur , quæ eſt conſcientia , ſeu
1.Cor.4. cor,ibi quiſque habitare debet, illi ſtudere, illi ſatisfacere. *Vade in domum tuam*, dictum eſt paraly-
August.in tico : &,*Nec te quæſiveris extra*,ait Poëta. Ibi ſunt
Pſal.100. divitiæ , quia Deus ibi habitat : quid ditius ? Ibi gemmæ virtutum,quid pretioſius? Aug.de Iuſto : *Ad divitias eius intende ; reſpicis arcam inanem,ſed*
In pſal.36. *conſcientiam Deo plenam ; non habet extrinſecus fa-*
Conc.2. *cultatem , ſed intus charitatem ; ex ipſa charitate, quanta erogat, & non finitur*.

Pſalm.83. *Non privantur bonis, qui ambulant in innocentia*,
& ibi Aug. ait Propheta. Sed nonne , qui innocentiam ſer-
Hebr.10. vant, ſæpe etiam ob ipſam innocentiam rediguntur ad inopiam ? Innocentibus Hebræis dicit Ap. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis*. Non tamen privantur bonis , qui ambulant in innocentia. Eſtne aliquid pretioſius ipſa innocentia ? parvæne ſunt divitiæ ipſa innocentia ? Ergo quamdiu quis innocens manet , opibus abundat.

Digitized by Google

abundat. *Affatim dives eſt*, ait Hier. *qui cum Chriſto pauper eſt*. Diſtinguit Aug. duplicia bona: *Bona alia quibus facias benè; alia quæ te bonum faciant*, inq. Aug. *illa invitus perdere potes, hæc verò non niſi volens*. De quibus idem Aug. loquens de Chriſtianis, qui tempore vaſtationis Urbis Romanæ, perdiderant omnia, ſicut & Gentiles: *Amiſerunt*, inq. *omnia quæ habebant. Nunquid fidem? nunquid pietatem? nunquid interioris hominis bona, qui eſt ante Deum dives? Hæ ſunt opes Chriſtianorum, quibus opulentus dicebat Apoſtolus; Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia*. Si licuit dicere Philoſopho, amiſſis vel incendio vel naufragio omnibus, *Omnia bona mea mecum porto*: quantò magis Chriſtiano? Dicebat Oroſius; *Nihil perdidi, ubi nihil amavi, totumque habeo, quando quem diligo, mecum eſt*. S. Paulinus Epiſcopus Nolanus, captus à Barbaris, ſic Deum precabatur; *Domine, ne excrucier propter aurum & argentum; ubi enim ſint omnia mea, tu ſcis*.

In ep. ad Ruſtic. Sent. 205. Ser. 35. in Nov. Lib. 1. c. 10. Civit. 1. Pet. 3. 1. Timot. 5. Aug. lib. 1. de Civit. cap. 10. Lib. 5. hiſtor. ca. 2.

Divitiæ ergo in domo juſti; ſic & gloria, ubi enim opes virtutum, ibi teſtimonium bonæ conſcientiæ, in qua gloriamur, unde Apoſt. *Gloria noſtra hæc, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. Ubi autem bona conſcientia, ibi ſpes vitæ æternæ; hinc Ioannes, *ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Et Aug. *Spem gerit bona conſcientia. Quomodo mala conſcientia tota in deſperatione, ſic bona conſcientia tota in ſpe*. In qua ſpe gloriamur. Unde Apoſt. *gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*. Et, *In tribulatione patientes, ſpe gaudentes*.

2. Cor. 1. 1. Ioan. 3. Auguſt. pſal. 31. Rom. 5.

Iuſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. Juſtitia in ſe virtutes complectitur omnes. De temporalibus dicitur; *Cùm interierit, non ſumet omnia, neque*

Rom. 12. Pſal. 48. 1. Pet. 1.

Digitized by Google

1.Pet.1. *deſcendet cum eo gloria ejus.* Et, *Omnis caro, fœnum; & omnis gloria ejus, tanquam flos fœni.* Certa eſt eorum brevitas, & ipſius quoque brevitatis, quàm finis incertus? Sæpè viventem deſerunt, morientem autem nec rarò ſequuntur. De bonis autem ſpiritualibus dicitur; *Opera illorum ſequuntur illos.* Optimi amici, qui nec in morte deſerunt. Sequamur ergo monitionem Pauli; *Abundantes in opere Domini ſemper.* Sic Bern. ad Sophiam; *Non te moveant aurum, argentum, gemmæ,* &c. *quibus filiæ Babylonis, non tam ornantur, quàm onerantur; illæ illa vel in morte deponent; te tua ſanctitas non relinquet. Mundus, cujus ſunt, nudis illis exeuntibus retinebit; at verò tuus ornatus* (virtutum) *in morte vivet; nimirum, animæ res eſt, non corporis; & ob hoc ſimul cum anima abit, non obit cum corpore.*

Apoc.14. Epiſt.113. Vide Damaſc. in hiſtor. Barlaam, ca.13

Juſtitia ergo hominis juſti manet, vel in ſe, vel in ſuo fructu, ſeu mercede. Multæ virtutes etiam in ſe manent, ut humilitas, obedientia, caſtitas, pax, charitas, de qua dicitur, *Charitas nunquam excidit*; ſed ibi perficiuntur. Aliæ verò, ut fides, patientia, miſericordia, &c. etiam permanent. Unde dicitur, *Patientia pauperum non peribit in finem.* Et de miſericordia dicitur: *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia eius manet,* &c. Non in ſe; in cœlo enim non fides erit, ſed clara viſio: Non erit tribulatio, materia patientiæ: Non miſeria, cui ſubveniat miſericordia; ſed in ſuo fructu ac mercede permanent, de qua dicitur: *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus*; quia vita cœleſtis, quæ illis operibus retribuetur, erit æterna, ac immortalis.

1.Cor.13. Pſalm.9. Pſal.111. Sap.3.

Exortum eſt in tenebris lumen rectis. Sicut magnum

gnum ſupplicium cordis excæcatio, ita magnum Dei beneficium hominis illuminatio; ut ſciat viam, ſciat patriam; alterum ignorare ad tenebras pertinet, & ad extremas tenebras perducit. Quod beneficium extollens David: *Non fecit*, inquit, *taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Et de tanto beneficio Judæis dato gratias agens Nehemias, ait, *Spiritum tuum bonum dediſti eis, qui doceret eos.* Idemque ſuis in memoriam revocans Paulus, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et Petrus: *De tenebris vocavit vos in admirabile lumen ſuum. Non glorietur Sapiens in ſapientia ſua,* ait Propheta, *nec fortis in fortitudine ſua: nec dives in divitiis ſuis: ſed in hoc glorietur, ſcire & noſſe me. Infelix homo* (ait D. Auguſtin.) *qui ſcit alia omnia, te autem, Domine, neſcit: beatus autem, qui te ſcit, etſi omnia alia neſciat: Qui verò te & alia novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolum beatus eſt, ſi te cognoſcens, ſicut Deum glorificet, & gratias agat, & non evaneſcat in cogitationibus ſuis.*

Pſalm. 141. 2. Eſdr 9. Epheſ. 5. 1. Petr. 2. Ierem. 9. Lib. 5. Conf cap. 3.

Miſericors & miſerator & juſtus. Duobus modis poteſt hoc intelligi: ſi quæras, quod ſit illud lumen? Ipſe Dominus, qui eſt *miſericors, & miſerator, & juſtus.* De quo dicitur, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Et qui de ſe dicit, *Ego ſum Lux mundi*, quia videlicet, illuſtrat cor ut veritatem intelligat, & accendit ut juſtitiam diligat. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea.* In Scripturis enim & ignorantia & injuſtitia, tenebræ dicuntur. Alio modo intelligitur, ut ut ſit ratio præcedentis: ideo *exortum eſt in tenebris lumen, quia miſericors, & miſerator, & juſtus,* id eſt,

Ioan. 1. Ioan. 8. Pſalm. 22.

Digitized by Google

id eſt, bonus eſt Dominus; ut ſciat homo, quod ſi præ reliquis veram lucem acceperit, non ſe id ſuis meritis aut viribus tribuere debere; ſed gratuitæ Dei miſericordiæ. Non enim omnibus datur hæc gratia, ut verè agnoſcatur eſſe gratia. Quod enim cum omnibus commune habemus, facilè viribus noſtris aut meritis reputare ſolemus. Quid autem hoc beneficium à nobis exigat; declarat Apoſt.
Rom.13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit.* Sequitur:
Epheſ.5. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Et alibi, poſtquam dixiſſet, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, ſubdit; *Ut filii lucis ambulate; fructus autem lucis eſt; in omni bonitate, & juſtitia, & veritate.*

MONITUM CX.

Iucundus homo qui miſeretur & commodat.

Pſalm. 111.

Aug. Proſp. in hunc pſ. Apoc.3. JUcundus dicitur homo, *qui ſuavis eſt in ore Domini*, illi gratus ac placens; non evomet illum ex ore ſuo, *tanquam mali odoris, aut faſtidiendi ſaporis.* Quod minatur in Apoc. tepidis. Illi enim in periculum veniunt, ut ſocietatem vel Eccleſiæ, vel religionis (in qua ſunt) deſerant. *Qui miſeretur &*
Proſp. in hunc pſal. *commodat.* Duobus modis accipi poteſt; primò, *qui miſeretur, remittendo peccata*, quæ alius in illum commi-

commiſit; *periculoſa admodum tentatio*, inq. Aug. *circa proximum ira atque vindicta*. Quandò enim illi creditur, nihil omnino dimittitur. Vnde Dominus, *Si non dimiſeritis hominibus peccata, nec Pater vobis dimittet*. Deinde, inquit Gregor. *tamdiu nullum boni operis ſacrificium Deo offers, quamdiu à proximo per iracundiam diſcordas*.

Ser. 1. de Oratione Dom. Matth. 6. 18 In Paſt. part. 3. admi. 23. In Pſychomachiam. Greg. ibid.

Nil placitum ſine pace Deo, non munus ad aram, ait Prudent. *Penſemus ergo*, ait idem Greg. *cùm mala cuncta bonis ſequentibus diluantur, quanta ſint mala diſcordia, quæ niſi extincta funditus, bonum ſubſequi non permittunt*.

Et commodat, largiendo beneficia, gratiam, quam accepit, ſive ſpiritalem, ſive temporalem, in alterum adminiſtrat, tanquam bonus diſpenſator multiformis gratiæ Dei. Monet Dominus in Evang. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Quod D. Baſil. & alii intelligunt de conferendis beneficiis indigentibus, pro quibus abundè compenſat Dominus. Sic quod pauperi das propter Deum, donum eſt, reſpectu pauperis; ſed fœnus, & mutuum, reſpectu Dei; qui magna dabit pro parvis, æterna pro caducis; ut verè dicat Sapiens, *Qui miſeretur pauperis, fœneratur Deo*.

1. Pet. 4. Lucæ 6. Baſil. in pſal. 14. Prov. 19.

Alius ſenſus eſt, *Qui miſeretur*, ſibi; *Miſerere animæ tuæ placens Deo*, inquit Sapiens: *Quid miſerius miſero, non miſerante ſeipſum?* ait Aug. & alibi: *Qui ordinatè vult eleemoſynam dare, debet illam à ſeipſo incipere*. Et *commodat*, aliis, ut ſup. *Non enim nobis ſolum nati ſumus*; ſed ortus noſtri partem etiam proximi vendicant. *Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo*. Et quemadmodum in corpore humano quod gerimus, ſibi mutuò membra ſuccurrunt;

Eccleſ. 31. Li. 1. Conf. cap. 13. Enchir. 76.

 ſic

Digitized by Google

ſic in corpore Eccleſiæ alius alii prodeſſe & auxiliari debet. Non dicas, me ipſum curabo, quid mihi cum aliis? *Cogita illum ſervum*, inquit S. Aug. *qui abſcondit talentum, & noluit erogare. Non eſt accuſatus, quia perdidit, ſed quia ſine lucro ſervavit*. Sic & D. Proſp. *Hujus ſervi*, ait, *pigrum otium, & deſidioſa nequitia ſic punitur, ut & vituperationis dedecoretur opprobrio, & portione quam acceperat, exuatur*, ac ejici jubeatur in tenebras exteriores. Sic contrà ſervus qui bene uſus fuerat bonis Domini, laudatur: *Euge ſerve bone, & fidelis*, augetur in donis, & jubetur intrare in gaudium Domini ſui.

Tract. 10. in Ioan. Lib. 1. de voc. gent. cap. 8. Matth. 25.

Diſponit ſermones ſuos in judicio. Triplex hujus loci poteſt eſſe ſenſus. Primus, Nihil loquetur, niſi priùs dijudicatum. *Cogitabit*, inquit Ambroſius, *ſi dicendum ſit, ſi adverſus hunc, ſi tempus ſit hujus ſermonis. Deinde ne loquatur ex iracundia, ne ex dolore, aut aliqua paſſione, ſed ex veritate, æquitate*, &c. Secundus, omnia agit ſecundùm rectam rationem: illam ducem ſequitur, non affectum mentis, qui ſæpe indiſcretus, immoderatus eſt, etiam in rebus ſpiritualibus. *Iudicium, ſeu diſcretio modum & ordinem ponit rebus, & ſic adfert decorem, & perpetuitatem*, ut D. Bern. Tertius eſt, ſe ſuaque omnia præparat ad Dei judicium, ut de omnibus rationem rectè reddere poſſit. Dictum eſt Ezechiæ Regi, *Diſpone domui tuæ*. Et hoc omnibus dicitur, & meritò huic rei maximè incumbitur; hinc enim dependent omnia: & *unumquemque judicabit Deus ſicut invenerit*; & ſententia Iudicis unicuique locum aſſignabit, in quo aut in æternum gaudebit, aut cruciabitur.

Ser. 49. in Cantic. Iſaiæ 38. Hiero. ad Ruſtic.

Quia in æternum non commovebitur, à ſua ſpe: ex-

ſpecta

ſpectatione ſua nunquam fruſtrabitur, certò aſſequetur ſalutem quam ſperat. *Si noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur,* ait Apoſtolus. Et Tobias; *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Et, *Opera illorum ſequuntur illos,* ut à Deo promiſſam remunerationem accipiant. Et qui per bona opera certam fecit ſuam electionem & vocationem, fidenter dicit: *Da, quia dedi; dimitte, quia dimiſi; fac, quia feci:* ut idem Aug.

1. Cor. 11. Tob. 4. Apoc. 14. Ser. 31. in Nov. & 16. de verb. Apoſt.

In memoria æterna erit juſtus. Dominus erit ejus memor ad bonum æternum. *Noli timere puſillus grex* (electorum) *placuit enim Patri veſtro dare vobis regnum.* Unde illis dicetur in Iudicio; *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Dicitur autem puſillus grex, inquit Beda, *vel ob comparationem majoris numeri reproborum. Pauci enim electi. Vel potius ob humilitatis devotionem, qua ſuos vult creſcere, & ad regnum pervenire.* Deinde eius curam nunquam deponet. *Oculi Domini ſuper juſtos. Ipſi eſt cura de vobis,* ait Pet. *Dixit Sion, Dominus oblitus eſt mei. Nunquid poteſt oblivìſci mulier infantem, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper.* Denique charitas Dei erga electos, ſic & eius memoria æterna eſt, ab æterno fuit, & illa non delebitur. Unde apud Ierem. dicit, *Charitate perpetua dilexi te:* ab æterno propoſuit dare electis gratiam & gloriam; & illud propoſitum implebitur, nemo impediet. Unde & Apoſt. *Firmum fundamentum Dei ſtat,* id eſt, Divina prædeſtinatio ſeu propoſitum de iuſtificandis & ſalvandis electis; quod eſt

Luc. 12. Matth. 25. 1. Pet. 5. Lib. 4 in Luc. Pſal. 33. Iſaiæ 49. Ierem. 31. 2. Tim. 3.

ſic in corpore Eccleſiæ alius alii prodeſſe & auxiliari debet. Non dicas, me ipſum curabo, quid mihi cum aliis? *Cogita illum ſervum*, inquit S. Aug. *qui abſcondit talentum, & noluit erogare. Non eſt accuſatus, quia perdidit, ſed quia ſine lucro ſervavit*. Sic & D. Proſp. *Hujus ſervi*, ait, *pigrum otium, & deſidioſa nequitia ſic punitur, ut & vituperationis dedecoretur opprobrio, & portione quam acceperat, exuatur*, ac ejici jubeatur in tenebras exteriores. Sic contrà ſervus qui bene uſus fuerat bonis Domini, laudatur: *Euge ſerve bone, & fidelis*, augetur in donis, & jubetur intrare in gaudium Domini ſui.

Tract. 10. in Ioan. Lib. 2. de voc. gent. cap. 8. Matth. 25.

Diſponit ſermones ſuos in judicio. Triplex hujus loci poteſt eſſe ſenſus. Primus, Nihil loquetur, niſi priùs dijudicatum. *Cogitabit*, inquit Ambroſius, *ſi dicendum ſit, ſi adverſus hunc, ſi tempus ſit hujus ſermonis. Deinde ne loquatur ex iracundia, ne ex dolore, aut aliqua paſſione, ſed ex veritate, æquitate*, &c. Secundus, omnia agit ſecundùm rectam rationem: illam ducem ſequitur, non affectum mentis, qui ſæpe indiſcretus, immoderatus eſt, etiam in rebus ſpiritualibus. *Iudicium, ſeu diſcretio modum & ordinem ponit rebus, & ſic adfert decorem, & perpetuitatem*, ut D. Bern. Tertius eſt, ſe ſuaque omnia præparat ad Dei judicium, ut de omnibus rationem rectè reddere poſſit. Dictum eſt Ezechiæ Regi, *Diſpone domui tuæ*. Et hoc omnibus dicitur, & meritò huic rei maximè incumbitur; hinc enim dependent omnia: & *unumquemque judicabit Deus ſicut invenerit*; & ſententia Iudicis unicuique locum aſſignabit, in quo aut in æternum gaudebit, aut cruciabitur.

Ser. 49. in Cantic. Iſaiæ 38. Hiero. ad Ruſtic.

Quia in æternum non commovebitur, à ſua ſpe: ex-

ſpecta

Digitized by Google

ſpectatione ſua nunquam fruſtrabitur, certò aſſequetur ſalutem quam ſperat. *Si noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur*, ait Apoſtolus. Et Tobias; *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*. Et, *Opera illorum ſequuntur illos*, ut à Deo promiſſam remunerationem accipiant. Et qui per bona opera certam fecit ſuam electionem & vocationem, fidenter dicit: *Da, quia dedi; dimitte, quia dimiſi; fac, quia feci*: ut idem Aug. 1.Cor.11. Tob.4. Apoc.14. Ser.31.in Nov & 16. de verb. Apoſt.

In memoria æterna erit juſtus. Dominus erit ejus memor ad bonum æternum. *Noli timere puſillus grex* (electorum) *placuit enim Patri veſtro dare vobis regnum*. Unde illis dicetur in Iudicio; *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum*. Dicitur autem puſillus grex, inquit Beda, *vel ob comparationem majoris numeri reproborum. Pauci enim electi. Vel potius ob humilitatis devotionem, qua ſuos vult creſcere, & ad regnum pervenire*. Deinde eius curam nunquam deponet. *Oculi Domini ſuper juſtos. Ipſi eſt cura de vobis*, ait Pet. *Dixit Sion, Dominus oblitus eſt mei. Nunquid poteſt oblivìſci mulier infantem, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper*. Denique charitas Dei erga electos, ſic & eius memoria æterna eſt, ab æterno fuit, & illa non delebitur. Unde apud Ierem. dicit, *Charitate perpetua dilexi te*: ab æterno propoſuit dare electis gratiam & gloriam; & illud propoſitum implebitur, nemo impediet. Unde & Apoſt. *Firmum fundamentum Dei ſtat*, id eſt, Divina prædeſtinatio ſeu propoſitum de iuſtificandis & ſalvandis electis; quod eſt Luc.12. Matth.25. 1.Pet.5. Lib.4 in Luc. Pſal.33. Iſaiæ 49. Ierem.31. 2.Tim.3.

Roman 8. firmum noſtræ ſalutis fundamentum (*ſi enim Deus pro nobis, quis contra nos?*) nunquam mutatur. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?*

Ab auditione mala non timebit. Illa eſt, *Ite male di-* Matth. 25. *cti in ignem æternum*. Quæ vox tam erit terribilis, Luc. 23. ut dicturi ſint montibus; *Cadite ſuper nos; & collibus,* Amos 3. *operite nos. Leo rugiet, quis non timebit?* ait Proph. Hieron. in illud cap. *Ad vocem leonis omnia contremiſcunt, & cuncta animantium natura terretur*, inquit Hier. *Complura ani-* Baſil. hom. 9. Hexaëm. *malia*, ait D. Baſil. *longè leone celeriora, ſolo ſæpè rugitu ab eo capiuntur*. Quid erit vox Iudicis? D. Leo Serm. 1. de Paſſ. Dom. de paſſ. Domini; *Dominus dicit, Ego ſum, & ad vo-* Ioan. 18. *cem turba proſternitur impiorum. Quid jam poterit*, inq. *Majeſtas ejus judicatura, cuius hoc potuit humilitas iudicanda?* Sed nonne trepidabunt juſti in judicio, cùm dicat Petrus, *Vix iuſtus ſalvabitur*; 1. Pet. 4. referatque id Hier. ad diem Iudicii? Non trepidabunt. Dicit enim Sapiens; Sap. 5. *Stabunt iuſti in magna con-* Rom. 2. *ſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt*. Et teſtan- Aug. De Civit. l. 20 cap. 14. te Apoſtolo, *Conſcientia propria defendet eos in die iudicii*. Reſurgentque ſancti in *corpore ſpirituali*, Matth. 25. ſpiritui plenè ſubjecto, ex quo cognoſcent ſe ſal- Aug. epiſt. 120. cap. 34 vandos, deridebuntque fatuos, dicentes, *Ite ad vendentes*, &c. Et nunc ſciunt animæ ſpiritualium filiorum Abrahæ, quod ad locum eum tormento- Luc. 16. & Ambr. Eccleſ. 11. rum, in quo erat immiſericors epulo, tranſire non poſſint, ut ei teſtabatur pater Abraham. *Poſt mortem nequeunt merita mutari*, inquit Ambr. Sed, *lignum ubicunque ceciderit, ſive ad auſtrum, ſive ad aquilonem, illic erit*, ait Sap.

Aliud igitur eſt, difficulter vel vix ſalvari in die judicii, aliud non eſſe ſecurum de ſalute. Hactenus autem rectè dici poteſt, quod ſancti poſt re-

ſur

ſurrectionem neſcient, an ſibi ſufficiat propria conſcientia in judicio Dei, quodque non erunt ſecuri ſalutis ſuæ, quia tunc omnibus manifeſtum erit, quod in hac vita mortali conſtituti, incerti fuerint ſalutis ſuæ, ac ſemper ad extremum judicium trepidarint. Notus eſt Scripturæ tropus, quo aliquid dicitur tunc fieri, cùm manifeſtatur quod factum fuerit. Sicut dicitur Chriſtus *veniſſe poſt prædicationem Ioannis Baptiſtæ*, quia tunc adventus ejus Judæis manifeſtatus eſt. Sic dicit Eccleſia apud Pſalmiſtam; *Mane exaudies vocem meã*; quia in reſurrectione manifeſta erit exauditio Eccleſiæ, & ipſa de ea firma erit: hic timemus, ne non exaudiamur ob peccata; unde dicitur in Thren. *Nos peccavimus, ideo tu inexorabilis es.*

August. ead. epiſt.
Vide ſuprà Mon. 5. & 9
Ioan. 1.
Pſalm. 5.
Thren. 3.

Paratum cor ejus ſperare in Domino, contra adverſa omnia ad Dominum confugere, ejus amore & futurorum bonorum, quæ à Domino ſunt, omnia contemnere. Vnde D. Ambr. hortatur; *Paremus affectum noſtrum, ne imparatum vis repentina perturbet. Eſto paratus, non ſolum adverſus ea quæ vides, ſed adverſus ea quæ non vides. Meditare, & ſtatue animo, ut procedens ad prælia dicas, Paratus ſum, & non ſum turbatus.* Multi ſperant in ſuis viribus, in equis & quadrigis, in divitiis, & ſimilibus; contra quos Apoſt. *Neque ſperare in incerto divitiarum.* Et David, *Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur. Beatus vir*, ait Sap. *qui non ſperavit in pecunia theſauris. Nec reſpexit in vanitates & inſanias falſas*, ait David: *ſed cujus eſt nomen Domini ſpes ejus.* At *maledictus, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus.*

In pſal. 118. ad verſ paratus ſum.
1. Tim 6.
Pſalm. 48.
Eccleſ. 31.
Pſal m 39.
Iere m. 17.

Confirmatum eſt cor ejus, in iſta ſpe, auxilii videlicet divini, & præmii; nititur enim verbo Dei, qui promiſit, & verax ac omnipotens eſt. *Non te terreat, ô Chriſtiane, quod credita differuntur*, ait Aug. *Licet in abſcondito ſit promiſſio, in ſpe tamen perſeveret oratio: exercere operibus creſce virtutibus; dum fidei conſtantia probatur, gloria retributionis augetur.*

August. Sent. 93.

Non commovebitur; vel ſpe bonorum temporalium, ne amittat æterna; vel timore malorum temporalium, ne æterna incurrat. *Quis enim non contemnat dulcedinem ſæculi, timens ignem gehennarum? Et quis non libenter bibat tribulationis poculum, inhiãs bonis vitæ æternæ? Duo ſunt*, inq. Aug. *quæ homines in peccata aut alliciunt, aut impellunt; Voluptas, aut dolor. Voluptas illicit, dolor impellit. Contra voluptates neceſſaria eſt continentia; contra dolores patientia. Hoc enim modo ſuggeritur humanæ menti, ut peccet: aliquando dicitur; Fac, & hoc habebis; aliquando autem; fac, ne hoc patiaris. Voluptatem præcedit promiſſio, dolorem comminatio. Vt ergo habeant homines voluptatem, vel ne patiantur dolorem, peccant. Ideo Deus contra iſta duo, quorum eſt unum in blanda promiſſione, alterum in terribili comminatione, & promittere dignatus eſt, & terrere. Promittere regnum cœlorum, terrere de ſuppliciis inferorum. Dulcis eſt voluptas, ſed dulcior Deus. Malus eſt dolor tẽporalis, ſed peior eſt ignis æternus. Habes quod ames pro mundi amoribus, habes quod timeas pro mundi terroribus.*

Aug. ſent. 216. apud Proſp.

Ser. 120. In Nov.

Vide in pſal. 80.

Donec deſpiciat, id eſt, ex alto videat, *inimicos ſuos*: quando videlicet ipſe erit exaltatus, & inimici dejecti, qui jam bonos opprimunt. *Primi erunt noviſſimi, & noviſſimi primi*, ait Dominus. Et Pſalmiſta; *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper*

Matth. 10. Pſal. 124.

Digitized by Google

ſuper ſortem juſtorum. Tametſi etiam tunc ridebuntur & contemnentur reprobi à Sanctis, quia non poſuerunt Deum adjutorem ſuum. Unde & apud Job dicitur: *Videbunt juſti, & lætabuntur, & innocens ſubſannabit eos. Videbunt juſti,* ait Pſalm. *& timebunt, & ſuper eum ridebunt.* Ibi D. Auguſtinus, *timorem refert ad præſens ſæculum; riſum verò ad futurum.* Tunc enim non amplius metuunt juſti; hic autem *qui ſtat, videat ne cadat,* maximè aliorum lapſum videns; ſicut dicebat ille ſanctus, apud Divum Bernardum, audiens aliquem lapſum; *Ille hodie, ego cras.*

Iob 22. Pſal. 51. Aug. in illũ Pſalm.

Ser. 2. de Reſurrect.

Diſperſit, dedit pauperibus. Alii colligunt, & retinent; nec ſibi, nec aliis utiles, ut avari. Unde quidam Gentilis, *In nullum avarus bonus, in ſe peſſimus. Magnas inter opes inops. Tam enim deeſt avaro quod habet, quam quod non habet*; quia non utitur. Significatur hîc effuſa liberalitas & promptitudo ad omnibus ſubveniendum. *Diſperſit,* more ſeminantium. *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet,* ait Apoſtolus: & Tobias ad filium; *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Sed quibus diſperſit? multum enim refert, quibus dentur bona quæ quis habet. *Dedit,* inquit, *pauperibus.* Queritur Poëta,

Mimus Publ. Horat.

2. Cor. 9. Tob. 4.

Dantur opes nullis nunc niſi divitibus. Monet diligenter Hier. *Præter victum & veſtitum, & manifeſtas neceſſitates, nihil unquam cuilibet tribuas, ne filiorum panem canes comedant. Verum Chriſti templum, anima credentis eſt; illam exorna, illam veſti, illi offer donaria, in illa Chriſtum ſuſcipe.* Et iterum; *Conſidera ne Chriſti ſubſtantiam imprudenter effundas, id eſt, ne immoderato judicio rem pauperem tribuas non*

In epiſt. ad Paulinum. Ibidem.

pauperibus,& ſecundum dictum prudentiſſimi viri, Liberalitas liberalitate pereat. Et alibi; *Da pauperibus, non divitibus, non propinquis, non ad luxuriam, ſed ad neceſſitatem. Quiſquis ille ſit cui das, nihil in illo aliud conſideres, quàm paupertatem. Laudent te eſurientium viſcera, non ructantium opulenta convivia.*

In epiſt. ad Demetr.

De Nabutha, cap. 3.

D. Ambr. de ſui temporis abuſibus loquens; *Parietes,* inquit, *veſtitis auro, homines nudatis; clamat ante domum tuam nudus, & negligis; & tu ſollicitus es, quibus marmoribus pavimenta veſtias: Pecuniam pauper quærit, & non habet; panem poſtulat homo, & equus tuus aurum ſub dentibus mandit*. Et D. Hier. queritur; Quæ utilitas eſt, *parietes divitum fulgere gemmis, & Chriſtum in paupere fame periclitari? Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum; & nudus atque eſuriens ante fores noſtras Chriſtus in paupere moritur*. D. etiam Auguſtin. *Glorioſa*, inquit, *eſt effuſionis inſania, & opera miſericordiæ irridentur. Ex his quæ abundant divitibus luxuriantur hiſtriones, & neceſſaria vix habent pauperes*. D. Leo, divites alloquens; *Gaudete*, ait, *quod per vos Dominus pauperes ſuos paſcit & veſtit. Quibus utique poſſet eas, quas vobis contulit, tribuere facultates, niſi pro ineffabili miſericordia ſua, & illos juſtificare vellet de patientia laboris, & vos de opere charitatis.*

Ad Paulinum, & ad Gaudent.

Epiſt. 5. ad Marcell.

Ser. 8. de jejun. 10. menſ.

Pſal. 9.

Juſtitia ejus, id eſt, fructus juſtitiæ, ſive merces æterna eſt. Sicut dicitur, *Patientia pauperum non peribit*. Erunt ergo ſemper patientes: ubi nulla erit tribulatio, ibi nulla erit patientia; ubi nulla miſeria aut indigentia, nulla miſericordia. *Cornu ejus exaltabitur in gloria*; ſignificatur poteſtas. In cornu duo ſunt, quod forte ac firmum ſit; & quod ex-

tra

tra carnem emineat. Significatur ergo poteſtas filiorum Dei, omnibus conſpicua, etiam impiis. Unde dicunt apud Sap. *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt*. Nunc frequenter cornua impiorum exaltantur, tunc confringentur, & exaltabuntur cornua juſtorum. Tunc impii perdent omnem principatum, & poteſtatem. *Non enim relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.* Si maneret perpetuò illa virga, eſſet magna juſtorum tribulatio; nunc autem non multùm moventur, quia cogitant quod non diu durabit, cogitant futura, non curant præſentia. Sap. 5. 1. Cor. 15. Pſal. 124.

Peccator videbit, gloriam juſtorum, *& iraſcetur*, quia invidebit, ſicut dæmones. Invidi aliorum gloriam, ſuam faciunt pœnam. Etiam ſibi iraſcetur, quia gloria privabitur, & ideo ſibi ipſi indignabitur, quòd non ſic vixerit, ut exaltari mereatur; appetitus enim gloriæ non peribit, ſed ſera erit atque infructuoſa damnatorum pœnitentia, de qua Sap. *Dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes: Quid nobis profuit ſuperbia, divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt illa omnia tanquam umbra.* Cypr. de zel. & livor. Sap. 5.

Dentibus ſuis, id eſt, ira vel invidia fervidus tabeſcet; ſine ſpe evadendi, ſolo dolore torquebitur. *Deſiderium peccatorum peribit*, quia eſuriunt iniquitatem, cui nullum ſuccedet ſolatium; bonorum autem deſiderium, quia juſtitiam eſuriunt, ſatiabitur, uti promiſit Dominus in Evangelio. Sic S. Ioannes, *Mundus tranſit & concupiſcentia ejus*, id eſt, homines mali pereunt; quia in die judicii tempus implendæ alicujus delectationis pravæ, Matth. 5. 1. Ioan. 2.

ultra

Digitized by Google

ultra non erit. Tunc non poterunt prava eorum
Apoc. 18. deſideria amplius impleri ; uti ſequitur, *Et concupiſcentia ejus*, qua ſcilicet cõcupiſcit, tranſit, perit. Et quod in die judicij in omnibus impiis implebitur, ſecundùm quod ait in Apocal. *omnium interitum ſub typo Babylonis deſcribens*, id quotidie particulatim in cujuſlibet impij morte completur,
Pſal. 145. juxta illud Pſalm. *Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam ; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*, quibus videlicet intenti erant ad complenda hujus mundi deſideria. *Manebit tamen prava*
Lib. 6. in Julian c. 5. in fine. *concupiſcentia in damnatis*, inquit S. Aug. *non fœliciter, ſed pœnaliter ; nec eis in delectamenta excitabitur, ſed in tormenta vertetur*. Sic immiſericors epulo
Lucæ 16. Matth. 25. Sap. 5. Matth. 22. Sup. Mo. 52 gulæ delectationem in inferno quærit ; fatuæ virgines, humanas laudes : *Date nobis de oleo veſtro*. Pœnitentia autem damnatorum infructuoſa eſt, & pœnæ tantum eſt, non culpæ diſplicentia. Ea enim adhuc eis placet, cuperentque perficere, ſi poſſent, ſed ligati ſunt manus & pedes, id eſt, actione pri-
Iſaiæ 66. vati. Ibi dicet Chriſtus, *Ligatis manibus & pedibus eorum mittite eos in tenebras exteriores : ibi erit fletus, & ſtridor dentium ; ibi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

MONI

Digitized by Google

MONITUM CXI.

Videntibus illis, elevatus eſt, &c.

Act. 1.

DUo præcipuè fecit Chriſtus poſt ſuam à mortuis reſurrectionem, antequam cœlum conſcenderet. Primò variis apparitionibus & argumentis ſuam reſurrectionem declaravit, per dies 40. apparens diſcipulis, non ſolùm priſtinam ſuam effigiem & loquelam, una cùm veſtigiis clavorum & lanceæ, oculis & auribus eorum offerens, carnem & oſſa palpanda præbens, coram eis priſtino more comedens; ſed & cœleſtibus Divinitatis ſuæ miraculis, ſive dum infuſo Spiritu ſancto mentem eorum cæcitate clauſam ad intelligentiam Scripturarum aperuit, ſive dum januis clauſis ad eos introivit, ſive dum piſces magnos & multos non rupto reti, capi fecit. Imò per Moyſen & Prophetas tam paſſionem ſuam, quàm reſurrectionem ſuam probavit. Fecit autem id per dies 40. eo *quòd 40. dierum numero, tempus hujus miſeria deſignatur*, in quo opus eſt conſolatione per ſpem reſurrectionis. Chriſti autem reſurrectio, cauſa eſt & exemplar noſtræ. Sic ergo ſuam Chriſtus reſurrectionem declarans, certam ſpem dedit noſtræ, qua ſpe in hac miſeria conſolamur. *Sine qua ſpe*, ait Apoſt. *miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, quia omnibus bonis deſtituti, & vitæ præſentis, & futuræ.

Lucæ 24. Joan. 20. 21

Aug. epiſt. 119. c. 15. Aug. ſerm. 74. & 76 in Nov.

1. Cor. 15.

Abſtinent

Abſtinent enim boni Chriſtiani præſentibus bonis, ſpe futurorum: *Scientes impoſſibile eſſe*, ut ait D.Hier. *ut & præſentibus quis & futuris fruatur bonis; ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat; ut de delitiis tranſeat ad delitias.*

In epiſt. ad Iulian.

Prudentius cont. Symmachum.

Spem ſequimur, gradimurque fide, fruimurque futuris,
Ad quæ non veniunt præſentis gaudia vitæ.
Nec currunt pariter capta & capienda voluptas.

Secundò, *locutus eſt* cum diſcipulis *de regno Dei*; id eſt, de Eccleſia Chriſtiana ædificanda. Et aliquà huc pertinentia ſunt in Evangeliis. Dicitur enim ibi, quod Evangelium eſſet prædicandum omnibus gentibus per totum orbem. Priùs Dei cognitio ac fides concluſa erat intra fines Judaicos, hinc gloriabantur: *Notus in Iudæa Deus*. Voluit eam prædicatione Apoſtolorum & aliorum, diffundi per totum mundum, & diffundenda adhuc eſt in illas gentes, ad quas nondum pervenit, ſi quæ fortè ſuperſunt, ut Auguſt. Deinde conſtituti ſunt Apoſtoli, Chriſti Vicarii, miſſi ab eo, ſicut ipſe à Patre. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos*. Magna profectò eſt eorum poteſtas & authoritas, quam ſubditi bene attendere, & in omnibus ſequi debent. Vnde & antea dixerat, *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit*, &c.

Lucæ 24. Pſal. 75. Epiſt. 80. ad Heſych. Et Proſp. de vocat. gent. l. 2. cap. 9. Ioan. 20. Matth. 10. Matth. 28. Ioan. 20.

Docuit præterea illos, quomodo baptizare deberent; poteſtatem etiam remittendi & retinendi peccata eis conceſſit. Ex quibus paucis intelligendum, eos etiam de altaris Sacramento, & ſimilibus inſtitutos. Alia ergo Sacramenta

Cót. Fauſt.

inſtituit,

inſtituit, virtute majora, utilitate meliora, numero pauciora, intellectu auguſtiora, obſervatu faciliora. Sine Sacramentis non poteſt conſtare religio ulla, aut diſcerni; illis enim populus velut nexibus neceſſariis inter ſe colligatur, & ab aliis ſeparatur. *Aperuit quoque illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.* Quam intelligentiam illi tradiderunt Eccleſiæ. Hinc verus Scripturarum ſenſus ab Eccleſia petendus, ſicut & omnis veritas; ipſa enim *columna eſt & firmamentum veritatis, ipſa velut depoſitorium dives, in quam Apoſtoli contulerunt omnia quæ ſunt veritatis*, ait D. Irenæus. Vnde Eccleſiæ ſenſus omnibus hoſtibus opponendus, tanquam murus firmiſſimus. *Poterant*, inquit S. Hieron. *omnes propoſitionum tuarum rivulos, uno Eccleſiæ ſole ſiccare.* Lucæ 24. 1. Timo. 3. Lib. 3. c. 4. Cont. Luciſer.

Denique conſtituit unum omnium ovium ſuarum Paſtorem, dicendo ter Petro (quod & ad ejus ſucceſſores pertinet) *Paſce oves meas.* Non has, aut illas: non hujus, aut illius regni, provinciæ, loci: ſed oves meas, ubicunque illæ ſint, ait Bern. Et Docet Cyprian. *Non aliunde obortas hæreſes, & nata ſchiſmata, quàm inde quod Sacerdoti Dei* (loquitur autem de Romano Pontifice, Petri ſucceſſore) *non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos & judex vice Chriſti cogitatur, &c.* Poſtremò promiſſionem dedit perpetuæ aſſiſtentiæ: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quod & antè dixerat, *Portas inferi adverſus Eccleſiam non prævalituras.* Et olim per Iſaiam; *Montes*, ait, *commovebuntur, & colles contremiſcent; miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur.* Ioan. ult. Lib. 2. de Conſid. Lib. 1. ep. 5. & lib. 4. epiſt. 9. Matth. 28. Matth. 16. Iſaiæ 54.

tur, dicit miſerator tuus Dominus. Ex quibus omnibus inſinuatur nobis, quod iſtis 40. diebus plenè à Chriſto traditum ſit regimen Eccleſiæ.

Actor. 1. *Cùm hæc dixiſſet,* ait Lucas, *videntibus illis elevatus eſt,* &c. Aſcendens autem Chriſtus in cœlum, hoc in nobis efficere voluit, ut nos eum aſcendentem, jam mente ac deſiderio proſequeremur, ut aliquando & corpore conſequi poſſimus. Corpore ergo in terra poſiti, cogitatione nos in cœlum conferamus, confitentes nos hoſpites & peregrinos ſuper terram. *Quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite,* ait Apoſt. *ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Et poſtquam dixiſſet de impiis, *qui terrena ſapiunt, quorum Deus venter eſt, & gloria eorum in confuſione ipſorum*; addit in perſona Sanctorum: *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt.* Sic & Sap. *Iuſti in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud Altiſſimum.* Sap. 5. & Apoſt. 2. Corin. 4. *non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna. Bonus Paſtor ante oves ſuas vadit, & oves illum ſequuntur.* jam mente & cogitatione, poſtea etiam corpore ſecuturæ. *Pater,* inquit, *quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum.*

Hebr. 11. & 13. Coloſ. 3. Philip. 3. Ioan. 10. Ioan. 17.

Non autem ideo nobis deſperanda eſt perfecta, & Angelica cœleſtis habitatio, inquit S. Aug. *quia dixit, nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Nam hoc dictum eſt propter unitatẽ, qua caput noſtrum eſt, & nos corpus eius. Cùm aſcendit in cœlum, nos ab eo non ſeparamur. Qui de cœlo deſcendit, non nobis invidet cœlum, ſed quodammodo clamat: Membra mea eſtote, ſi aſcendere velitis*

Ioan. Aug. Ser. 45. in Nov. 14. de verb Apoſt. 234. de temp.

litis in cœlum. Solus ergo Chriſtus aſcendit, tamen totus, caput & corpus. Illi ergo ſemper, ejuſque corpori inhærere debemus fide recta, ſpe firma, charitate pura, ſi aſcendere velimus. Unde non eſt ſpes aſcenſionis Judæis, Turcis, hæreticis, & aliis infidelibus, quia non ſunt de corpore: Nec malis Chriſtianis, quia tanquam membra putrida abſcindentur. In pſalm. 122.

Suaviter Sanct. Auguſtinus: *Salvator noſter, dilectiſſimi, aſcendit in cœlum, non ergo turbemur in terra: ibi ſit mens, & hic erit requies. Adſcendamus cum Chriſto interim corde, ut cum dies eius promiſſus advenerit, ſequamur & corpore. Scire tamen debemus, quia cum Chriſto non aſcendit ſuperbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium aſcendit cum medico noſtro. Et ideo ſi poſt medicum deſideramus aſcendere, debemus vitia & peccata deponere. Omnes enim quaſi quibuſdam compedibus nos premunt, & peccatorum nos retibus ligare contendunt*, &c. Peccata ergo compedes ſunt, quibus ligamur; onera, quibus premimur. *Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur impius*, ait Sapiens. Hinc aſcenſum noſtrũ impediunt. *Deponẽtes omne pondus*, ait Apoſt. *& circumſtans nos peccatum*. Et David: *Sicut onus grave gravata ſunt ſuper me*. Et peccatum à Zacharia plumbo comparatur. *Facilè autem corpus levabitur in alta cœlorum, ſi non premat ſpiritum ſarcina peccatorum*, ait S. Aug. Serm. 175. de temp. Serm. 84. in Nov. Prov. 5. Hebr. 12. Pſalm. 37. Zach. 5.

Hinc Propheta increpando carnales, clamat: *Filii hominum, uſquequò gravi corde*, terrenis incubantes; terrena ſapientes? *ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* quæ nullum adferunt fructum, ſed potiùs detrimentum; ac felicitatem non præſtant, quam promittunt. *Et ſcitote, quoniam mirificavit* Serm. 85. in Nov. Pſalm. 4.

rificavit Dominus ſanctum ſuum. Hoc diligenter vobiſcum conſiderate, quod Deus Pater mirabilem fecit Chriſtum, qui eſt Sanctus Sanctorum, per reſurrectionem videlicet, & aſcenſionem. Non ergo curvæ ſint in terris animæ veſtræ, ſed ad eum furſum erectæ. *Oportet enim ut illuc ſequamini corde, ubi Chriſtum corpore aſcendiſſe creditis. Deſideria terrena fugite, nihil vos jam delectet in infimis, qui Patrem habetis in cœlis,* inq. D. Gregor. Et Chriſtus modum perveniendi ad ipſum tradens, *Si quis,* inq. *vult venire poſt me,* id eſt, reſurgere & aſcendere ut ego, *abneget ſemetipſum,* id eſt, pravam ſuam voluntatem, *tollat crucem ſuam,* id eſt, quamlibet tribulationem patienter ferat, *& ſequatur me.*

Greg. hom. 29. in Evãg

Atque hanc maximam quoque conſolationẽ ex Chriſti aſcenſione percipimus, quod eum habeamus jam *apud Patrẽ advocatum, qui eſt exoratio ſeu propitiatio pro peccatis noſtris. Introiit,* ait Apoſt. *cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis,* hoc eſt, in cœlo, ubi videtur Deus, commemorat ſemper Chriſtus paſſionem ſuam, ut placatum nobis reddat Patrem, proferens apud eum ſanguinem ſuum, tanquam peccatorum noſtrorum redemptionem. Ibique Iudicem Deum *interpellat,* ut idem Apoſt. inq. ut fructum paſſionis ſuæ nobis communicet, ut gratioſè nobiſcum, qui rei ſumus, agat, nec tractet ſecundum rigorem juſtitiæ. *Confeſſionem etiam fidei noſtræ,* preces, gratiarum actionem, & reliqua bona opera noſtra, quo judicem placet, apud eum profert, eique ſacrificat. Vnde dicit Petrus, *offerre nos ſpiritales hoſtias Deo, acceptabiles ei per Ieſum Chriſtum:* ut ſicut omnia Dei dona per Chriſtum in nos effunduntur, ita rurſus Deo per Chriſtum offeran

1. Ioan. 2. Hebr. 9. Vide Amb. lib. 1. Offic. cap. 48. Rom. 8. Hebr. 7. Aug. in Pſal. 19. & 29. in præf. lib. 1. de Trinit. cap 10. & Tract. 102. in Ioan. Hebr. 4. 1. Pet. 2. Cyril. lib. 11. cap. 7. in Ioan.

offerantur, & ad eum redeant. Quàm ergo ſollicitus eſt reus, ut amicum habeat advocatum, ſine cujus opera mortem non poteſt evadere; tam certè Chriſtiani omnes in adeundo & cōciliando Chriſtum ſtudioſi eſſe debent ac diligentes. *Si*, inquit D. Cypr. *pro nobis, ac dilectis noſtris Chriſtus laborat, vigilat, ac precatur, quantò magis nos inſiſtere precibus, & orare, & primò ipſum Dominum rogare, tum deinde per ipſum Deo Patri ſatisfacere debemus?* lib. 4. ep. 4.
Non ergo dicitur; *Advocatum habemus apud Patrem*, &c. ut nos ſecuri ſimus & otioſi; & ſub eo prætextu liberiùs peccemus. Audite conſequenter D. Cypr. *Habemus advocatum & deprecatorem pro peccatis noſtris, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſi modò nos in præteritum peccaſſe pœniteat; & confitentes ac intelligentes delicta noſtra; quibus nunc Deum offendimus, vel de cætero nos ambulare in viis ejus, & præcepta ejus metuere ſpondeamus.* Sic & S. Aug. *Ille advocatus eſt; tu da operam ne pecces: ſi de infirmitate ſuperrepſerit peccatum, continuò vide, continuò diſpliceat, continuò damna; & cùm damnaveris, ſecurus ad Iudicem venias: ibi habes advocatum, noli timere, ne perdas cauſam confeſſionis tuæ.* Ibid. In cap. 2. 1. Ioan.

Dicit Apoſtolus ad Hebr. *Legem umbram fuiſſe futurorum, non imaginem rerum*; ſcilicet præſentium. Ubi ſignificat novam legem imaginem eſſe rerum, quæ in cœlis aguntur, ubi Chriſtus Sacerdotium ſuum exercens; *apparet vultui Dei, & interpellat pro nobis*, paſſionem ſuam Patri allegans, & hoc pacto Sacrificium crucis conſummans: quomodo Sacerdos Leviticus Sacrificium extra Sancta inchoatum perfecturus, intrabat in Sancta Sanctorum. Hoc ſenſu con- Hebr. 10. Vide Amb. lib. 1. off. cap. 48. Hebr. 9. Hebr. 7. Levit. 16.

Sic igitur ſemper peius peiora ſequuntur,
Nec ſunt ut fuerant tempora noſtra prius.

Unde manifeſta eſt hæreticorum falſitas, qui dicunt ſe nunc veritatem ante ignotam & ſepultam in lucem proferre: Cùm hoc non prædixerit Dominus, ſed quod *exurgent multi Pſeudoprophetæ*, qui veritatem corrumpent, & ſeducent multos. Unde & Paulus: *Mali autem homines & ſeductores proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes.* Quæ omnia jam impleri, clarè cernimus, ideoque nos non in fide infirmare, ſed confirmare debent, uti docet Tertull. & Cyprianus. Nunc ergo maximè nobis orandum: *Mane nobiſcum, Domine*, ne à nobis auferat lucem veritatis & juſtitiæ, & permittat nos labi in tenebras errorum & peccatorum. Sicut contigit tot regnis & provinciis, à quibus ablatum eſt regnum Dei, fides, doctrina vera, Sacrificium, Sacramenta, &c. jamque in denſis tenebris & umbra mortis miſerabiliter verſantur, ut cum Propheta meritò exclamare poſſim: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.*

Matth. 24. 2. Tim. 3. De præſcr. hæret. De unit. Eccleſ. Ier. 9.

Oremus ergo cum David: *Salvum me fac, Deus, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum*; ut videlicet ego in juſtitia & veritate perſeverem, quando numerus ſanctorum valde minuitur, & mundus impletur erroribus. Oremus cum Hier. *Tu autem in nobis es, Domine, & nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos.* Adhuc inter nos utcunque eſt fides Dei, ejus Sacrificium, Sacramenta, veritatis prædicatio

Pſal. 11. Hier. 14.

Digitized by Google

obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Sed cur tunc hoc orandum? Quia etſi tota vita nobis periculum ſit, tamen diabolus maximè *calcaneo hominis*, hoc eſt, fini ejus *inſidiatur. Soli perſeverantiæ inſidiatur Diabolus*, inquit Bern. *quam ſolam novit coronari.* Epiſt. 32.

Unde Aug. *Nemo ſecurus eſſe debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur.* Et rurſum: *Nemo dicat, protegat me Chriſtus, cùm parvulus ſum, quaſi aliquando ad tantam magnitudinem pervenire poſſit, quæ ſibi ſufficiat. Sine protectione Dei nihil es, ſemper ergo protegi velimus. Salomon cùm jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres,* & relicto Deo coluit idola. De quo Aug. in Pſal. 126. *Salomon mulierum amator reprobatus eſt à Deo.* Et Greg. libro ſecundo Moral. capite 2. *Salomon Sapientiam non perſeveraturus accepit.* Sic Aſa ſenex factus eſt malus, confidit in Rege Syriæ, monentem Prophetam afflixit, occidit multos de populo, & *nec in infirmitate quæſivit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt.* Lib. 10. Conf. c. 32. In pſal. 62. In Pſal. 126 3. Reg. 2. 2. Paral. 16.

Unde ſollicitè orat David: *Et uſque in ſenectam, & ſenium, Deus, ne derelinquas me.* Et, *Ne projicias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Promiſit Deus electis: *Uſque ad ſenectam ego ipſe, & uſque ad canos ego portabo.* Quod ab eo ſuaviter petit Auguſt. in Confeſſ. *O Domine Deus noſter, in velamento alarum tuarum ſperemus, & protege nos, & porta nos. Tu portabis & parvulos, & uſque ad canos tu portabis; quoniam firmitas noſtra quando tu es, tunc eſt firmitas; cùm autem noſtra eſt, infirmitas eſt.* Sic & Greg. Nazian. orat: *Senectutem, quæſo, meam, optime Deus, canumque hoc caput ſerva, vitæque finem optatum* Pſal. 70. Iſai. 46. Li. 4. c. ult. Pſal 63. In carmin. de calamit. animæ ſuæ.

naufragio tolerantia. Facile eſt contentum eſſe, Li. 10, Cõf. cap. 18.
Deumque benedicere in proſperis: hoc enim etiam mali faciunt; de quibus David: *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei.* Cur addit, *cùm benefeceris ei?* quia ſi Dominus caſtigat, puniat, murmurat, maledicit. Pſal. 48.
Servus autem Domini in omnibus ejus voluntatem ſequitur, benedicitque Dominum in omni tempore, ſicut David dicens: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Pſal. 33.

Quod & Tobias docuit filium: *Omni tempore benedic Deum.* Tob. 4. Et fecit Job, nudatus liberis & bonis omnibus. Iob 1. *Sicut,* inquit, *Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Ita Paulus vult nos *incedere in via juſtitiæ à dextris & ſiniſtris,* 2. Cor. 6. id eſt, in proſperis & adverſis. Sic laudatur Tobias, quòd *in captivitate poſitus, viam veritatis non deſeruit.* Tob. 1. Et Job, quòd afflictus graviſſimè, *adhuc retinuit innocentiam.* Iob 2. *Mala quæ nos premunt, ad Deum nos ire compellunt,* ut videlicet cum tentatione det proventum, cum tribulatione patientiam; & ſi tribulationem augeat, augeat & patientiam. Hinc illæ voces Prophetæ: *Tu es refugium meum à tribulatione. De tribulatione invocavi Dominum. Ad Dominum cùm tribularer clamavi,* &c. Pſal. 31. Pſal. 117. Pſal. 119.

Secundò, ſic orandum, quando fervor devotionis, conſolationis, lucis interioris ſubtrahitur, vel minuitur. Quod ſæpè ſentiunt Spirituales. Unde Job: *Viſitas eum diluculò, & ſubitò probas illum. Spiritus enim vadit, & venit ſecundùm ſuum beneplacitum.* Iob 7. De qua viciſſitudine dictum ſuprà. Tunc petendum, *Mane nobiſcum, Domine.* Monit. 64. Periculum enim eſt, ne homo, qui libenter aliquid habet

enim januas intrat aliquid per corpus ad animam, aut per oculos intrat quod concupiſcas malè, aut per aures, aut per olfactum, aut per guſtum, aut per contactum. Per has quinque januas quiſquis non admiſerit corruptionem, inter quinque virgines computatur. Admittuntur autem corruptiones per illicita deſideria. Quid autem liceat & non liceat, pleni ſunt libri Scripturarum. *Virgines ergo propter continentiam nuncupavit. Decem verò, id eſt, quinque & quinque, propter numerum, quo cenſentur corporis ſenſus, in quibus habitat continentia, cùm à voluptatibus turpibus & illicitis abſtinetur. Lampades, bona opera ſunt, maximeque ad miſericordiam pertinentia, & ipſa quæ etiam coram hominibus lucet, laudabilis converſatio.* Aug. epiſt. 120. c. 31.

Sed magni intereſt, qua mentis intentione fiat. Ideo dicit alias ſapientes, alias ſtultas. Sed hinc eas diſcernit, quòd ſtultæ non ſumpſerunt oleum ſecum; ſapientes autem acceperunt oleum ſecum in vaſis ſuis, ideſt, in cordibus ſuis, ubi fit ipſa participatio intimi, ac ſuperni boni. Unde in Pſalmo quodam, cùm dictum eſſet: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino: multi dicunt,* inquit, *quis oſtendet nobis bona?* Deinde ut manifeſtaret, cujus boni amore debeamus operari juſtitiam, ideſt, ſacrificare ſacrificium juſtitiæ: *Signatum eſt,* inquit, *in nobis lumen vultus tui, Domine; dediſti lætitiam in corde meo.* Cujus boni aliquantum participati, & pleniùs perfectiuſque participandi intentione, qui bene operatur, & laudabiliter etiam in conſpectu hominum converſatur, habet oleum ſecum, quo bona opera ejus etiam in conſpectu hominum lucentia non extinguuntur, quia non in eo Pſal. 4.

chari

MONITUM CXIV.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Luc. 7.

IN magnis peccatoribus, qui à Domino recepti ſunt in gratiam, non proponitur tibi exemplum cadendi, vel malè vivendi: ſed ſi cecideris, vel malè vixeris, reſurgendi & pœnitendi. Graviſſimè peccant, qui inde ſibi patrocinia peccandi quærunt, ut oſtendit S. Auguſtin. Datur etiam tibi exemplum non deſperandi, quantumcunque peccaveris. Dum enim veniam tribuit magnis peccatoribus, ut Paulo, Magdalenæ, &c. ſatis declarat, ſe omnibus peccatoribus ad ſe confugientibus, miſereri paratum. Sicut ille medicus, qui deſperatiſſimum curat, oſtendit ſe omnes morbos curare poſſe. Hinc canit Eccleſia: In Pſal. 10.

Qui latronem exaudiſti,
Et Mariam abſolviſti,
Mihi quoque ſpem dediſti. Sent. 2co. apud Proſp

Prima ergo ſalus, declinare culpam, quam ſi incideris: *ſecunda ſalus, non deſperare de ejus venia, nam ipſe ſe in æternum perimit, qui apud miſericordem judicem ad pœnitentiæ remedia non recurrit.*

Sed hic multi peccatores deficiunt, bene imitantur ſanctos in peccatis, ſed non in remediis. Peccavit Magdalena, quod ſolent homines; ſed pœnitentiam geſſit, flevit, ingemuit, quod non ſolent

ſpectu hominum luculentiſſimam laudem, utraſque obviàm ſponſo euntes, propter expectationem, qua Chriſti ſperatur adventus. Sed tamen alias ſapientes, alias ſtultas, quod ſapientes oleum acceperunt in vaſis ſuis, ſtultæ hoc non ferebant ſecum. *Quid eſt autem ferre oleum ſecum*, inq. Aug. *niſi habere conſcientiam placendi Deo de operibus bonis, & non ibi finem gaudii ſui ponere, ſi homines laudent, qui conſcientiam videre non poſſunt*. In tam multis pares, hoc ſolo eas impares demonſtrat.

Ser. 54. in Nov. q. 2.

Adjicienda eſt huic Evangelio utiliſſima doctrina S. Aug. *Non eſſe audiendos ſive viros ſanctos, ſive fœminas, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam fit ut in malam veniant ſuſpicionem, unde ſuam vitam longè abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiam, exiſtimationem hominum non imprudenter ſolùm, verùm etiam crudeliter contemnentes, cùm occidunt animas aliorum, ſive blaſphemantium viam Dei, quibus ſecundùm ſuam ſuſpicionem, quaſi turpis, quæ caſta eſt, diſplicet vita ſanctorum; ſive etiam cum excuſatione imitantium, non quod vident, ſed quod putant. Proinde quiſquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſibi benefacit: quiſquis in ſuam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra, & utique etiam quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem, ad noſtram quoque redundat utilitatem.*

De bono viduit. ca. 22.

Unde non fruſtra Apoſtolus: Providemus, inquit, *bona, non ſolum corā Deo, verùm etiam coram hominibus. Item dicit: Placete omnibus per omnia, ſicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant. In quadam etiam*

Aug. ibid. 2. Cor. 8. 1. Cor. 10.

exhorta

Digitized by Google

exhortatione dicit: De cætero, fratres, quæcumque ſunt vera, quæcunque ſancta, quæcunque juſta, quæcunque caſta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ: Si qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. Inter multa, quæ exhortando commonuit, non neglexerat ponere, quæcunque bonæ famæ, duobuſque verbis cuncta concluſit, ubi ait: Si qua virtus, ſi qua laus. Puto quod non laudem hominum pro magno ſumebat Apoſtolus, alio loco dicens: Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Et alibi: Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Et iterum: Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sed illorum duorum, id eſt, bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel quod brevius dicitur, virtutis & laudis, unum propter ſemetipſum ſapientiſſimè retinebat, alterum propter alios providebat miſericordiſſimè. Philip. 4. 1. Cor. 4. Galat. 4. 2. Cor. 1.

Sed quoniam quantalibet humana cautela ſuſpiciones malevolentiſſimas non poteſt omni ex parte vitare, ubi pro noſtra exiſtimatione, quicquid rectè poſſumus, fecerimus; ſi aliqui de nobis, vel malè fingendo, vel malè credendo, famam noſtram decolorare conantur, adſit conſcientiæ ſolatium, planeque etiam gaudium, quòd merces noſtra magna eſt in cœlis, etiam cùm dicunt homines mala multa de nobis, piè tamen juſteque viventibus. Illa enim merces, tanquam ſtipendium eſt militantium per arma juſtitiæ, non ſolum dextra, verùm etiam ſiniſtra, per gloriam ſcilicet & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam. Hactenus Aug. Aug. ibid. Matth. 5. 2. Cor. 6.

Idem ſcribens contra Secundinum Manichæum, qui Auguſtinum dicebat timoris cauſa deſeruiſſe Manichæos, & Catholicum factum honoris

Abſtinent enim boni Chriſtiani præſentibus bonis, ſpe futurorum: *Scientes impoſſibile eſſe*, ut ait D.Hier. *ut & præſentibus quis & futuris fruatur bonis; ut & hic ventrem,& ibi mentem impleat; ut de delitiis tranſeat ad delitias.*

In epiſt. ad Iulian.

Prudentius cont. Symmachum.

Spem ſequimur, gradimurque fide, fruimurque futuris,
Ad quæ non veniunt præſentis gaudia vitæ.
Nec currunt pariter capta & capienda voluptas.

Secundò, *locutus eſt* cum diſcipulis *de regno Dei*; id eſt, de Eccleſia Chriſtiana ædificanda. Et aliqua huc pertinentia ſunt in Evangeliis. Dicitur enim ibi, quod Evangelium eſſet prædicandum omnibus gentibus per totum orbem. Priùs Dei cognitio ac fides concluſa erat intra fines Judaicos, hinc gloriabantur: *Notus in Iudæa Deus*. Voluit eam prædicatione Apoſtolorum & aliorum, diffundi per totum mundum, & diffundenda adhuc eſt in illas gentes, ad quas nondum pervenit, ſi quæ fortè ſuperſunt, ut Auguſt. Deinde conſtituti ſunt Apoſtoli, Chriſti Vicarii, miſſi ab eo, ſicut ipſe à Patre. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Magna profectò eſt eorum poteſtas & authoritas, quam ſubditi bene attendere, & in omnibus ſequi debent. Vnde & antea dixerat, *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit*, &c.

Lucæ 24. Pſal. 75. Epiſt. 80. ad Heſych. Et Proſp. de vocat. gent. l. 2. cap. 9. Ioan. 20. Matth. 10. Matth. 28. Ioan. 20.

Docuit præterea illos, quomodo baptizare deberent; poteſtatem etiam remittendi & retinendi peccata eis conceſſit. Ex quibus paucis intelligendum, eos etiam de altaris Sacramento, & ſimilibus inſtitutos. Alia ergo Sacramenta

Cõt. Fauſt.

inſtituit,

inſtituit, virtute majora, utilitate meliora, numero pauciora, intellectu auguſtiora, obſervatu faciliora. Sine Sacramentis non poteſt conſtare religio ulla, aut diſcerni; illis enim populus velut nexibus neceſſariis inter ſe colligatur, & ab aliis ſeparatur. *Aperuit quoque illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.* Quam intelligentiam illi tradiderunt Eccleſiæ. Hinc verus Scripturarum ſenſus ab Eccleſia petendus, ſicut & omnis veritas; ipſa enim *columna eſt & firmamentum veritatis, ipſa velut depoſitorium dives, in quam Apoſtoli contulerunt omnia quæ ſunt veritatis*, ait D. Irenæus. Vnde Eccleſiæ ſenſus omnibus hoſtibus opponendus, tanquam murus firmiſſimus. *Poterant*, inquit S. Hieron. *omnes propoſitionum tuarum rivulos, uno Eccleſiæ ſole ſiccare.* Lucæ 24. 1. Timo. 3. Lib. 3. c. 4. Cont. Lucifer.

Denique conſtituit unum omnium ovium ſuarum Paſtorem, dicendo ter Petro (quod & ad ejus ſucceſſores pertinet) *Paſce oves meas.* Non has, aut illas: non hujus, aut illius regni, provinciæ, loci: ſed oves meas, ubicunque illæ ſint, ait Bern. Et Docet Cyprian. *Non aliunde obortas hæreſes, & nata ſchiſmata, quàm inde quod Sacerdoti Dei* (loquitur autem de Romano Pontifice, Petri ſucceſſore) *non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos & judex vice Chriſti cogitatur, &c.* Poſtremò promiſſionem dedit perpetuæ aſſiſtentiæ: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quod & antè dixerat, *Portas inferi adverſus Eccleſiam non prævalituras.* Et olim per Iſaiam; *Montes*, ait, *commovebuntur, & colles contremiſcent; miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur.* Ioan. ult. Lib. 2. de Conſid. Lib. 1. ep. 5. & lib. 4. epiſt. 9. Matth. 28. Matth. 16. Iſaiæ 54.

Digitized by Google

tur, dicit miſerator tuus Dominus. Ex quibus omnibus inſinuatur nobis, quod iſtis 40. diebus plenè à Chriſto traditum ſit regimen Eccleſiæ.

Actor.1. *Cùm hæc dixiſſet*, ait Lucas, *videntibus illis elevatus eſt*, &c. Aſcendens autem Chriſtus in cœlum, hoc in nobis efficere voluit, ut nos eum aſcendentem, jam mente ac deſiderio proſequeremur, ut aliquando & corpore conſequi poſſimus. Corpore ergo in terra poſiti, cogitatione nos in cœlum conferamus, confitentes nos hoſpites & peregrinos ſuper terram. *Quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite*, ait Apoſt. *ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Et poſtquam dixiſſet de impiis, *qui terrena ſapiunt, quorum Deus venter eſt, & gloria eorum in confuſione ipſorum*; addit in perſona Sanctorum: *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt.* Sic & Sap. *Juſti in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud Altiſſimum.* Sap. 5. & Apoſt. 2. Corin. 4. *non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna. Bonus Paſtor ante oves ſuas vadit, & oves illum ſequuntur.* jam mente & cogitatione, poſtea etiam corpore ſecuturæ. *Pater*, inquit, *quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum.*

Hebr.11. & 13. Coloſ.3. Philip.3. Ioan.10. Ioan.17.

Non autem ideo nobis deſperanda eſt perfecta, & Angelica cæleſtis habitatio, inquit S. Aug. *quia dixit, nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Nam hoc dictum eſt propter unitatē, qua caput noſtrum eſt, & nos corpus eius. Cùm aſcendit in cœlum, nos ab eo non ſeparamur. Qui de cœlo deſcendit, non nobis invidet cœlum, ſed quodammodo clamat: Membra mea eſtote, ſi aſcendere velitis*

Ioan. Aug. Ser. 45. in Nov. 14. de verb Apoſt. 234. de temp.

litis in cœlum. Solus ergo Chriſtus aſcendit, tamen totus, caput & corpus. Illi ergo ſemper, ejuſque corpori inhærere debemus fide recta, ſpe firma, charitate pura, ſi aſcendere velimus. Unde non eſt ſpes aſcenſionis Judæis, Turcis, hæreticis, & aliis infidelibus, quia non ſunt de corpore: Nec malis Chriſtianis, quia tanquam membra putrida abſcindentur. In pſalm. 122.

Suaviter Sanct. Auguſtinus: *Salvator noſter, dilectiſſimi, aſcendit in cœlum, non ergo turbemur in terra: ibi ſit mens, & hic erit requies: Adſcendamus cum Chriſto interim corde, ut cum dies eius promiſſus advenerit, ſequamur & corpore. Scire tamen debemus, quia cum Chriſto non aſcendit ſuperbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium aſcendit cum medico noſtro. Et ideo ſi poſt medicum deſideramus aſcendere, debemus vitia & peccata deponere. Omnes enim quaſi quibuſdam compedibus nos premunt, & peccatorum nos retibus ligare contendunt*, &c. Peccata ergo compedes ſunt, quibus ligamur; onera, quibus premimur. *Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur impius*, ait Sapiens. Hinc aſcenſum noſtrũ impediunt. *Deponẽtes omne pondus*, ait Apoſt. *& circumſtans nos peccatum*. Et David: *Sicut onus grave gravata ſunt ſuper me*. Et peccatum à Zacharia plumbo comparatur. *Facilè autem corpus levabitur in alta cœlorum, ſi non premat ſpiritum ſarcina peccatorum*, ait S. Aug. Serm. 175. de temp. Serm. 84. in Nov. Prov. 5. Hebr. 11. Pſalm. 37. Zach. 5.

Hinc Propheta increpando carnales, clamat: *Filii hominum, uſquequò gravi corde*, terrenis incubantes, terrena ſapientes? *ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* quæ nullum adferunt fructum, ſed potiùs detrimentum; ac felicitatem non præſtant, quam promittunt. *Et ſcitote, quoniam mirificavit* Serm. 85. in Nov. Pſalm. 4.

rificavit Dominus ſanctum ſuum. Hoc diligenter vobiſcum conſiderate, quod Deus Pater mirabilem fecit Chriſtum, qui eſt Sanctus Sanctorum, per reſurrectionem videlicet, & aſcenſionem. Non ergo curvæ ſint in terris animæ veſtræ, ſed ad eum ſurſum erectæ. *Oportet enim ut illuc ſequamini corde, ubi Chriſtum corpore aſcendiſſe creditis. Deſideria terrena fugite, nihil vos jam delectet in infimis, qui Patrem habetis in cœlis,* inq. D. Gregor. Et Chriſtus modum perveniendi ad ipſum tradens, *Si quis,* inq. *vult venire poſt me*, id eſt, reſurgere & aſcendere ut ego, *abneget ſemetipſum,* id eſt, pravam ſuam voluntatem, *tollat crucem ſuam,* id eſt, quamlibet tribulationem patienter ferat, *& ſequatur me.*

Greg. hom. 29. in Evãg

Atque hanc maximam quoque conſolationẽ ex Chriſti aſcenſione percipimus, quod eum habeamus jam *apud Patrẽ advocatum, qui eſt exoratio ſeu propitiatio pro peccatis noſtris. Introiit,* ait Apoſt. *cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis,* hoc eſt, in cœlo, ubi videtur Deus, commemorat ſemper Chriſtus paſſionem ſuam, ut placatum nobis reddat Patrem, proferens apud eum ſanguinem ſuum, tanquam peccatorum noſtrorum redemptionem. Ibique Iudicem Deum *interpellat,* ut idem Apoſt. inq. ut fructum paſſionis ſuæ nobis communicet, ut gratioſè nobiſcum, qui rei ſumus, agat, nec tractet ſecundum rigorem juſtitiæ. *Confeſſionem etiam fidei noſtræ,* preces, gratiarum actionem, & reliqua bona opera noſtra, quo judicem placet, apud eum profert, eique ſacrificat. Vnde dicit Petrus, *offerre nos ſpiritales hoſtias Deo, acceptabiles ei per Ieſum Chriſtum:* ut ſicut omnia Dei dona per Chriſtum in nos effunduntur, ita rurſus Deo per Chriſtum offeram

1. Ioan. 2. Hebr. 9. Vide Amb. lib. 1. Offic. cap. 48. Rom. 8. Hebr. 7. Aug. in Pſal. 19. & 29. in præf. lib. 1. de Trinit. cap 10. & Tract. 102. in Ioan. Hebr. 4. 1. Pet. 2. Cyril. lib. 11. cap. 7. in Ioan.

offerantur, & ad eum redeant. Quàm ergo ſollicitus eſt reus, ut amicum habeat advocatum, ſine cujus opera mortem non poteſt evadere; tam certè Chriſtiani omnes in adeundo & cōciliando Chriſtum ſtudioſi eſſe debent ac diligentes. *Si;* inquit D. Cypr. *pro nobis, ac dilectis noſtris Chriſtus laborat, vigilat; ac precatur, quantò magis nos inſiſtere precibus, & orare, & primò ipſum Dominum rogare; tum deinde per ipſum Deo Patri ſatisfacere debemus?* lib.4.ep.4.
Non ergo dicitur; *Advocatum habemus apud Patrem*, &c. ut nos ſecuri ſimus & otioſi; & ſub eo prætextu liberiùs peccemus. Audite conſequenter D. Cypr. *Habemus advocatum & deprecatorem pro peccatis noſtris, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſi modò nos in præteritum peccaſſe pœniteat; & confitentes ac intelligentes delicta noſtra; quibus nunc Deum offendimus, vel de cætero nos ambulare in viis ejus, & præcepta ejus metuere ſpondeamus.* Sic & S. Aug. *Ille advocatus eſt; tu da operam ne pecces: ſi de infirmitate ſuperrepſerit peccatum, continuò vide, continuò diſpliceat, continuò damna, & cùm damnaveris, ſecurus ad Iudicem venias: ibi habes advocatum, noli timere, ne perdas cauſam confeſſionis tuæ.* Ibid. In cap. 2. 1. Ioan.

Dicit Apoſtolus ad Hebr. *Legem umbram fuiſſe futurorum, non imaginem rerum*, ſcilicet præſentium. Ubi ſignificat novam legem imaginem eſſe rerum, quæ in cœlis aguntur, ubi Chriſtus Sacerdotium ſuum exercens, *apparet vultui Dei, & interpellat pro nobis*, paſſionem ſuam Patri allegans, & hoc pacto Sacrificium crucis conſummans: quomodo Sacerdos Leviticus Sacrificium extra Sancta inchoatum perfecturus, intrabat in Sancta Sanctorum. Hoc ſenſu con- Hebr. 10. Vide Amb. lib. 1. off. cap. 48. Hebr. 9. Hebr. 7. Levit. 16.

Digitized by Google

tum concede. Sentiens etiam in ea ætate tentationes graves carnis,& alia.

Quartò, hoc nunc quotidie orandum, quando appropinquat veſpera,ſeu finis ſæculi, quando calor charitatis refrigeſcit, & lux veritatis obſcuratur,& ſuccedunt frigus peccatorum,& tenebræ errorum. Hoc enim ita prædixit Chriſtus de tempore noviſſimo: *Abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum*. Quod tantò magis magiſque implebitur, inquit Sanctus Auguſtinus, quantò magis appropinquamus ad finem ſæculi. Hoc ſignificatur in ſtatua Danielis, cujus caput aureum, pectus & brachia argentea, venter & femora ærea, tibiæ ferreæ, pedum pars quædam ferrea, quædam fictilis. Significatur futuris præterita meliora, felicioraque, &c. Unde & reprehendit eos idem Auguſtinus, qui contra Evangelium ſemper ſperant meliora & tranquilliora tempora. Qui alibi: *Quantum accedit finis mundi, creſcunt errores, creſcunt terrores, creſcit iniquitas, creſcit infidelitas*. Et D.Cypr. *Prædictum eſt*, inquit, *deficiente mundo, bona quæque deficere, mala verò & adverſa proficere*. Quod & oſtendit contra Demetrianum, ſeneſcente mundo, mala quæque ingruere. Horat. lib.3. Carm. Ode 6. ait:

Matth. 24. Epiſt. 80. Dan. 2. In Pſal. 96. Tract. 25. in Ioan. Li. 1. ep. 4.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem. Sic & Ovid.

Tempora Saturnus dulci dedit aurea mundo;
Iuppiter incipiens deteriora dabat.
Prior adhuc iſtis ſucceſſit ahenia proles,
Et reliquis ætas ferrea peior adeſt.

Sic

Sic igitur ſemper peius peiora ſequuntur,
Nec ſunt ut fuerant tempora noſtra prius.

Unde manifeſta eſt hæreticorum falſitas, qui dicunt ſe nunc veritatem ante ignotam & ſepultam in lucem proferre: Cùm hoc non prædixerit Dominus, ſed quod *exurgent multi Pſeudoprophetæ*, qui veritatem corrumpent, & ſeducent multos. Unde & Paulus: *Mali autem homines & ſeductores proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes.* Quæ omnia jam impleri, clarè cernimus, ideoque nos non in fide infirmare, ſed confirmare debent, uti docet Tertull. & Cyprianus. Nunc ergo maximè nobis orandum: *Mane nobiſcum, Domine*, ne à nobis auferat lucem veritatis & juſtitiæ, & permittat nos labi in tenebras errorum & peccatorum. Sicut contigit tot regnis & provinciis, à quibus ablatum eſt regnum Dei, fides, doctrina vera, Sacrificium, Sacramenta, &c. jamque in denſis tenebris & umbra mortis miſerabiliter verſantur, ut cum Propheta meritò exclamare poſſim: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.*

Matth. 24. 2. Tim. 3. De præſcr. hæret. De unit. Eccleſ. Ier. 9.

Oremus ergo cum David: *Salvum me fac, Deus, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum*; ut videlicet ego in juſtitia & veritate perſeverem, quando numerus ſanctorum valde minuitur, & mundus impletur erroribus. Oremus cum Hier. *Tu autem in nobis es, Domine, & nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos.* Adhuc inter nos utcunque eſt fides Dei, ejus Sacrificium, Sacramenta, veritatis prædicatio

Pſal. 11. Hier. 14.

pauperibus,& ſecundum dictum prudentiſſimi viri, Liberalitas liberalitate pereat. Et alibi; *Da pauperibus, non divitibus, non propinquis, non ad luxuriam, ſed ad neceſſitatem. Quiſquis ille ſit cui das, nihil in illo aliud conſideres, quàm paupertatem. Laudent te eſurientium viſcera, non ructantium opulenta convivia.*

In epiſt. ad Demetr.

De Nabutha, cap. 3.

D. Ambr. de ſui temporis abuſibus loquens; *Parietes*, inquit, *veſtitis auro, homines nudatis; clamat ante domum tuam nudus, & negligis; & tu ſollicitus es, quibus marmoribus pavimenta veſtias: Pecuniam pauper quærit, & non habet; panem poſtulat homo, & equus tuus aurum ſub dentibus mandit*. Et D. Hier. queritur; Quæ utilitas eſt, *parietes divitum fulgere gemmis, & Chriſtum in paupere fame periclitari? Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum; & nudus atque eſuriens ante fores noſtras Chriſtus in paupere moritur*. D. etiam Auguſtin. *Glorioſa*, inquit, *eſt effuſionis inſania, & opera miſericordiæ irridentur. Ex his quæ abundant divitibus luxuriantur hiſtriones, & neceſſaria vix habent pauperes*. D. Leo, divites alloquens; *Gaudete*, ait, *quod per vos Dominus pauperes ſuos paſcit & veſtit. Quibus utique poſſet eas, quas vobis contulit, tribuere facultates, niſi pro ineffabili miſericordia ſua, & illos juſtificare vellet de patientia laboris, & vos de opere charitatis.*

Ad Paulinum, & ad Gaudent.

Epiſt. 5. ad Marcell.

Ser. 8. de jejun. 10. menſ.

Pſal. 9.

Juſtitia ejus, id eſt, fructus juſtitiæ, ſive merces æterna eſt. Sicut dicitur, *Patientia pauperum non peribit*. Erunt ergo ſemper patientes: ubi nulla erit tribulatio, ibi nulla erit patientia; ubi nulla miſeria aut indigentia, nulla miſericordia. *Cornu ejus exaltabitur in gloria*; ſignificatur poteſtas. In cornu duo ſunt, quod forte ac firmum ſit; & quod ex-

tra

Digitized by Google

tra carnem emineat. Significatur ergo poteſtas filiorum Dei, omnibus conſpicua, etiam impiis. Unde dicunt apud Sap. *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt*. Nunc frequenter cornua impiorum exaltantur, tunc confringentur, & exaltabuntur cornua juſtorum. Tunc impii perdent omnem principatum, & poteſtatem. *Non enim relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, ut non extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.* Si maneret perpetuò illa virga, eſſet magna juſtorum tribulatio; nunc autem non multùm moventur, quia cogitant quod non diu durabit, cogitant futura, non curant præſentia.

Sap. 5. 1. Cor. 15. Pſal. 124.

Peccator videbit, gloriam juſtorum, *& iraſcetur*, quia invidebit, ſicut dæmones. Invidi aliorum gloriam, ſuam faciunt pœnam. Etiam ſibi iraſcetur, quia gloria privabitur, & ideo ſibi ipſi indignabitur, quòd non ſic vixerit, ut exaltari mereatur; appetitus enim gloriæ non peribit, ſed ſera erit atque infructuoſa damnatorum pœnitentia, de qua Sap. *Dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes: Quid nobis profuit ſuperbia, divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt illa omnia tanquam umbra.*

Cypr. de zel. & livor. Sap. 5.

Dentibus ſuis, id eſt, ira vel invidia fervidus tabeſcet; ſine ſpe evadendi, ſolo dolore torquebitur. *Deſiderium peccatorum peribit*, quia eſuriunt iniquitatem, cui nullum ſuccedet ſolatium; bonorum autem deſiderium, quia juſtitiam eſuriunt, ſatiabitur, uti promiſit Dominus in Evangelio. Sic S. Ioannes, *Mundus tranſit & concupiſcentia ejus*, id eſt, homines mali pereunt; quia in die judicii tempus implendæ alicujus delectationis pravæ, ultra

Matth. 5. 1. Ioan. 2.

Digitized by Google

ultra non erit. Tunc non poterunt prava eorum
Apoc.18. deſideria amplius impleri; uti ſequitur, *Et concupiſcentia ejus*, qua ſcilicet cócupiſcit,tranſit, perit. Et quod in die judicij in omnibus impiis implebitur,ſecundùm quod ait in Apocal.*omnium interitum ſub typo Babylonis deſcribens*,id quotidie particulatim in cujuſlibet impij morte completur,
Pſal.145. juxta illud Pſalm.*Exibit ſpiritus ejus,& revertetur in terram ſuam*; *in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*, quibus videlicet intenti erant ad complenda hujus mundi deſideria. *Manebit tamen prava*
Lib.6. in Iulian c.5. in fine. *concupiſcentia in damnatis*,inquit S.Aug.*non fœliciter, ſed pœnaliter*; *nec eis in delectamenta excitabitur,ſed in tormenta vertetur*.Sic immiſericors epulo
Lucæ 16. Matth.25. gulæ delectationem in inferno quærit; fatuæ vir-
Sap.5. gines,humanas laudes: *Date nobis de oleo veſtro*.
Matth.22. Pœnitentia autem damnatorum infructuoſa eſt,&
Sup.Mo.52 pœnæ tantum eſt,non culpæ diſplicentia. Ea enim adhuc eis placet,cuperentque perficere, ſi poſſent, ſed ligati ſunt manus & pedes, id eſt,actione pri-
Iſaiæ 66. vati. Ibi dicet Chriſtus, *Ligatis manibus & pedibus eorum mittite eos in tenebras exteriores: ibi erit fletus,& ſtridor dentium*; *ibi vermis eorum non morietur,& ignis eorum non extinguetur*.

MONI

Digitized by Google

MONITUM CXI.

Videntibus illis, elevatus eſt, &c.

Act. 1.

DUo præcipuè fecit Chriſtus poſt ſuam à mortuis reſurrectionem, antequam cœlum conſcenderet. Primò variis apparitionibus & argumentis ſuam reſurrectionem declaravit, per dies 40. apparens diſcipulis, non ſolùm priſtinam ſuam effigiem & loquelam, una cùm veſtigiis clavorum & lanceæ, oculis & auribus eorum offerens, carnem & oſſa palpanda præbens, coram eis priſtino more comedens; ſed & cœleſtibus Divinitatis ſuæ miraculis, ſive dum infuſo Spiritu ſancto mentem eorum cæcitate clauſam ad intelligentiam Scripturarum aperuit, ſive dum januis clauſis ad eos introivit, ſive dum piſces magnos & multos non rupto reti, capi fecit. Imò per Moyſen & Prophetas tam paſſionem ſuam, quàm reſurrectionem ſuam probavit. Fecit autem id per dies 40. eo *quòd* 40. *dierum numero, tempus hujus miſeriæ deſignatur*, in quo opus eſt conſolatione per ſpem reſurrectionis. Chriſti autem reſurrectio, cauſa eſt & exemplar noſtræ. Sic ergo ſuam Chriſtus reſurrectionem declarans, certam ſpem dedit noſtræ, qua ſpe in hac miſeria conſolamur. *Sine qua ſpe*, ait Apoſt. *miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, quia omnibus bonis deſtituti, & vitæ præſentis, & futuræ.

Lucæ 24. Joan. 20. 21

Aug. epiſt. 119. c. 15. Aug. ſerm. 74. & 76 in Nov.

1. Cor. 15.

Abſtinent

Abſtinent enim boni Chriſtiani præſentibus bonis, ſpe futurorum: *Scientes impoſſibile eſſe*, ut ait D.Hier. *ut & præſentibus quis & futuris fruatur bonis; ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat; ut de delitiis tranſeat ad delitias.*

In epiſt. ad Iulian.

Prudentius cont. Symmachum.

Spem ſequimur, gradimurque fide, fruimurque futuris,
Ad quæ non veniunt præſentis gaudia vitæ.
Nec currunt pariter capta & capienda voluptas.

Secundò, *locutus eſt* cum diſcipulis *de regno Dei*; id eſt, de Eccleſia Chriſtiana ædificanda. Et aliquã huc pertinentia ſunt in Evangeliis. Dicitur enim ibi, quod Evangelium eſſet prædicandum omnibus gentibus per totum orbem. Priùs Dei cognitio ac fides concluſa erat intra fines Judaicos, hinc gloriabantur: *Notus in Iudæa Deus*. Voluit eam prædicatione Apoſtolorum & aliorum, diffundi per totum mundum, & diffundenda adhuc eſt in illas gentes, ad quas nondum pervenit, ſi quæ fortè ſuperſunt, ut Auguſt. Deinde conſtituti ſunt Apoſtoli, Chriſti Vicarii, miſſi ab eo, ſicut ipſe à Patre. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Magna profectò eſt eorum poteſtas & authoritas, quam ſubditi bene attendere, & in omnibus ſequi debent. Vnde & antea dixerat, *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit*, &c.

Lucæ 24. Pſal. 75. Epiſt. 80. ad Heſych. Et Proſp. de vocat. gent. l. 2. cap. 9. Ioan. 20. Matth. 10. Matth. 28. Ioan. 20.

Docuit præterea illos, quomodo baptizare deberent; poteſtatem etiam remittendi & retinendi peccata eis conceſſit. Ex quibus paucis intelligendum, eos etiam de altaris Sacramento, & ſimilibus inſtitutos. Alia ergo Sacramenta inſtituit,

Cõt. Fauſt.

inſtituit, virtute majora, utilitate meliora, numero pauciora, intellectu auguſtiora, obſervatu faciliora. Sine Sacramentis non poteſt conſtare religio ulla, aut diſcerni; illis enim populus velut nexibus neceſſariis inter ſe colligatur, & ab aliis ſeparatur. *Aperuit quoque illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.* Quam intelligentiam illi tradiderunt Eccleſiæ. Hinc verus Scripturarum ſenſus ab Eccleſia petendus, ſicut & omnis veritas; ipſa enim *columna eſt & firmamentum veritatis, ipſa velut depoſitorium dives, in quam Apoſtoli contulerunt omnia quæ ſunt veritatis*, ait D. Irenæus. Vnde Eccleſiæ ſenſus omnibus hoſtibus opponendus, tanquam murus firmiſſimus. *Poterant*, inquit S. Hieron. *omnes propoſitionum tuarum rivulos, uno Eccleſiæ ſole ſiccare.* Lucæ 24. 1. Timo. 3. Lib. 3. c. 4. Cont. Luciſer.

Denique conſtituit unum omnium ovium ſuarum Paſtorem, dicendo ter Petro (quod & ad ejus ſucceſſores pertinet) *Paſce oves meas.* Non has, aut illas: non hujus, aut illius regni, provinciæ, loci: ſed oves meas, ubicunque illæ ſint, ait Bern. Et Docet Cyprian. *Non aliunde obortas hæreſes, & nata ſchiſmata, quàm inde quod Sacerdoti Dei* (loquitur autem de Romano Pontifice, Petri ſucceſſore) *non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos & judex vice Chriſti cogitatur, &c.* Poſtremò promiſſionem dedit perpetuæ aſſiſtentiæ: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quod & antè dixerat, *Portas inferi adverſus Eccleſiam non prævalituras.* Et olim per Iſaiam; *Montes*, ait, *commovebuntur, & colles contremiſcent; miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur.* Ioan. ult. Lib. 2. de Conſid. Lib. 1. ep. 5. & lib. 4. epiſt. 9. Matth. 28. Matth. 16. Iſaiæ 54.

Digitized by Google

tur, dicit miſerator tuus Dominus. Ex quibus omnibus inſinuatur nobis, quod iſtis 40. diebus plenè à Chriſto traditum ſit regimen Eccleſiæ.

Actor. 1. *Cùm hæc dixiſſet*, ait Lucas, *videntibus illis elevatus eſt*, &c. Aſcendens autem Chriſtus in cœlum, hoc in nobis efficere voluit, ut nos eum aſcendentem, jam mente ac deſiderio proſequeremur, ut aliquando & corpore conſequi poſſimus. Corpore ergo in terra poſiti, cogitatione nos in cœlum conferamus, confitentes nos hoſpites & peregrinos ſuper terram. *Quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite*, ait Apoſt. *ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*. Et poſtquam dixiſſet de impiis, *qui terrena ſapiunt, quorum Deus venter eſt, & gloria eorum in confuſione ipſorum*; addit in perſona Sanctorum: *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt*. Sic & Sap. *Iuſti in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum; & cogitatio eorum apud Altiſſimum*. Sap. 5. & Apoſt. 2. Corin. 4. *non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna. Bonus Paſtor ante oves ſuas vadit, & oves illum ſequuntur*. jam mente & cogitatione, poſtea etiam corpore ſecuturæ. *Pater*, inquit, *quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum*.

Hebr. 11. & 13. Coloſ. 3. Philip. 3. Ioan. 10. Ioan. 17.

Non autem ideo nobis deſperanda eſt perfecta, & Angelica cæleſtis habitatio, inquit S. Aug. *quia dixit, nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Nam hoc dictum eſt propter unitatẽ, qua caput noſtrum eſt, & nos corpus eius. Cùm aſcendit in cœlum, nos ab eo non ſeparamur. Qui de cœlo deſcendit, non nobis invidet cœlum, ſed quodammodo clamat: Membra mea eſtote, ſi aſcendere velitis*

Ioan. Aug. Ser. 45. in Nov. 14. de verb Apoſt. 234. de temp.

litis in cœlum. Solus ergo Chriſtus aſcendit,tamen totus, caput & corpus. Illi ergo ſemper, ejuſque corpori inhærere debemus fide recta, ſpe firma, charitate pura,ſi aſcendere velimus. Unde non eſt ſpes aſcenſionis Judæis,Turcis, hæreticis, & aliis infidelibus,quia non ſunt de corpore: Nec malis Chriſtianis, quia tanquam membra putrida abſcindentur. In pſalm. 122.

Suaviter Sanct. Auguſtinus: *Salvator noſter, dilectiſſimi, aſcendit in cœlum, non ergo turbemur in terra: ibi ſit mens, & hic erit requies. Adſcendamus cum Chriſto interim corde, ut cum dies eius promiſſus advenerit, ſequamur & corpore. Scire tamen debemus, quia cum Chriſto non aſcendit ſuperbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium aſcendit cum medico noſtro. Et ideo ſi poſt medicum deſideramus aſcendere, debemus vitia & peccata deponere. Omnes enim quaſi quibuſdam compedibus nos premunt, & peccatorum nos retibus ligare contendunt*, &c. Peccata ergo compedes ſunt, quibus ligamur; onera, quibus premimur. *Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur impius*, ait Sapiens. Hinc aſcenſum noſtrũ impediunt. *Deponẽtes omne pondus*, ait Apoſt. *& circumſtans nos peccatum*. Et David: *Sicut onus grave gravata ſunt ſuper me*. Et peccatum à Zacharia plumbo comparatur. *Facilè autem corpus levabitur in alta cœlorum, ſi non premat ſpiritum ſarcina peccatorum*, ait S. Aug. Serm. 175. de temp. Serm. 84. in Nov. Prov. 5. Hebr. 11. Pſalm. 37. Zach. 5.

Hinc Propheta increpando carnales, clamat: *Filii hominum, uſquequò gravi corde*, terrenis incubantes; terrena ſapientes? *ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* quæ nullum adferunt fructum, ſed potiùs detrimentum; ac felicitatem non præſtant, quam promittunt. *Et ſcitote, quoniam mirificavit* Serm. 85. in Nov. Pſalm. 4.

rificavit Dominus ſanctum ſuum. Hoc diligenter vobiſcum conſiderate, quod Deus Pater mirabilem fecit Chriſtum, qui eſt Sanctus Sanctorum, per reſurrectionem videlicet, & aſcenſionem. Non ergo curvæ ſint in terris animæ veſtræ, ſed ad eum ſurſum erectæ. *Oportet enim ut illuc ſequamini corde, ubi Chriſtum corpore aſcendiſſe creditis. Deſideria*
Greg. hom. *terrena fugite, nihil vos jam delectet in infimis, qui*
29. in Evãg *Patrem habetis in cœlis*, inq. D. Gregor. Et Chriſtus modum perveniendi ad ipſum tradens, *Si quis*, inq. *vult venire poſt me*, id eſt, reſurgere & aſcendere ut ego, *abneget ſemetipſum*, id eſt, pravam ſuam voluntatem, *tollat crucem ſuam*, id eſt, quamlibet tribulationem patienter ferat, *& ſequatur me.*

Atque hanc maximam quoque conſolationẽ ex Chriſti aſcenſione percipimus, quod eum habeamus jam *apud Patrẽ advocatum, qui eſt exoratio ſeu*
1. Ioan. 2. *propitiatio pro peccatis noſtris. Introiit*, ait Apoſt.
Hebr. 9. *cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*, hoc eſt,
Vide Amb. lib. 1. Offic. cap. 48. in cœlo, ubi videtur Deus, commemorat ſemper Chriſtus paſſionem ſuam, ut placatum nobis reddat Patrem, proferens apud eum ſanguinem ſuum, tanquam peccatorum noſtrorum redemptionem.
Rom. 8. Hebr. 7. Aug. in Pſal. 19. & 29. in præf. lib. 1. de Trinit. cap 10. & Tract. 102. in Ioan. Ibique Iudicem Deum *interpellat*, ut idem Apoſt. inq. ut fructum paſſionis ſuæ nobis communicet, ut gratioſè nobiſcum, qui rei ſumus, agat, nec tractet ſecundum rigorem juſtitiæ. *Confeſſionem etiam fidei noſtræ*, preces, gratiarum actionem, & reliqua bona opera noſtra, quo judicem placet, apud eum
Hebr. 4. profert, eique ſacrificat. Vnde dicit Petrus, *offerre*
1. Pet. 2. *nos ſpiritales hoſtias Deo, acceptabiles ei per Ieſum*
Cyril. lib. 11. cap. 7. in Ioan. *Chriſtum:* ut ſicut omnia Dei dona per Chriſtum in nos effunduntur, ita rurſus Deo per Chriſtum

offeran

Digitized by Google

offerantur, & ad eum redeant. Quàm ergo ſollicitus eſt reus, ut amicum habeat advocatum, ſine cujus opera mortem non poteſt evadere; tam certè Chriſtiani omnes in adeundo & cōciliando Chriſtum ſtudioſi eſſe debent ac diligentes. *Si*, inquit D. Cypr. *pro nobis, ac dilectis noſtris Chriſtus laborat, vigilat, ac precatur, quantò magis nos inſiſtere precibus, & orare, & primò ipſum Dominum rogare, tum deinde per ipſum Deo Patri ſatisfacere debemus?* lib. 4. ep. 4.
Non ergo dicitur; *Advocatum habemus apud Patrem*, &c. ut nos ſecuri ſimus & otioſi; & ſub eo prætextu liberiùs peccemus. Audite conſequenter D. Cypr. *Habemus advocatum & deprecatorem pro peccatis noſtris, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſi modò nos in præteritum peccaſſe pœniteat; & confitentes ac intelligentes delicta noſtra; quibus nunc Deum offendimus, vel de cætero nos ambulare in viis ejus, & præcepta ejus metuere ſpondeamus.* Sic & S. Aug. *Ille advocatus eſt; tu da operam ne pecces: ſi de infirmitate ſuperrepſerit peccatum, continuò vide, continuò diſpliceat, continuò damna; & cùm damnaveris, ſecurus ad Iudicem venias: ibi habes advocatum, noli timere, ne perdas cauſam confeſſionis tuæ.* Ibid. In cap. 2. 1. Ioan.

Dicit Apoſtolus ad Hebr. *Legem umbram fuiſſe futurorum, non imaginem rerum*; ſcilicet præſentium. Ubi ſignificat novam legem imaginem eſſe rerum, quæ in cœlis aguntur, ubi Chriſtus Sacerdotium ſuum exercens; *apparet vultui Dei, & interpellat pro nobis*, paſſionem ſuam Patri allegans, & hoc pacto Sacrificium crucis conſummans: quomodo Sacerdos Leviticus Sacrificium extra Sancta inchoatum perfecturus, intrabat in Sancta Sanctorum. Hoc ſenſu con- Hebr. 10. Vide Amb. lib. 1. off. cap. 48. Hebr. 9. Hebr. 7. Levit. 16.

Sic igitur ſemper peius peiora ſequuntur,
Nec ſunt ut fuerant tempora noſtra prius.

Unde manifeſta eſt hæreticorum falſitas, qui dicunt ſe nunc veritatem ante ignotam & ſepultam in lucem proferre: Cùm hoc non prædixerit Dominus, ſed quod *exurgent multi Pſeudoprophetæ*, qui veritatem corrumpent, & ſeducent multos. Unde & Paulus: *Mali autem homines & ſeductores proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes.* Quæ omnia jam impleri, clarè cernimus, ideoque nos non in fide infirmare, ſed confirmare debent, uti docet Tertull. & Cyprianus. Nunc ergo maximè nobis orandum: *Mane nobiſcum, Domine*, ne à nobis auferat lucem veritatis & juſtitiæ, & permittat nos labi in tenebras errorum & peccatorum. Sicut contigit tot regnis & provinciis, à quibus ablatum eſt regnum Dei, fides, doctrina vera, Sacrificium, Sacramenta, &c. jamque in denſis tenebris & umbra mortis miſerabiliter verſantur, ut cum Propheta meritò exclamare poſſim: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.*

Matth. 24. 2. Tim. 3. De præſcr. hæret. De unit. Eccleſ. Ier. 9.

Oremus ergo cum David: *Salvum me fac, Deus, quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum*; ut videlicet ego in juſtitia & veritate perſeverem, quando numerus ſanctorum valde minuitur, & mundus impletur erroribus. Oremus cum Hier. *Tu autem in nobis es, Domine, & nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos.* Adhuc inter nos utcunque eſt fides Dei, ejus Sacrificium, Sacramenta, veritatis præ-

Pſal. 11. Hier. 14.

Digitized by Google

obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Sed cur tunc hoc orandum? Quia etſi tota vita nobis periculum ſit, tamen diabolus maximè *calcaneo hominis*, hoc eſt, fini ejus *inſidiatur*. *Soli perſeverantiæ inſidiatur* Epiſt. 32.
Diabolus, inquit Bern. *quam ſolam novit coronari.*

Unde Aug. *Nemo ſecurus eſſe debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur*. Et rurſum: *Nemo dicat, pro-* Lib. 10.
tegat me Chriſtus, cùm parvulus ſum, quaſi aliquando Conf. c. 32.
ad tantam magnitudinem pervenire poſſit, quæ ſibi In pſal. 62.
ſufficiat. Sine protectione Dei nihil es, ſemper ergo protegi velimus. Salomon cùm jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, & relicto Deo coluit idola. De quo Aug. in Pſal. 126. *Salomon mulierum* In Pſal. 126
amator reprobatus eſt à Deo. Et Greg. libro ſecun- 3. Reg. 2.
do Moral. capite 2. *Salomon Sapientiam non per-* 2. Paral. 16.
ſeveraturus accepit. Sic Aſa ſenex factus eſt malus, confidit in Rege Syriæ, monentem Prophetam afflixit, occidit multos de populo, & *nec in infirmitate quæſivit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt.*

Unde ſollicitè orat David: *Et uſque in ſene-* Pſal. 70.
ctam, & ſenium, Deus, ne derelinquas me. Et, *Ne projicias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me*. Promiſit Deus electis: *Uſque ad ſenectam ego ipſe, & uſque ad canos ego* Iſai. 46.
portabo. Quod ab eo ſuaviter petit Auguſt. in Li. 4. c. ult.
Confeſſ. *O Domine Deus noſter, in velamento ala-* Pſal 63.
rum tuarum ſperemus, & protege nos, & porta nos. Tu portabis & parvulos, & uſque ad canos tu porta- In carmin.
bis; quoniam firmitas noſtra quando tu es, tunc eſt fir- de calamit.
mitas; cùm autem noſtra eſt, infirmitas eſt. Sic & animæ ſuæ.
Greg. Nazian. orat: *Senectutem, quæſo, meam, optime Deus, canumque hoc caput ſerva. vitæque finem opta-*

naufragio tolerantia. Facile eſt contentum eſſe, Li.10.Cõf. cap.18.
Deumque benedicere in proſperis: hoc enim etiam
mali faciunt; de quibus David: *Confitebitur tibi*
cùm benefeceris ei. Cur addit, *cùm benefeceris ei?*
quia ſi Dominus caſtigat, puniat, murmurat, male- Pſal.48.
dicit. Servus autem Domini in omnibus ejus vo-
luntatem ſequitur, benedicitque Dominum in om-
ni tempore, ſicut David dicens: *Benedicam Domi-* Pſal.33.
num in omni tempore.

Quod & Tobias docuit filium: *Omni tempore* Tob.4.
benedic Deum. Et fecit Job; nudatus liberis & bo- Iob 1.
nis omnibus. *Sicut*, inquit, *Domino placuit, ita fa-*
ctum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Ita Paulus 2.Cor.6.
vult nos *incedere in via juſtitiæ à dextris & ſiniſtris*,
id eſt, in proſperis & adverſis. Sic laudatur To-
bias, quòd *in captivitate poſitus, viam veritatis* Tob.1.
non deſeruit. Et Job, quòd afflictus graviſſimè, Iob 2.
adhuc retinuit innocentiam. Mala quæ nos premunt,
ad Deum nos ire compellunt, ut videlicet cum ten-
tatione det proventum, cum tribulatione patien-
tiam; & ſi tribulationem augeat, augeat & pa-
tientiam. Hinc illæ voces Prophetæ: *Tu es refu-*
gium meum à tribulatione. De tribulatione invocavi
Dominum. Ad Dominum cùm tribularer clama- Pſal.31.
vi, &c. Pſal.117.

Secundò, ſic orandum, quando fervor devotio- Pſal.119.
nis, conſolationis, lucis interioris ſubtrahitur,
vel minuitur. Quod ſæpè ſentiunt Spirituales. Un-
de Job: *Viſitas eum diluculò, & ſubitò probas il-* Iob 7.
lum. Spiritus enim vadit, & venit ſecundùm ſuum
beneplacitum. De qua viciſſitudine dictum ſuprà.
Tunc petendum, *Mane nobiſcum, Domine.* Pericu- Monit.64.
lum enim eſt, ne homo, qui libenter aliquid habet

Digitized by Google

enim januas intrat aliquid per corpus ad animam, aut per oculos intrat quod concupiſcas malè, aut per aures, aut per olfactum, aut per guſtum, aut per contactum. Per has quinque januas quiſquis non admiſerit corruptionem, inter quinque virgines computatur. Admittuntur autem corruptiones per illicita deſideria. Quid autem liceat & non liceat, pleni ſunt libri Scripturarum. *Virgines ergo propter continentiam nuncupavit. Decem verò, id eſt, quinque & quinque, propter numerum, quo cenſentur corporis ſenſus, in quibus habitat continentia, cùm à voluptatibus turpibus & illicitis abſtinetur. Lampades, bona opera ſunt, maximeque ad miſericordiam pertinentia, & ipſa quæ etiam coram hominibus lucet, laudabilis converſatio.* Aug. epiſt. 120. c. 31.

Sed magni intereſt, qua mentis intentione fiat. Ideo dicit alias ſapientes, alias ſtultas. Sed hinc eas diſcernit, quòd ſtultæ non ſumpſerunt oleum ſecum; ſapientes autem acceperunt oleum ſecum in vaſis ſuis, ideſt, in cordibus ſuis, ubi fit ipſa participatio intimi, ac ſuperni boni. Unde in Pſalmo quodam, cùm dictum eſſet: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino: multi dicunt,* inquit, *quis oſtendet nobis bona?* Deinde ut manifeſtaret, cujus boni amore debeamus operari juſtitiam, ideſt, ſacrificare ſacrificium juſtitiæ: *Signatum eſt,* inquit, *in nobis lumen vultus tui, Domine; dediſti lætitiam in corde meo.* Cujus boni aliquantum participati, & pleniùs perfectiuſque participandi intentione, qui bene operatur, & laudabiliter etiam in conſpectu hominum converſatur, habet oleum ſecum, quo bona opera ejus etiam in conſpectu hominum lucentia non extinguuntur, quia non in eo Pſal. 4.

chari

MONITUM CXIV.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Luc. 7.

IN magnis peccatoribus, qui à Domino recepti ſunt in gratiam, non proponitur tibi exemplum cadendi, vel malè vivendi: ſed ſi cecideris, vel malè vixeris, reſurgendi & pœnitendi. Graviſſimè peccant, qui inde ſibi patrocinia peccandi quærunt, ut oſtendit S. Auguſtin. Datur etiam tibi exemplum non deſperandi, quantumcunque peccaveris. Dum enim veniam tribuit magnis peccatoribus, ut Paulo, Magdalenæ, &c. ſatis declarat, ſe omnibus peccatoribus ad ſe confugientibus, miſereri paratum. Sicut ille medicus, qui deſperatiſſimum curat, oſtendit ſe omnes morbos curare poſſe. Hinc canit Eccleſia: In Pſal. 10.

Qui latronem exaudiſti,
Et Mariam abſolviſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.

Prima ergo ſalus, declinare culpam, quam ſi incideris: *ſecunda ſalus, non deſperare de ejus venia, nam ipſe ſe in æternum perimit, qui apud miſericordem judicem ad pœnitentiæ remedia non recurrit.* Sent. 200. apud Proſp

Sed hic multi peccatores deficiunt, bene imitantur ſanctos in peccatis, ſed non in remediis. Peccavit Magdalena, quod ſolent homines; ſed pœnitentiam geſſit, flevit, ingemuit, quod non ſolent

exhortatione dicit: De cætero, fratres, quæcumque ſunt vera, quæcunque ſancta, quæcunque juſta, quæcunque caſta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ: Si qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. Inter multa, quæ exhortando commonuit, non neglexerat ponere, quæcunque bonæ famæ, duobuſque verbis cuncta concluſit, ubi ait: Si qua virtus, ſi qua laus. Puto quod non laudem hominum pro magno ſumebat Apoſtolus, alio loco dicens: Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Et alibi: Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Et iterum: Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sed illorum duorum, id eſt, bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel quod brevius dicitur, virtutis & laudis, unum propter ſemetipſum ſapientiſſimè retinebat, alterum propter alios providebat miſericordiſſimè. Philip. 4. 1. Cor. 4. Galat. 4. 2. Cor. 1.

Sed quoniam quantalibet humana cautela ſuſpiciones malevolentiſſimas non poteſt omni ex parte vitare, ubi pro noſtra exiſtimatione, quicquid rectè poſſumus, fecerimus; ſi aliqui de nobis, vel malè fingendo, vel malè credendo, famam noſtram decolorare conantur, adſit conſcientiæ ſolatium, planeque etiam gaudium, quòd merces noſtra magna eſt in cœlis, etiam cùm dicunt homines mala multa de nobis, piè tamen juſteque viventibus. Illa enim merces, tanquam ſtipendium eſt militantium per arma juſtitiæ, non ſolum dextra, verùm etiam ſiniſtra, per gloriam ſcilicet & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam. Hactenus Aug. Aug. ibid. Matth. 5. 2. Cor. 6.

Idem ſcribens contra Secundinum Manichæum, qui Auguſtinum dicebat timoris cauſa deſeruiſſe Manichæos, & Catholicum factum honoris

Digitized by Google

cors miſericorditer judicet? *Iudicium enim ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam.* Ipſæ autem lampades accenſæ, opera ſcilicet bona, de quibus Dominus dicit: *Luceant bona opera veſtra, ut glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Hucuſque pertendit intentio virginum ſapientium, ut ideo velint videri ab hominibus opera ſua bona, non quo ab eis laudentur ipſæ, ſed ut glorificetur Deus, à quo illis eſt quod bene operantur. Ac per hoc interiori bono gaudent, quod eſt coram Deo, *ubi eleemoſynam in occulto pater qui videt, in occulto reddat.* Et ideo non deficiunt lampades, quia interiori oleo vegetantur, id eſt, intentione bonæ conſcientiæ, qua coram Deo fit in ejus gloriam, quicquid coram hominibus in bonis operibus lucet.

Iacob.2.

Matth.5.

At verò ſtultarum virginum hoc oleum non ſecum portantium, deficiunt lampades, id eſt, non perſeveranter bona opera lucent, cùm laus humana fuerit ſubtracta, propter quam illa faciebant, hucuſque intentionem ſuam perducentes, ut viderentur ab hominibus, non ut glorificaretur Pater qui in cœlis eſt, quæ intentio perennis eſt gloriæ, qua novit anima Deo ſe debere, quod juſtificata eſt ad facienda bona opera; & ideo in illo, non in ſe laudari amat. Unde alibi homo Dei cantat: *In Domino laudabitur anima mea, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Pſalm.33.
1.Cor.1.

Utraſque ergo virgines dixit, propter continentiam; & quinque propter concupiſcentiam carnis edomitam, quinario præditam ſenſu; ornatas utraſque lampadibus, propter bonorum operum, bonæque converſationis in conſpectu

Digitized by Google

dicit jam fideles, ait Aug. *non de præſentibus donis, ſed de præteritis peccatis. Hanc confuſionem non formidet Chriſtianus, imò ſi hanc non habuerit, æternam habebit, de qua dicitur: Et traducent illos ex adverſo iniquitates eorum.* In Pſal. 30. Conc. 1. Sap. 4.

Deinde Magdalena pedes quærebat, quia humiliare ſe volebat, omnibus ſe ob peccata inferiorem æſtimans. *Humilem autem reſpicit Deus. Cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem?* Pedes quærebat, *quia diu malè ambulaverat, & jam veſtigia recta quærebat.* Cujus autem rectiora veſtigia, quàm Chriſti? qui nuſquam errat, nec errare poteſt; qui *nobis exempla reliquit, ut ſequamur veſtigia ejus*, & toties hortatur: *Sequere me.* Atque ideo etiam ſe *viam dicit, ut converſatio magiſtri forma eſſet diſcipuli,* inquit Leo. Pſal. 50. Iſai. 66. Aug. hom. 23. inter. 50. 1. Pet. 2. Ser. 5. de Nat.

Tertiò implevit illud Apoſtoli: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati, ita nunc exhibete membra ſervire juſtitiæ. Unguentum,* ait Greg. & Bed. *quod pro odore ſuæ carnis turpiter ſibi adhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, ſed hoc jam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compoſitionem vultus exhibuerat, ſed jam pedes capillis tergebat. Ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini deoſculans, hoc redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergo in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta. Convertit ad virtutum numerum, numerum vitiorum. Affligendum eſt corpus,* dicebat Paula, *quod multis vacavit delitiis, longus riſus perpeti compenſandus eſt fletu, mollia linteamina, & ſerica pretioſiſſima, aſperitate cilicii commutanda. Quæ ſeculo placui, nunc Chriſto* Rom. 6. Homil. 33. In Ser. de Magdal. Hieron. in ejus Epitaphio.

placere deſidero. S. Petrus, ait S. Aug. *trina negatione trinam reddidit confeſſionem, ne minus amori lingua ſerviret, quàm timori.* De Victorino narrat S. Aug. l. 8. Conf. c. 2. cùm ad Baptiſmum accederet, oblatum ei fuiſſe à presbyteris, ut ſecretiùs profeſſionem fidei redderet: illum autem maluiſſe ſalutem ſuam in conſpectu ſanctæ multitudinis profiteri. *Non enim vereri debuit,* inquit Aug. *manſuetum gregem tuum, pronuntians verbum tuum, qui non veritus fuerat in verbis ſuis turbas inſanorum.* Et D. Fulgentius ſeipſum excitans: *Abjiciamus,* inquit, *priſtinos mores, mutemus labores: nitebamur priùs inter amicos nobiles apparere nobiliores; nitamur modò inter ſervos Dei pauperes effici pauperiores.* Et ad Demetriadem virginem ſcribitur: *Si tibi ſæcularis placuiſſet vita, dares operam ne quis te divitiis, ornamentis, &c. præcederet; nunc diverſitas ſtudii diverſam vitam deſiderat, cura ne quis tibi in morũ ſanctitate, ac virtutibus præferatur.* Divus Hieronymus in epiſtola ad Pammachium, in conſolatione uxoris defunctæ, de eo refert, quod *ardentes gemmæ, quibus antè collum & facies ejus ornabatur, nunc egentium veſtes ſaturant; veſtes ſericæ & aurum in fila lenteſcens, in mollia lanarum veſtimenta mutata ſunt, quibus repellatur frigus, non nudetur ambitio.*

Tract. 173. in Ioan. Hom. 33. in ſer. de Magdal.

In vita, c. 1. In epiſt. ad Demetr. In epiſt. ad Pammach.

Poſtremò, inquit Greg. *Conſideravit quod fecit noluit moderari, quid faceret.* Et Bernardus, *oblita erat ſe amando mundum, oblita eſt ſe etiam amando creatorem mundi. Talis debet eſſe anima,* inquit, *cui multum dimittitur,* id eſt, qui intelligit ſibi multum dimitti, *multum diligit,* id eſt, multa dilectionis opera facit. Multum orat, multum jejunat, dolet.

Digitized by Google

dolet, ingemiſcit, eleëmoſynas facit, ut illud donum remiſſionis, quo *tot tituli damnationis eraduntur,* ut loquitur Tertul. lib. 2. de pœnit. conſequatur, aut ſi confidit ſe habere, ſemper ante oculos habet, gratias agit, diligit, & valde ſollicitus eſt, ne tantum benefactorem offendat. Sicut Magdalena, ante remiſſionem quid non fecit, ut eam impetraret? qua adepta, benefactori ſuo ſemper adhæret: ambulantem ſequitur & miniſtrat de facultatibus ſuis: docentem audit ſedulò, ſedens ſecus pedes ejus: venientem hoſpitio excipit ac fovet, patientem non deſerit, aſtat crucifixo intrepida, etiam non deeſt mortuo, ſuſcitato ad pedes procidit, tenere eum quærens: poſt ejus aſcenſionem, ut ſoli ſponſo vacaret, in vaſtâ altiſſimi montis ſpeluncam ſe contulit, ubi triginta annis vixit ab omni conſuetudine hominum ſejuncta; Luc. 8. Luc. 10. Ioan. 12. Ioan. 19. Marc. 16. Ioan. 20.

Namque famem, frigus, durum quoque, ſaxa, cubile,
Dulcia fecit amor, ſpeſque alto pectore fixa:

ut de ea canit Petrarcha.

Sed nunquid is qui à puero ſemper piè ac pudicè vixit, cauſam habet non multùm diligendi Deum, quia non multùm ei dimittitur? Abſit. *Omnia peccata ſic habenda tanquam dimittantur, à quibus Dominus cuſtodit ne committantur: & ideo ſi ſemper bene vixiſti, ardentiùs debes diligere eum, qui flagitioſis ad ſe converſis, quæcunque dimiſit, in ea te cadere non permiſit. Noli modicum diligere, quaſi à quo tibi modicum dimiſſum eſt; ſed potiùs multum dilige, à quo tibi multum tributum eſt. Si enim diligit, cui donatum eſt ne redderet, quantò magis debet diligere, cui donatum eſt, ut haberet? Nam quiſquis ex impudico pudicus* Vide Aug. hom. 23. inter 50. De S. Virg. cap. 39. 40. & ſeq.

 fit,

ſit, ab illo corrigitur; quiſquis autem ab initio pudicus permanet, ab illo regitur. Agnoſce ergo gratiam eius, cui debes & quod non admiſiſti. Mihi debet iſte quod factum eſt, & dimiſſum vidiſti: mihi debes & tu, quod non admiſiſti. Nullum enim peccatum eſt, quod facit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit rector à quo factus eſt homo. Ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit: ut deeſſet, ego feci, (ait Dominus apud Aug.) *Non defuit ſuaſor, ſed locus & tempus defuit; ut deeſſet, ego feci. Non defuit ſuaſor, non defuit tempus & locus, ut non conſentires, ego terrui.*

Aug. Hom. 23. lib. 50. Hom.

Ser. 114. in Nov.

Hinc idem Aug. in Confeſſ. *Gratiæ tuæ* (Domine) *deputo, & miſericordiæ tuæ, quod peccata mea, tanquam glaciem ſolviſti: gratiæ tuæ deputo, & quæcunque non feci mala. Quid enim non facere potui? Et omnia mihi dimiſſa eſſe fateor, & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci. Quis eſt hominum, qui ſuam cogitans infirmitatem, audet viribus ſuis tribuere caſtitatem atque innocentiam ſuam, ut minùs amet te, quaſi minùs ei neceſſaria fuerit miſericordia tua, qua donas peccata converſis ad te? Qui enim vocatus à te, ſecutus eſt vocem tuam, & vitavit ea, quæ me de meipſo recordantem & fatentem legit, non me derideat ab eo medico ægrum ſanari, à quo ſibi præſtitum eſt, ut non ægrotaret, vel potius ut minus ægrotaret. Et ideo te tantundem, imò verò amplius diligat, quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum ſe videt tantis peccatorum languoribus non implicari.* Sic & Aug.

Li. 2. Conf. cap. 7.

MONI

MONITUM CXV.

Attraxi te miſerans.

Hierem. 31.

CAuſa præcipua converſionis D.Aug. eſt Dei gratia. *Quæ enim procuratio ſalutis*, inq. ipſe, *præter manum tuam, Domine, reficientem quæ feciſti?* Sed id agit certis modis, iiſque miris ſæpe, & occultis. Aliæ cauſæ variæ ſunt. Prima, preces & lachrymæ matris, quæ profluentes rigabant terram ſub oculis ejus in omni loco orationis ejus. *Oſtendi*, inq. ipſe, *in Confeſſionibus meis, me fidelibus & quotidianis matris meæ lachrymis ne perirem, fuiſſe conceſſum. Flebat enim illa mortem meam, quam videbat ex fide & ſpiritu, quem ex te, Domine, habebat, amplius quàm flent matres corporea funera. An verò tu, Deus miſericordiarum ſperneres cor contritum & humiliatum viduæ caſtæ & ſobriæ, frequentantis eleemoſynas, obſequentis atque ſervientis ſanctis tuis, nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum, bis in die, manè & veſperi; ad Eccleſiam tuam ſine ulla intermiſſione venientis, non ad vanas fabulas, aut aniles loquacitates, ſed ut te audiret in tuis ſermonibus, & tu illam in ſuis orationibus. Hujuſne tu lachrymas, quibus non à te aurum & argentum petebat, nec aliquod mutabile aut volubile bonum, ſed ſalutem animæ filii ſui, in cujus munere talis erat, contemneres & repelleres ab auxilio tuo? Nequaquam, Domine; imò verò aderas, & exaudiebas, & faciebas ordine quo prædeſtinaveras eſſe faciendum. Abſit ut tu fal-*

Li.5.Conf. cap.7.

De bono perſev. cap.20.

Lib.3.Conf cap.11.

lib.5.cap.9.

leres eam in viſionibus & reſponſis tuis, quæ illa fideli pectore tenebat, & ſemper orans tanquam chirographa tua ingerebat tibi. Viſio una eſt, qua vidit filium juxta ſe in eadem regula ſtantem. Reſponſum, quo audivit: Fieri non poteſt, ut filius iſtarum lachrymarum pereat, quod illa ita accepit, ac ſi de cœlo ſonuiſſet.

Lib. 3. Conf. c. 10. & 11.

Secunda cauſa, prædicatio D. Ambroſ. quem in populo rectè tractantem verbum veritatis omni die Dominico audiebat. *Ambroſium veneror,* inquit ipſe, *ut patrem; in Chriſto enim Ieſu per Evangelium ipſe me genuit, & eo Chriſti miniſtro lavacrum regenerationis accepi.* Et in Conf. *Veni,* inquit, *Mediolanum ad Ambroſium Epiſcopum, in optimis notum orbi terræ, pium cultorem tuum, cujus tunc eloquia ſtrenuè miniſtrabant adipem frumenti tui, & lætitiam, & ſobriam vini ebrietatem populo. Ad eũ autẽ ducebar abs te neſciens, ut per eum ad te ſciẽs ducerer. Suſcepit me paternè ille homo Dei, & peregrinationẽ meã ſatis epiſcopaliter dilexit. Et eũ amare cœpi, primò quidẽ, nõ tãquã doctorẽ veri, quod in Eccleſia tua prorſus deſperabã, ſed tanquã hominem benignũ in me. Et ſtudioſè audiebã diſputantem in populo, non intentione qua debui, ſed quaſi explorãs ejus facũdiam, utrum conveniret famæ ſuæ, an major minórve profluéret, quã prædicabatur: & verbis ejus ſuſpẽdebar intentus, rerum autem incurioſus aſtabam. Et tamen propinquabam ſenſim, & neſcivi. Cùm enim non ſatagerem diſcere quæ dicebat, ſed tantum quemadmodũ dicebat ea audire, veniebant in animum meum ſimul cum verbis quæ diligebam, res etiam, quas negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad excipiẽdum quàm diſertè diceret, pa-*

Lib. 6. c. 3. 2. Tim. 2. Cont. Iulia lib. 1. cap. 3. Lib. 5. cap 13. Conf.

Li. 5. Conf. cap. 14.

riter

riter intrabat, & quàm verè diceret, gradatim quidem.

Tertia cauſa, difficultates & amaritudines, quas in terrenis bonis ac voluptatibus experiebatur. *Exceſſi,* inquit, *omnia legitima tua, nec evaſi flagella tua. Quis enim hoc mortalium? Nam tu ſemper aderas miſericorditer ſæviens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas jucunditates meas, ut ita quærerem ſine offenſione jucundari. Et ubi hoc poſſem, non invenirem quicquam præter te, Domine, præter te qui fingis dolorem in præcepto, & percutis ut ſanes, & occidis nos, ne moriamur abs te.* Et rurſum; *Inhiabam honoribus, lucris, conjugio: patiebar in eis cupiditatibus amariſſimas difficultates, te propitio tantò magis, quantò minùs ſinebas mihi dulceſcere, quod non eras tu. Nunc tibi inhæreat anima mea, quam de viſco tam tenaci mortis exuiſti. Quàm miſera erat, & ſenſum vulneris tu pungebas, ut relictis omnibus converteretur ad te, qui es ſuper omnia, & ſine quo nulla eſſent omnia, converteretur & ſanaretur. Quàm miſer eram, & quomodo egiſti ut ſentirem miſeriam meam,* &c. Ac ibidem; *In omni amaritudine, quæ noſtros ſæculares actus de miſericordia tua ſequebatur intuentibus nobis finem, cur ea pateremur, occurrebant tenebræ, & averſabamur gementes, & dicebamus: Quamdiu hæc?* Rurſus loquens de voluptate carnali; *Deus meus,* inquit, *miſericordia mea, quanto felle mihi ſuavitatem illam, & quàm bonus aſperſiſti? Colligabar enim lætus ærumnoſis nexibus, ut cæderer virgis ferreis ardentibus zeli, ſuſpicionum & timorum, irarum atque rixarum.*

Li.2. Conf. cap.2.

Pſalm.93. Deut.32. Lib.6.c.6.

Cap.10.

Li.3 Conf. cap.1.

Quarta, Timor & Pudor, ut ipſe ad Dominum: *Inſtabas tu in occultis meis, flagella ingeminãs timoris & pudoris, ne ceſſarem.* Timor mortis & divini judicii.

Lib.8 c 1.

Lib.6.c.ult

dicii. *Non me revocabat*, ait, *à profundiore voluptatũ gurgite, niſi metus mortis, & futuri judicii, qui per va-*
lib.7.cap.5 *rias quidem opiniones, nunquam tamen receſſit de pe-ctore meo.* Et iterum : *Talia volvebam pectore miſero*
lib.6.c.11. *ingravidato curis mordaciſſimis de timore mortis.* Unde & horum conſideratione ſe ſuoſque ad converſionem hortabatur : *Pereant omnia, & dimittamus hæc vana & inania, conferamus nos ad ſolam inquiſitionem veritatis. Vita hæc miſera eſt, mors incerta, Si ſubitò obrepat, quomodo hinc exibimus. Aut ubi nobis, diſcenda ſunt, quæ hic neglexímus? An nõ potius hujus negligentiæ ſupplicia luenda ſunt? Quid cunctamur igitur, relicta ſpe ſæculi, conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitam beatam?* Pudor in eo naſ-
lib.8.cap.7 cebatur, quando audiebat vel conſiderabat exempla Sanctórum. Sic audita vita S. Antonii, & aliorum, ita ad ſe. *Ubi es lingua? nempe tu dicebas, propter incertum verum, nolle te abjicere ſarcinam vanitatis: ecce jam certum eſt, & illa te adhuc premit. Et rodebar intus, & confundebar pudore horribili vehemẽ-*
lib.8.cap.8 *ter, cũ Potitianus talia loqueretur, &c.* Ad Alip. verò: *Quid patimur? quid eſt hoc? quid audiſti? Surgunt indocti, & rapiunt cœlum, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur, in carne & ſanguine.*
Lib.8.c.11. *An quia præceſſerunt, pudet ſequi; & non pudet, nec ſaltem ſequi?* Sic Continentia oſtendens illi omnis ætatis & ſexus exempla bona: *Irridebat me*, inquit, *irriſione adhortatoria, quaſi diceret: Tu non poteris quod iſti & iſtæ? An verè iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo? Quid in te ſtas, & nõ ſtas? Dominus Deus eorum me dedit eis. Projice te ſecurus, excipiet te, & ſanabit te. Et erubeſcebã nimis,* inquit, *quia illarum nugarum murmur adhuc audie-*

bam,

Digitized by Google

bam, & cunctabundus pendebam. Et rurſus illa, quaſi diceret: Obſurdeſce adverſus immunda illa membra tua ſuper terram, ut mortificentur. Narrant tibi delectationes, ſed non ſicut lex Domini Dei tui.* Coloſſ. 3. Pſal. 118.

In ejus autem Converſione primò agnoſcitur *vis gratiæ Dei, quæ à nullo duro corde reſpuitur. Manũ tuam, Domine,* ait ipſe Aug. *non repellit duritia hominum, ſed ſolvis eam cùm voles, aut miſerans, aut vindicans, & non eſt qui ſe abſcondat à calore tuo. Omnipotentiam ſuam Deus parcendo maximè, & miſerando manifeſtat, dum ad ſe rebellem compellit voluntatem,* ut in Miſſa dicit Eccleſia. Deinde aguntur Deo gratiæ de tam inſigni dono. Aug. jam converſus, quoties repetit: *O Domine! quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus,* &c. Et, *Domine, quis ſimilis tibi?* Et, *Serò te amavi, ſerò te amavi.* Et de aliis: *Dicent*, inq. *qui adorant te, cùm hæc audiunt: Benedictus Deus in cœlo & in terra, magnum & mirabile nomen ejus.* Denique *excitatur cor peccatoris legentis vel audientis, ne dormiat in deſperatione, & dicat: Non poſſum, ſed evigilet in amore miſericordiæ Dei, & dulcedine gratiæ ejus, qua potens eſt omnis infirmus, qui ſibi per ipſam fit conſcius infirmitatis ſuæ.* Aug. de prædeſt. Sanct. c. 8. Lib. 5. Conf cap. 1. Pſal. 18. Dom. 10. poſt Pentecoſt. & 4 in Secreta. Lib. 8. c. 1. & lib. 9. ca. 1. lib. 10. cap. 27. lib 8. cap. 1. Lib. 10. ca. 3

MONITUM CXVI.

Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.

Philip. 3.

PAſcha, tranſitum ſignificat. Chriſti Paſcha, eſt tranſitus ejus ex hoc mundo ad Patrem noſtrum

noſtrum erit, quando de morte tranſibimus ad vitam, de quo Chriſtus: *Qui credit in me, in judicium non venit, ſed tranſiet de morte ad vitam.* Hæc eſt Sanctorum conſolatio in morte: ideo eam libenter ſuſcipiunt. Sed hoc Paſcha debet aliud præcedere Paſcha ſeu tranſitus, qui etiam ſignificatus eſt in morte & reſurrectione Chriſti, videlicet tranſitus de peccato ad juſtitiam, de ſuperbia ad humilitatem, de impudicitia ad caſtitatem, &c. Sic Apoſtolus: *Chriſtus traditus eſt propter delicta noſtra, ut in morte,* inquit S. Aug. *oſtenderet veteris hominis occaſum; & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, ut in reſurrectione oſtenderet vitæ noſtræ novitatem*; & hoc quoque moriendo & reſurgendo effecit. Et, *Quomodo Chriſtus,* inquit, *reſurrexit ad gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Ioan. 5.
Rom. 4.
Serm. 66. in Nov. 1
Rom. 6.

Duplex ergo Paſcha celebrare debent Chriſtiani: unum in re, alterum in ſpe. Primum eſt de peccato ad juſtitiam. Secundum de morte ad vitam. Hoc ſolum celebravit Chriſtus, quia peccatũ de quo reſurgeret, non habebat. Reſurrectioni autem juncta debet eſſe perſeverantia. *Chriſtus enim reſurgens ex mortuis, jam non moritur.* Sic Chriſtianus reſurgens à morte peccati, ad illud redire non debet, ſicut plerique faciunt, quibus contingit illud veri proverbii: *Canis reverſus ad vomitum ſuum.* Et, *Sus lota in volutabro luti. Soli perſeverantiæ inſidiatur Diabolus, quam ſolam inter virtutes novit coronari,* inquit Bern. *Beatus,* ait Ioannes, *qui habet partem in reſurrectione prima, quæ eſt de peccato ad juſtitiam: in his ſecunda mors non habet poteſtatem*, id eſt, habebit partem in reſurrectione ſecunda, qua reſurgitur ad æternam & felicem

Ibidem.
2. Pet. 2.
Epiſt. 32.
Apoc. 20.
De Civit. lib. 22. cap. ultimo.

Digitized by Google

ſelicem vitam,ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum,ubi *Deus erit omnia in omnibus.* 1.Cor.15.

Decet autem corpora noſtra vivificari, & Chriſti corpori ſimilia fieri.Primò,quia nunc inhabitantur a Spiritu ſancto.*Neſcitis*, inquit Apoſtolus, *quia membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti?* 1.Cor.6. Quantumvis miſerum & afflictum corpus juſti, in eo tanquam in templo habitat Spiritus ſanctus.*Si Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Ieſum à mortuis, habitat in vobis*, inquit Paulus, *qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra,propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*. Rom.8. Argumentum D.Pauli eſt tale: ſi Chriſtus in vobis eſt,ergo & Spiritus ejus, quia opera Trinitatis ſunt indiviſa; is autem Chriſtum vivificavit,ergo *& vivificabit mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis.* Dicit autem mortalia,non mortua; *quia ſic vivificabit*, ait Sanctus Auguſtinus,*ut amplius non ſint futura mortalia.* Lib.1.c.5. de peccat. merit.

Deinde *corpora noſtra membra ſunt Chriſti*, ait Apoſt.ergo etiam ſuſcitabuntur,quia Chriſtus totus & perfectus reſurget, caput cum corpore, & omnibus membris. 1. Cor.6. *Nemo aſcendit in cœlum*,inquit Chriſtus, *niſi filius hominis, qui deſcendit de cœlo.* Ioan.3. Quæ ergo nobis ſpes reliqua,ſi ſolus Chriſtus?Sic ſolus Chriſtus,ut tamen totus Chriſtus,ait S.Aug. In Pſal.86. Sic Paulus, & quiſque Chriſtianus, *adimplet ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti*,non deſunt capiti,ſed deſunt corpori: compati enim debet corpus capiti, ut conglorificetur. Col.1. Alioqui paſſio ejus in ſe ſufficiens fuit ad redemptionem generis humani; ſed nos patiendo ejus efficimur participes:

noſtrum erit, quando de morte tranſibimus ad vitam, de quo Chriſtus: *Qui credit in me, in judicium non venit, ſed tranſiet de morte ad vitam.* Hæc eſt Sanctorum conſolatio in morte: ideo eam libenter ſuſcipiunt. Sed hoc Paſcha debet aliud præcedere Paſcha ſeu tranſitus, qui etiam ſignificatus eſt in morte & reſurrectione Chriſti, videlicet tranſitus de peccato ad juſtitiam, de ſuperbia ad humilitatem, de impudicitia ad caſtitatem, &c. Sic Apoſtolus: *Chriſtus traditus eſt propter delicta noſtra, ut in morte,* inquit S. Aug. *oſtenderet veteris hominis occaſum; & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, ut in reſurrectione oſtenderet vitæ noſtræ novitatem;* & hoc quoque moriendo & reſurgendo effecit. Et, *Quomodo Chriſtus,* inquit, *reſurrexit ad gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Ioan. 5.

Rom. 4. Serm. 66. in Nov. 1

Rom. 6.

Duplex ergo Paſcha celebrare debent Chriſtiani: unum in re, alterum in ſpe. Primum eſt de peccato ad juſtitiam. Secundum de morte ad vitam. Hoc ſolum celebravit Chriſtus, quia peccatũ de quo reſurgeret, non habebat. Reſurrectioni autem juncta debet eſſe perſeverantia. *Chriſtus enim reſurgens ex mortuis, jam non moritur.* Sic Chriſtianus reſurgens à morte peccati, ad illud redire non debet, ſicut plerique faciunt, quibus contingit illud veri proverbii: *Canis reverſus ad vomitum ſuum.* Et, *Sus lota in volutabro luti. Soli perſeverantiæ inſidiatur Diabolus, quam ſolam inter virtutes novit coronari,* inquit Bern. *Beatus,* ait Ioannes, *qui habet partem in reſurrectione prima, quæ eſt de peccato ad juſtitiam: in his ſecunda mors non habet poteſtatem,* id eſt, habebit partem in reſurrectione ſecunda, qua reſurgitur ad æternam & felicem

Ibidem.

2. Pet. 2.

Epiſt. 32.

Apoc. 20.

De Civit. lib. 22. cap. ultimo.

Digitized by Google

felicem vitam, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, ubi *Deus erit omnia in omnibus.* 1.Cor.15.

Decet autem corpora noſtra vivificari, & Chriſti corpori ſimilia fieri. Primò, quia nunc inhabitantur à Spiritu ſancto. *Neſcitis*, inquit Apoſtolus, *quia membra veſtra templum ſunt Spiritus* 1.Cor.6. *ſancti?* Quantumvis miſerum & afflictum corpus juſti, in eo tanquam in templo habitat Spiritus ſanctus. *Si Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Ieſum à mortuis, habitat in vobis*, inquit Paulus, *qui ſuſcitavit* Rom.8. *Ieſum Chriſtum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Argumentum D. Pauli eſt tale: ſi Chriſtus in vobis eſt, ergo & Spiritus ejus, quia opera Trinitatis ſunt indiviſa; is autem Chriſtum vivificavit, ergo *& vivificabit mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis.* Dicit autem mortalia, non mortua; *quia ſic vivificabit*, ait Sanctus Auguſtinus, *ut amplius non ſint futura mortalia.* Lib.1.c.5. de peccat. merit.

Deinde *corpora noſtra membra ſunt Chriſti*, ait 1.Cor.6. Apoſt. ergo etiam ſuſcitabuntur, quia Chriſtus totus & perfectus reſurget, caput cum corpore, & omnibus membris. *Nemo aſcendit in cœlum*, inquit Ioan.3. Chriſtus, *niſi filius hominis, qui deſcendit de cœlo.* Quæ ergo nobis ſpes reliqua, ſi ſolus Chriſtus? Sic In Pſal.86. ſolus Chriſtus, ut tamen totus Chriſtus, ait S. Aug. Sic Paulus, & quiſque Chriſtianus, *adimplet ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti*, non deſunt capiti, ſed Col.1. deſunt corpori: compati enim debet corpus capiti, ut conglorificetur. Alioqui paſſio ejus in ſe ſufficiens fuit ad redemptionem generis humani; ſed nos patiendo ejus efficimur participes:

pes & ipſe *paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus*. Demus ergo operam, ut ſimus & maneamus membra Chriſti, vinculo fidei & charitatis ei, cæteriſque Chriſtianis conjuncti.

Tertiò corpora noſtra nunc paſcuntur immortali ejus carne, ergo etiam aliquãdo erunt immortalia. Unde D. Iren. contra negantes carnis reſurrectionem; *Quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur?* Et rurſum: *Quomodo dicunt carnem in corruptionem venire, & non percipere vitam, quæ à corpore & ſanguine Domini alitur?* Sic D. Cyril. poſtquam oſtendiſſet in exſuſcitãdis mortuis, carnem quoque ſuam velut cooperatricẽ nonnunquam adhibuiſſe, ut oſtenderet carnem quoque ſuam, quoniam ſibi conjuncta eſt, vivificam eſſe: *Quod ſi*, inquit, *ſolo tactu ſuo corrupta redintegrantur, quomodo non vivemus, qui carnem illam & guſtamus & manducamus? Reformabit enim omninò ad immortalitatem ſuam participes ſui. Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, inquit Chriſtus.

Lib. 5. adverſus hæreſes. lib. 4. c. 35. lib. 4. in Ioan. c. 14.

Ioan. 6.

Vide Hieron. ad Pammach.

Denique juſtum eſt, ut illa caro quæ fuit animæ inſtrumentum ad laborem, quo pertigit ad vitam, ipſa etiam particeps ſit præmii & ſalutis. Sicut contrà juſtum eſt, ut illa caro, quæ fuit animæ inſtrumentum ad peccatum, quo pertigit ad damnationem, ipſa etiam particeps ſit mortis & damnationis. Felici vel infelici vinculo rurſum colligabuntur, & ſicut hic ſociantur in operibus bonis vel malis, ita ibi ſociabuntur in gaudiis vel pœnis. *Excitabuntur*, inquit D. Cyr. *æterna habentes corpora, omnes autem ſimilia. Sed qui eſt juſtus, corpus accipiet*

Cyril Hieroſ. Catecheſi 18.

cœleſte, ut poſſit cum Angelis dignè converſari; ſi verò peccator eſt, accipiet corpus æternum, ut æterno in igne ardeat, & nunquam diſſoluatur. Et juſtè utriſque his ordinibus Deus hoc præbebit: Nihil enim ſine corpore à nobis geſtum eſt. Blaſphemamus per os, oramus per os, luxuriamur corpore, caſti ſumus per corpus: rapimus per manus, eleemoſynas damus per manus, & reliqua ſimiliter. Nõ poſſunt, inq. Tert. *ſeparari in mercede* (anima & caro) *quas opera conjungit*. Chryſoſt. etiam urget juſtitiæ rationem, contra eos qui dicunt, quod aliud excitatur corpus. *Unde, dic oro,* ait, *aliud peccavit, aliud punietur: aliud benefecit, aliud coronabitur? Non enim quando miniſtrant animæ corpora, ad hoc vel illud vitium vel virtutem, abſque retributionibus ſtabunt, ſed cum anima hæc puniuntur, illa coronantur. Unde & Apoſtolus eos qui affliguntur ſpe reſurrectionis animans, dicit tum unumquemque relaturum quæ per corpus geſſit.* In lib. de carnis Reſurrect. Hom. 10. in 2. ad Corinth. 2. Cor. 5.

Hoc argumentum adeò urgens putavit Tertul. ut diceret, *hanc totam eſſe cauſam, imò neceſſitatem reſurgendi, Dei ſcilicet in homines judicium & plenitudinem, perfectionemque juſtitiæ de totius hominis repræſentatione, ideoque in utraque ſui parte exhibendum, quem totum oporteat judicari*. Et rurſum: *Deũ,* inq. *non licet aut injuſtum judicem, aut inertem credi: injuſtum, ſi ſociam bonorum operum à præmiis arceat: inertem, ſi ſociam malorum à ſupplicis ſecernat*. Sic & Chryſ. *Si reſurrectio ſublata eſt, meritorum quoque retributio tollitur: gratis igitur juſti preſſuras doloréſque tolerarunt*. Iuſtitiæ etiam rationem urget D. Hier. *Iuſtum eſt*, inquit, *ut qui ſuper mortificationem Chriſti in corpore noſtro circumtulimus, vita quoque Ieſu manifeſtetur in corpore noſtro mortali,* Ibid. Ibidem. In cap. 2. 1. ad Cor. Ad Pammach contra errores Ioan. Hieroſol.

id

id eſt, in carne mortali ſecundùm naturam, æterna autem ſecundùm gratiam. Et cogente veritate, invitus licèt, confeſſus es, quod unicuique Deus reddet ſecundùm quod egit per corpus, ſive bonum, ſive malum, ſcilicet aut coronandus in corpore, quod caſtè egit & juſtè: aut condemnandus in corpore, quòd voluptatibus pariter, iniquitatibuſque ſervivit.

Curet ergo quiſque diligenter, ſi glorioſam cum Chriſto reſurrectionem conſequi velit, ut Spiritus ſancti ſit habitaculum, ut Chriſti membrum, ut ſæpè carne ejus immortali paſcatur, & corpus ſuum in bonis operibus exerceat. Ad quod frequenter hortatur Apoſtolus: *Glorificate*, inquit, *& portate Deum in corpore veſtro.* Et, *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato. Sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, & membra veſtra, arma juſtitiæ.* Et rurſum, *Obſecro vos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem*: quòd fit, ut D. Aug. docet, *quando corporis, quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam inſtrumento utitur anima, bonus ac rectus uſus ad Deum refertur.*

1. Cor. 6. Rom. 6. Rom. 12. De Civit. li. 10. c. 6.

Addendum hîc eſt myſterium tridui ex Sancto Auguſt. Dicitur in Symbolo: *Tertia die reſurrexit à mortuis.* Videndum quid his tribus diebus in Chriſto contigerit. Prima die tulit crucem ſuam, ac in ea mortuus eſt. Significat hic dies tempus vitæ noſtræ, in qua cuique dicitur: *Tolle crucem tuam, & ſequere me.* Et, *Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.* Hæc eſt hujus mortalitatis conditio, manducare panem doloris. Felix

Epiſt. 119. Matt. 10. Pſal. 162.

lix qui intelligit. Unde Chriſtus & Apoſtoli ſemper de tribulationibus loquuntur. *In mundo preſſuram habebitis. Qui piè volunt vivere, perſecutionem patientur.* Non eſt ergo quod Chriſtiani hic bona temporalia expectent. *Quod Evangelium non promittit, nolite vobis ipſi promittere*, ait D. Auguſtinus. Ioan.16. 1.Tim.2. In Pſal.96.

Secunda die anima Chriſti fuit ſeparata à corpore. Corpus jacuit in ſepulchro, requievit in ſpe, ut ipſe in anima etiam ſuam habuit requiem. Significat hic dies tempus à morte uſque ad adventum Domini, quo corpora noſtra requieſcent in ſepulchro, & animæ piorum habebunt ſuam requiem; ſive ſtatim in cœlo, ſi fuerint hic plenè purgatæ: hoc enim definitum eſt in Conc. Flor. & probat Divus Hieronymus contra Vigilant. qui dicebat, *eas teneri in cuſtodia, uſque ad diem judicii*. Vel in purgatorio, ubi etiam dicuntur ab Eccleſia animæ *quieſcere in Chriſto, & dormire in ſomno pacis*, propter æternæ ſalutis certitudinem, de qua ſunt omninò ſecuræ, ex qua re magnum capiunt ſolatium, tametſi adhuc precetur eis requiem æternam. Pſal.15. In Concluſione Concilii. In Canon. Miſſæ.

Tertia die anima Chriſti rediit ad corpus, ſicque reſurrexit ad vitam glorioſam & immortalem. Significat hic dies tempus reſurrectionis & judicii, in quo animæ juſtorum rurſum ſuis corporibus conjungentur, & reſurgent: & depoſita omni corruptela ac miſeria, *videbunt regem in decore ſuo*, & timore malorum ſublato, æterna ſecuritate perfruentur. Unde Ozeas: *Vivificabit nos poſt duos dies, & die tertia ſuſcitabit nos.* Quia Chriſti reſurrectio eſt cauſa noſtræ, non Iſai.33. Ozeæ c.6.

meri

Digitized by Google

meritoria, ſed efficiens & exemplaris: efficiens quidem, quatenus humanitas inſtrumentum Divinitatis eſt, & operatur in virtute ejus. Exemplaris autem, quia Chriſti reſurrectio, ut fuit prima tempore, ita etiam eſt dignitate & perfectione. Semper autem id quod eſt perfectiſſimum, eſt exemplar ejus, quod eſt imperfectum in illo genere. Unde Paulus: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Quod eleganter docet D. Thom.

Philip. 3. Part. 3. q. 56. art. 1.

MONITUM CXVII.

Advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum.

1. Ioan. 2.

CHriſtus Advocatus noſter dicitur ſecundùm humanam naturam. Sicut enim advocatus apud judicem impedit, quatenus poteſt, rei damnationem, accuſatorem repellens, ita & Chriſtus apud patrem rejicit accuſatorem Satanam; & patrem placando, æternam noſtri damnationem avertit. *Ut Ieſus homo eſt* (inquit Gregor. Nazianz.) *etiam nunc pro ſalute noſtra legationem obit, quando corpus quod aſſumpſerat, etiam nunc habet. Obit inquam legationem tantiſper, dum per hoc, quod ipſe factus eſt homo, me Deum faciat.* Sic ille.

Vide Heſſ. in 1. Ioan. 1 Canonic.

Tria autem ſunt advocati officia. Primum, ſolet Advocatus Iudicem placaturus, ea allegare, quibus

bus citra rei damnationem juſtitiæ ſatisfiat: ſimiliter & advocatus Chriſtus profert apud Patrem ſanguinem ſuum, tanquam peccatorum noſtrorum redemptionem. *Introiit* (ait Apoſtolus) *cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*: hoc eſt, in cœlo, ubi Deus videtur, commemorat ſemper Chriſtus paſſionem ſuam, ut patrem ſuum placatum nobis reddat. Ut enim ait S. Amb. *Hic umbra, hic imago, in cœlo veritas. Umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœleſtibus. Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus: nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe quaſi Sacerdos, ut peccata noſtra dimittat: hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud patrem pro nobis quaſi advocatus intervenit.* Quod hoc ſenſu dicit Amb. quia videlicet hîc velatus, ibi verò apertus; hîc in recordationem & ſignificationem tranſactæ jam paſſionis offertur. Quemadmodum ergo nos Dominicæ paſſionis memoriam jugiter in Miſſa recolimus, & pro electis omnibus Chriſtum paſſum patri offerimus; ita Chriſtus ipſe ſemper ſeſe Patri offert, mortuum ſe pro peccatis noſtris allegans.

Hebr. 9. lib. 1. Off. cap. 48.

Secundum advocati officium, ut Judicem placet, proferre humilitatem, & preces rei, & quicquid is boni habet: conſimilem in modum allegat Chriſtus apud Patrem fidei noſtræ confeſſionem. Hinc Paulus *Apoſtolum eum vocat, & Confeſſionis noſtræ Pontificem.* Et Synodus Epheſina prima: *Appellatũ*, inq. *dicimus unigenitũ à Paulo Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ, tanquã ſacrificantem Deo & Patri fidei noſtræ confeſſionem, quæ à nobiſipſis, & per ipsũ ipſi Deo patri inceſſanter offertur.*

Hebr. 3.

Unde Apoſtolus gratias agit Patri per Chriſtum de
Roman. 1. *fide Romanorum*. Sicut enim fidei noſtræ confeſſionem gratiarum actione Deo ſacrificat, ita quoque & preces, & reliqua noſtra opera bona. Hinc
1. Pet. 2. Petrus offerre nos ait *Deo hoſtias ſpiritales, acceptabiles ei per Ieſum Chriſtum*, ut ſicut omnia Dei dona per Chriſtum in nos effunduntur, ita rurſus Deo per Chriſtum offerantur, & ad eum redeant.

Lib. 11. in Ioan. c. 11. Epheſ. 2. Ioan. 14. *Nullus*, inq. Cyrill. *accedit ad Patrem, niſi per filiũ, per quem adductionem habemus ad Patrem in Spiritũ, ut ſcriptum eſt. Ideo ſe portam & viam appellat, quia*, inq. *nemo venit ad Patrem, niſi per me. Nam in quantum filius & Deus eſt, unà cum patre nobis bona largitur: in quantum verò Mediator eſt, & Pontifex, & paracletus (id eſt advocatus) noſtras preces ad patrem adducit: Ipſe enim nobis libertatem atque fiduciam ad patrem largitur. Orandum igitur in nomine Salvatoris eſt, ſi exaudiri à Patre volumus.* Hæc Cyr. Similia habet & V. Beda ſcribens in 8. cap. Apoc. ubi interpretatur illud de Chriſto: *Stetit Angelus ante Altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt*
Beda in c. 2. Apoc. *ei incenſa multa, ut daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum, & aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo. Chriſto*, ait Beda, *delegavit Eccleſia preces ſuas dicens: Dirigatur oratio*
Pſal. 140. *mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Accepiſſe autem de orationibus ſanctorum idem Chriſtus dicitur, & obtuliſſe, quia per ipſum omnium poſſunt preces ad Deum ſuaviter pervenire: ipſo Chriſto domino ſe hoſtiam ſuavitatis offerente, compunctio cordis ſanctorum acceptabilis facta eſt.*

Tertium advocati officium eſt, apud Iudicem agere,

agere, ut gratioſe cum reo agatur, nec eum tractet ſecundùm rigorem juſtitiæ. Sic & Dominus Ieſus, teſte Apoſtolo, *pro nobis interpellat.* Interpellat autem, hoc eſt, poſtulat: uti interpretatur Aug. Evidenter quippe de Chriſto dicitur: *Advocatum habemus apud Patrem, & ipſe eſt exoratio pro peccatis noſtris.* Ideo autem non dixit Apoſtolus ſimpliciter orat, ſed interpellat; quia explicare voluit ardentem Chriſti pro nobis charitatem, & ſollicitudinem. Valde enim diligenter poſtulant, qui non expectata opportunitate, vel donec alteri vacet, audacter interpellant poſtulaturi. Rom. 8. Epiſt. 59. ad Paulin.

Non eſt autem carnaliter intelligenda Chriſti oratio ad Patrem, *tanquam in alio loco Pater ſedeat, in alio Filius ante Patrem ſtet, ſpatia ſua quæque amborum occupantibus molibus, & quaſi Filius verba faciat pro nobis, intervallo interpoſito inter os loquentis, & auriculas audientis:* aut quaſi Chriſtus ibi ingemiſcat, miſerabiles voces edat, vel corpus ſuum humiliter collocet, flectens genua, vel procidens in faciem. Hæc enim omnia Spiritui incorporeo Deo Patri non conveniunt, & Chriſtum ſecundum humanam naturam in illo loco felicitatis plenè beatum non decent. Sed ideo orat Chriſtus Deum, quia cùm ſecundùm humanam naturam non ſit omnipotens, qui ſua virtute poſſit hominem reparare, id tamen valde à Deo fieri deſideret. Hoc ergo deſiderium, quando ſe potentiori Deo aperit & explicat, orare dicitur: eo quod nihil aliud ſit oratio, quàm explicatio deſiderii apud potentiorem, inducens eum, ut is deſiderium compleat. Aug. tract. 102. in Io.

Sed ſi Chriſtus paſſione ſua promeruit ſalutem

 ele

Digitized by Google

electorum, quid opus oratione? Quemadmodum operarius, qui ſuo labore aliquam pecuniæ ſummam lucratus eſt, tamdiu rectè inſtat pro mercede, quamdiu non totam accepit. Sic Chriſtus nondum totum habet, quod ſua paſſione promeruit, videlicet, ſalutem omnium electorum: orat ergo donec totum habeat. Unde S. Aug. conſtanter aſſerit, Chriſtum nunc etiam pro nobis orare. *Impleat dominus*, inquit, *ô Chriſte, omnes petitiones tuas, non ſolum petiones quas habuiſti in terra, ſed etiam quibus in cœlo interpellas pro nobis.*

In pſal. 19. & 29. in præfat. lib. 1. de Trin. cap. 10.

Inter tria advocati Chriſti officia, maximè excellit quod primo loco poſitum eſt, nempe quod Patri paſſionem ſuam pro peccatis noſtris offerat: ac deinde tertium. Orationem autem pro nobis non offert Deo patri, niſi per paſſionem ſuam, & ea quæ in humana natura in hac vita geſſit: nititur enim omnis oratio ejus merito paſſionis ejus. Unde V. Beda: *Unigenito*, inquit, *filio pro homine interpellare, eſt apud coæternum patrem, ſeipſum hominem demonſtrare: eique pro humana natura rogaſſe, eſt eandem naturam in Divinitatis celſitudinem ſuſcepiſſe. Interpellat ergo pro nobis Dominus, non voce*, (ſcilicet miſerabili) *ſed miſeratione, quia quod damnare in electis noluit, ſuſcipiendo ſervavit.*

Ex Greg. li. 21. Moral. cap. 18.

Porrò D. Chryſoſt. in c. ad Rom. ſcribens, negat Chriſtum orare pro nobis ſecundùm Divinitatem; ſicut dicit non ſimpliciter intelligendum, quod ait Apoſtolus: *Proprio filio non pepercit Deus*: nam ſecundùm Divinitatem Chriſtus non fuit afflictus, quemadmodum S. Auguſtinus illud Joannis: *Et non dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis*, interpretatur de Chriſto ſecundùm Divini

Homil. 15.

Rom. 8.

Joan. 16.

Divinitatem. Certè ſequaces Chryſoſt. Theophilactus, & Oecumenius nihil dubitant aſſerere, Chriſtum nunc pro nobis orare ſecundùm quod homo eſt.

Cæterùm advocati appellatio juxta univerſa illa quæ Chriſto attribuimus officia, in cæteros Sanctos non competit. Neque enim paſſiones ſuas Deo patri allegant, tanquam ſufficiens peccatorũ noſtrorum pretium, quandoquidem redimendis aliis mortem non ſubierunt. Unde D. Auguſt. rectè docet unicum eſſe mediatorem & advocatum apud Patrem. *Si*, inquit, *Ioannes diceret: Si quis peccaverit, mediatorem me habetis, ego exoro pro peccatis veſtris, quis eum ferret bonorum, atque fidelium Chriſtianorum, quis ſicut Apoſtolum Chriſti, & non ſicut Antichriſtum intueretur? Homines enim omnes Chriſtiani invicem ſe commendant orationibus ſuis: pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus, veruſque mediator eſt*. Hæc Aug. In cap. 7. epi. 1. Ioan.

Nihilominus, quia quod in Advocati officio tertium diximus, nempe orare pro reo, in cæteros etiam Sanctos convenit, quemadmodum etiam luculenter aſſerit Aug. ſic inquiens: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus adhuc interpellat pro nobis, omnes Martyres qui cum illo ſunt, interpellant pro nobis, non tranſeunt interpellationes eorum, niſi cum tranſierit gemitus noſter*. Quia, inquã, pro nobis orare ſanctis omnibus cum Chriſto commune eſt, rectè hac ex parte dicuntur illi advocati noſtri. Unde D. Iren. *Inobedientis*, inq. *virginis Evæ, obediens virgo Maria, facta eſt advocata*. Et Aug. de Epiſcopis benedicentibus populum loquens: *Suſceptos ſuos*, inquit, *velut Advocati miſericordiſſimæ offerunt poteſtati*.

In pſal 58.

lib. 5. Cont. hæreſ.

Epiſt. 59.

Digitized by Google

Eodem modo dicuntur etiam Mediatores, locutione impropria, quia videlicet orant pro nobis; non tamen dicendi ſunt Mediatores Dei & hominum, ſed potiùs ſi ſic loquendum eſt, mediatores ad Mediatorem; quicquid enim petunt à Deo, per Mediatorem Chriſtum petunt, non autem ipſi immediatè per ſemetipſos accedunt ad Deum, ſicut Chriſtus, qui ſatisfecit pro peccatis hominum, per ſemetipſum placat Deum, promeretur nobis Spiritum obedientiæ; non ſic ſancti. Sic ille ſolus in Scriptura dicitur Mediator Dei & hominum. *Opus eſt*, ait S. Bern. *Mediatore ad Mediatorem Chriſtum, nec alter nobis utilior, quàm Maria.*

Ser. ult. de Aſſumpt. Lib. 12. Theſauri, cap. 10. 1. Tim. 2.

Sic loquitur D. Cyrill. Prophetas & Apoſtolos Mediatores vocans. *Unus Deus*, inquit, *& unus Mediator Dei & hominum Ieſus Chriſtus, qui dedit ſeipſum in redemptionem pro omnibus. Mediator Dei & hominum Ieſus Chriſtus eſt, non ſolùm quia reconciliavit homines Deo, verùm etiam quia naturaliter & ſubſtantialiter & Deus & homo in una hypoſtaſi eſt. Hoc enim modo naturam noſtram ſibi Deus reconciliavit. Nam aliter quomodo unum Mediatorem Paulus dixiſſet? Multi enim Sanctorum mediationis miniſterio uſi ſunt: & ipſe Paulus clamat, Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Moſes quoque Mediator fuit, miniſtravit enim filiis Iſraël legem datam à Deo. Mediator etiam fuit B. Hieremias, præcipuè quando clamabat ad Deum: Recordare mei ſtantis coram te ad loquendum pro ipſis bona. Quid multa? Singuli Prophetarum mediatores fuerunt. Apoſtolorum quoque ſinguli*, &c. ita Cyrill.

2. Cor. 5.

Galat. 3.

Ier. 18.

Digitized by Google

MONITUM CXVIII.

Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, &c.

Iſaiæ 11.

DIcitur Spiritui ſancto in hymno: *Tu ſeptiformis munere.* Ejus ſeptem dona enumerat Iſaias Propheta. Primum munus ſeu donum eſt Timor Dei, quo ante omnia opus eſt converti ad cognoſcendam ejus voluntatem, ſi quid nobis appetendum, fugiendumque præcipiat. Et cogitationem de noſtra mortalitate, ac de futura morte ac judicio incutit, & quaſi clavatis carnibus, omnes ſuperbiæ motus ligno crucis affigit. Huic reſpondet prima beatitudo, *beati pauperes ſpiritu,* id eſt, non inflati, dum ſe divinæ Majeſtati ſubdit anima, timens poſt hanc vitam ne pergat ad pœnas, etiamſi fortè ſibi in hac vita beata videatur.

Iſai. 11. Ex D. Aug. lib. 2. de doct. Chri. cap. 7. lib. 1. ſer. Dom. in monte, cap. 9.

Pſal. 118. Matth. 5.

Secundum donum eſt Pietas, qua miteſcere opus eſt, nec contradicere divinæ Scripturæ, ſive intellectæ, ſi aliqua vitia noſtra percutiat; ſive non intellectæ, quaſi nos meliùs ſapere, meliuſque præcipere poſſimus, quàm ipſa ſapientia, ipſa veritas; ſed cogitare potiùs & credere, id eſſe melius & verius, quod ibi ſcriptum eſt, etiamſi lateat, quàm id quod nos per noſmetipſos ſapere poſſumus. Huic item reſpondet ſecunda

Vide Aug. in pſal. 54.

Matth. 5.

beatitudo, *Beati mites*, niſi etiam ſe mitem præbeat, efficietur indocilis, pervicaciter concertando & vituperando, quod imperitis videtur abſurdum.

Deut. 6. Matth. 22. Luc. 10 Tertium donum eſt Scientia, in qua ſe exercet omnis divinarum Scripturarum ſtudioſus, nihil aliud in eo inveniens, quàm *diligendum eſſe Deum propter ſeipſum, & proximum propter Deum: & illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere, proximum verò tanquam ſeipſum*, id eſt, ut tota dilectio proximi, ſicut & noſtri, referatur in Deum. Neceſſe eſt ergo, ut primò ſe quiſque in Scripturis inveniat, amore hujus mundi, id eſt, temporalium rerum implicatum, longè ſejunctum eſſe à tanto amore proximi, quantum Scriptura ipſa præſcribit. Tum verò ille timor, quo cogitat de judicio Dei, & illa pietas qua non poteſt niſi credere, & cedere auctoritati ſanctorum librorum, cogit eum ſeipſum lugere: nam iſta ſcientia bonæ ſpei hominem ſe non jactantem, ſed lamentantem facit. Lugetur autem amiſſio ſummi boni, quia inhæretur extremis: quo affectu impetrat ſedulis precibus conſolationem divini adjutorii, ne deſperatione frangatur, & acquirit fortitudinem: reſpondet ergo hoc donum tertiæ beatitudini, *Beati qui lugent*.

Matth. 15. Quartum donum eſt fortitudo, qua eſuritur & ſititur juſtitia, qua ab omni mortifera jucunditate rerum tranſeuntium ſeſe extrahit, & inde avertens ſe, convertit ad dilectionem æternorum, incommutabilem ſcilicet unitatem, eandemque Trinitatem. Hic labor eſt; vehementer enim incumbitur, ut ſeſe animus avellat ab eis,

quibus

quibus peſtifera dulcedine innexus eſt. Ergo multum neceſſaria fortitudo, quia non relinquitur ſine dolore, quod cum delectatione retinetur. Reſpondet ergo hoc donum quartæ beatitudini; *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam.* Matth. 5.

Quintum donum eſt Conſilium; perſeverantibus enim in labore datur conſilium evadendi: quia niſi quiſque adjuvetur à ſuperiore, nullo modo ſibi eſt idoneus, ut ſe tantis miſeriarum implicamentis expediat. Eſt autem juſtum conſilium, ut qui ſe à potentiori adjuvari velit, adjuvet & inferiorem, in quo eſt ipſe potentior. Reſpondet ergo quintæ beatitudini, *Beati miſericordes.* Illam enim Ibidem. trinam unitatem ubi aſpexerit quantum poteſt, radiantem in longinqua, ſuique aſpectus infirmitate, ſuſtinere ſe illam lucem non poſſe perſenſerit, in conſilio miſericordiæ purgat animam tumultuantem quodammodo atque obſtrepentem ſibi de appetitu inferiorum conceptis ſordibus. Hinc verò in dilectione proximi graviter ſe exercet, in eaque perficitur, & ſpe jam plenus, atque integer viribus, cùm pervenerit uſque ad dilectionem inimici, ad ſextum donum pervenit.

Hoc autem eſt intellectus, ubi jam ipſum oculum purgat, quo videri Deus poteſt ab iis qui huic ſæculo moriuntur, quantum poſſunt. Nam in tantum vident, in quantum moriuntur huic ſæculo: in quantum autem huic vivunt, non vident. Et ideo quamvis jam certior, & non ſolum tolerabilior, ſed etiam jucundior ſpecies lucis illius incipiat apparere, in ænigmate tamen adhuc, & 1. Cor. 13. per ſpeculum videre dicitur, quia magis per fidem

quàm

2.Cor.5. quàm per ſpeciem ambulatur, cùm in hac vita
Phil 3. peregrinamur, quamvis converſationem habea-
Matth.5. mus in cœlis. Huic ergo reſpondet ſexta beatitudo, *Beati mundo corde*. Cordis munditia de bona conſcientia bonorum operum, valet ad contemplandum ſummum illud bonum, quod ſolo puro & ſereno intellectu cerni poteſt. In hoc etiam gradu ita purgat oculum cordis, ut veritati, ne ipſum quidem præferat, aut conferat proximum: ergo nec ſeipſum, quia nec illum, quem diligit ſicut ſeipſum. Erit ergo iſte ſanctus tam ſimplici corde, atque mundato, ut neque hominibus placendi ſtudio detorqueatur à vero, nec reſpectu devitandorum quorumlibet incommodorum ſuorum, quæ adverſantur huic vitæ.

Talis filius aſcendit ad Sapientiam, quæ ultima & ſeptima eſt, qua pacatus tranquilluſque perfruitur, & eſt contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & ſuſcipiens ſimilitudinem Dei; unde reſpondet ſeptimæ beatitudini.
Matth.5. *Beati pacifici*. Initium ergo ſapientiæ timor Do-
Proverb.1. mini; ab illo enim uſque ad ipſam, per hos gra-
Eccl.1. dus tenditur. Sunt qui putent apud Iſaiam enumerari tantum illas Spiritus operationes; quæ ſupremum Iudicem aut Magiſtratum deceant: ſed receptius eſt, ut & ad alios pertinere putentur. Unde Divus Auguſtinus (ut ex dictis clarum eſt) in hac donorum tractatione præ cæteris verſatus, utiliſſimè docet quandam eſſe graduum enumerationem, per quos uſque ad perfectionem debeat Chriſtiani hominis profectus creſcere, incipiendo à timore, ut perveniatur ad Saientiam.

Unde

Unde & in Sermone de timore Dei: *Sicut*, inquit, *ille non deficiendo, ſed docendo à Sapientia uſque ad timorem deſcendit; ſic nos non ſuperbiendo, ſed proficiendo, à timore uſque ad ſapientiam oportet aſcendere. Initium enim Sapientiæ, timor Domini. Ipſa eſt enim illa convallis plorationis, de qua Pſalmus dicit: Aſcenſiones in corde diſpoſuit in convalle plorationis. Per convallem quippe humilitas ſignificatur. Quis eſt autem humilis, niſi timens Deum? & eo timore conterens cor in lachrymis confeſſionis & pœnitentiæ?* Et infrà: *Sed unde*, inquit, *aſcendendum eſt? in locum quem diſpoſuit. Quis iſte locus eſt, niſi quietis & pacis? Ibi enim eſt iſta clara, quæ nunquam marceſcit ſapientia. Unde ad nos exercitandos quibuſdam doctrinæ gradibus deſcendit Iſaias à ſapientia uſque ad timorem, à loco ſcilicet ſempiternæ pacis, uſque ad convallem plorationis, ut non in confeſſione pœnitentiæ dolendo, gemendo, flendo, non remaneamus in dolore, gemitu, fletu; ſed aſcendentes ab iſta convalle in montem ſpiritalem, imperturbabili lætitia perfruamur. Ergo ille cùm præpoſuiſſet ſapientiam, lumen ſcilicet mentis indeficiens, adjunxit intellectum, tanquam quærentibus, unde ad ſapientiam veniretur? reſponderet, ab intellectu: unde ad intellectum? à conſilio: unde ad conſilium? à fortitudine: unde ad fortitudinem? à ſcientia: unde ad ſcientiam? à pietate: unde ad pietatem? à timore. Ergo ad Sapientiam à timore, quia initium ſapientiæ timor Domini.* Hæc ibi Auguſt. Quæ omnia pleniùs intelliguntur ex ſuprà dictis Auguſtini de Doctr. Chriſt. & Sermone Domini in monte.

[Eſt in novis ſermonib. fol. 247. — Pſal. 110. — Pſal. 83. — Pſal. 110. — lib. 2. c. 7. — lib. 1. c. 9.]

Et quia bis ponitur Timor apud Iſaiam, videndum

dum, quid utroque loco ſignificet. Et ultimo quidem loco, qui aſcendendo primus eſt, Auguſtinus intellexiſſe videtur Timorem pœnæ, quo metuit anima, ne poſt hanc vitam pergat ad pœnas, etiamſi hic ſibi beata videatur. Ab hoc enim timore, quo concutitur peccator Dei dono, per cæteros ſequentes gradus paulatim ad Sapientiam pervenitur. Secundo autem loco, ubi legimus pietatem, accepit Aug. ſignificatum eſſe timorem reverentiæ, qua poſt pœnæ metum accedens homo ad cognitionem Scripturarum, reveretur eas & honorat, etiamſi non intelligat, ipſaque hac reverentia divinæ authoritatis mitem ſe præbet pietati, & docilem. Timor enim ille pietas eſt, per quam alius divinæ authoritati religiosè ſe ſubmittit. Hinc autem venitur ad ſcientiam, &c. ut ſuprà.

Vt infrà. Hæc autem ſeptem dona virtutes eſſe affirmat D. Ambroſ. Nam timor pœnæ (de quo præcipua movetur difficultas) quamquam non eſt virtus in eo, qui tantum timet pœnam, & nondum amat juſtitiam, cùm ſcilicet adhuc merè ſervilis eſt; tamen cum bona voluntate conjunctus & initialis factus, virtutis obtinet rationem. Virtutis enim hoc eſt, velle Deum ut judicem metuere, & cum Davide dicere: *Configе timore tuo carnes*
Pſal. 119. *meas*. Nihil interim vetat quo minus intelligatur ille timor qui nondum virtus eſt, ſed Spiritus ſancti tamen ſalutare donum, & ad expulſionem peccati conducibile: idque aptius ad faciliorem intelligentiam ſuprà traditæ ex Auguſtino doctrinæ.

Nec debet tamen pro abſurdo haberi, ſi & virtutes

virtutes omnes aliæ dona ſint Spiritus ſancti, cùm id ſit certiſſimum, ideoque longè plura ſunt illis ſeptem, Spiritus ſancti munera, ſicut etiam doctiſſimi quidam Interpretes annotarunt. Sed ideo tamen poſt Iſaiam ſeptem peculiariter à veteribus numerantur, quòd his velut ſeptem gradibus eatur ad Sapientiam. Agunt autem de his, præter Auguſtinum, D. Ambroſius libro tertio de Sacramentis, capite ſecundo: de initiandis, capite ſeptimo: de Spiritu ſancto, capite ultimo, libro primo. Hieronymus in cap. 11. Iſaiæ, Gregor. lib. 1. Moral. cap. 28. Bernard. in quodam ſermone de 7. donis Spiritus ſancti. In illum locum Iſaiæ.

MONITUM CXIX.

Paracletus autem Spiritus Sanctus, &c.

Ioan. 14.

VOx iſta, Paracletus, tria ſignificat, ut docet Naziانz. Conſolatorem, exhortatorem ad bonum, & advocatum. Difficile autem eſt dicere de Spiritu ſancto, quomodo ſit advocatus. De Filio, quod advocatus noſter ſit, certum eſt ex Scripturis, quia ſecundùm humanam naturam, *interpellat pro nobis*: *apparet nunc vultui Dei pro nobis*, in corpóre habente cicatrices paſſionis, ſolutum oſtendens pretium, & per mentem ac voluntatem idipſum à Deo petens, quod oſtenſione Lib. 4. de Theolog. 1. Ioan. 2. Hebr. 7. & 9.

corporis

corporis ſui, in quo antè paſſus eſt, petit: ſicut milites multa vulnera in bello paſſi, regibus ita oſtendunt corpus ſuum, ut mente poſtulent præmium. Nondum enim habet Chriſtus totum, quod ſua paſſione promeruit, videlicet ſalutem omnium electorum, quam donec habeat, orat. Quemadmodum operarius, qui labore diurno ſummam aliquam pecuniæ lucratus eſt, tamdiu rectè inſtat pro mercede, quamdiu non totum ac-
Mon.107. cepit, ut antè dictum; & tamdiu poteſt manus exhibere apertas, donec omnes ei debiti nummi fuerint numerati. Oratio verò, ſanctumque deſiderium, ſimile eſt apertioni ſinus vel manus, ut
Tract.4.in Canon. Ioan. docet D.Aug. *Habemus Advocatum apud Patrem*, inquit Ioan. *Et Advocatus & judex eſt*, ait Ambr.
1.Iōan.2. In cap.2. Lucæ. *In altero pietatis officium, in altero inſigne eſt poteſtatis.*

Non ita dicitur Spiritus ſanctus Advocatus, quia orare, interpellare, ſignum eſt indigentis: is
Epiſt.105. 2.Cor.3. autem nullius indiget, ſed hoc ſenſu, *quia nos interpellare & clamare ad Deum facit*, ut Auguſt. ait cont. Maximinum lib.2. cap.9. Nam ſine Spiritu ſancto non poſſumus aliquid boni cogita-
Cont. duas epiſt. Pelagian. lib.2. cap.8. re, multò minùs cupere, quia minus eſt cogitare quàm cupere; & multa cogitamus quæ non cupimus, ſed cogitando eò proficimus, ut poſtea
Rom.8. cupiamus, inquit Auguſtinus. Sic dicit Apoſtolus, quod *Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, quia videlicet poſtulare nos facit, ſive poſtulandi & gemendi nobis inſpirat affectum.
Galat.4. De quo & alio loco dicit: *Miſit Deus Spiritum filii ſui in corda noſtra, clamantem, Abba, pater. Et hoc quid eſt clamantem*, ait S.Aug. *niſi clamare facientem*

cientem: tropo illo quo dicimus lætum diem, qui lætos facit. Quod alibi manifeſtat, ubi dicit: Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater. Ibi dixit clamantem; hic verò, in quo clamamus, aperiens videlicet, quomodo dixerit, clamantem, id eſt, ſicut jam expoſui, clamare facientem. Unde & apud Prophetam Spiritus precum appellatur: *Effundam ſuper domum David, & habitatores ejus Spiritum gratiæ & precum.* De bono perſever. c.23. epiſt. 105. Rom. 8. Zach. 12.

Sicut enim nemo rectè ſapit, rectè intelligit, rectè conſilio ac fortitudine prævalet, nemo ſcienter pius eſt, vel piè ſciens, nemo timore caſto Deum timet, niſi acceperit ſpiritum ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, & timoris Dei: nec habet quiſquam virtutem veram, charitatem ſinceram, continentiam religioſam, niſi per ſpiritum virtutis, & charitatis, & continentiæ: Ita ſine ſpiritu fidei non eſt rectè quiſquam crediturus, nec ſine ſpiritu orationis ſalubriter oraturus. Non quia tot ſunt ſpiritus, ſed omnia hæc operatur unus atque idem ſpiritus, dividens propria unicuique prout vult: quia ſpiritus ubi vult ſpirat. Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri divinitus, inquit Synodus Arauſic. *non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem Spiritus Sancti in nobis fieri confitetur, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non accepiſti?* Et, *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Et, *quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Aug. epiſt. 105. 1. Cor. 12. Ioan. 3. Can. 6. 1. Cor. 4. 1. Cor. 15.

Et

Rom.11. Et ipſe Dominus ait: *Sine me nihil poteſtis facere.*
Joan.15. Conſolator autem eſt Spiritus ſanctus, quia *teſtimonium perhibet in cordibus juſtorum, quod ſint filii Dei, ac proinde hæredes ſecundùm ſpem vitæ*
Rom 8. *æternæ,* qua gloriantur & recreantur. Illud autem
Rom.5. teſtimonium eſt experientia quædam divinæ gra-
Rom.12. tiæ atque juſtitiæ, & quidam guſtus Dei, de quo Petrus; *ſi tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt domi-*
1.Pet.2. *nus.* Et Paulus: *Guſtaverunt donum cæleſte, & bo-*
Hebr.6. *num Dei verbum.*

Duplex autem eſt guſtus Dei, prout eſt duplex animæ pars. Intellectus & voluntas; ſive, ut Scriptura loquitur, mens & cor. Guſtus mentis, intellectus ſive ſapientia vocatur, cujus meminit ibi Pro-
Iſai.6. pheta: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Apoſtolus
1.Cor.2. quoque, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Exempli gratia: Primum credit homo Originale peccatum, poſtea ſenſim proficiendo eò venit, ut verè intelligat, ut videat hominis naturam eſſe peccato depravatam. Guſtus autem Dei, qui in voluntate eſt, vocatur juſtitia, ſive eſuries & ſitis juſtitiæ.
Matth.5. Quantò enim plus guſtatur Deus, tantò plus eſu-
Eccl. 24. ritur. Homo prius tantum credebat, ſe per Chri-
Hier. ad Creſiphont. ſtum, ſi ad eum confugeret, mutandum ex iniquo in juſtum, ex impuro in caſtum, ex guloſo in ſo-
Vide Heſſ. de fide Spec. brium. Cùm jam mutatum ſe videt, & abominari iniquitates, quas ante ſolet amare; jam experitur in parte, id quod credebat ante, Deum ſcilicet juſtificare ſe invocantes.

Rom.14. Atque ex ea juſtitia evadit conſcientia tranquillior, & iſta tranquillitas conſcientiæ eſt alius Dei guſtus, qui quidem in futura vita non abolebitur, ſed perficietur: de qua tranquil-

litate

litate, ait Sapiens; *Secura mens, quaſi juge convivium.* Quia continuè hominem reficit, & conſolatur in omnibus quæ accidunt, efficitque ut nihil eum contriſtet, nihilque metuat. Unde & in iſtis Spiritus Sancti donis, intellectu, juſtitia, pace conſcientiæ & gaudio, conſiſtit arra futuræ hæreditatis. Sicut enim arra eſt pars pretij, ſeu ſtipendij, ita iſta ſunt pars vitæ æternæ: & ut ſtipendio tributo, non aufertur arra, ita veniente plenitudine felicitatis, hæc non tollentur. Prov. 15. Prov. 12. Epheſ. 2.

Prior guſtus, ipſa ſapientia, perfectorum eſt, qui *longa iam conſuetudine ſenſus habent exercitatos ad diſcrimen boni & mali*; qui ſapientiam loqui poſſunt inter perfectos. Sicut enim ait S. Auguſt. *Ad cognitionem ſinceriſſimæ ſapientiæ pauci ſpirituales in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines ſunt, ſed tamen ſine dubitatione cognoſcant: cæteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.* Poſterior verò guſtus omnibus juſtis communis eſt. Omnes enim & eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam. Omnes vident ſe mutari aliquovſque, ſaltem ad pietatem; omnes conſcientiam aliquantulum pacatam habere incipiunt. Unde Apoſtolus dicit eos accepiſſe *Spiritum Sanctum, velut arram hæreditatis æternæ.* Hebr. 5. 1. Corint. 2. Cont. epiſt. Fundam. cap. 4. Epheſ. 1. 1. Ioan. 5.

Imò dicit Joannes, accepiſſe eos ipſam hæreditatem, *ſeu vitam æternam in ſe habere,* quia habent Dei cognitionem, juſtitiæ dilectionem, pacem conſcientiæ, in quibus vita æterna conſiſtit. Nam hæc per mortem non auferentur, ſed perficientur in futuro ſæculo, & durabunt in æternum. Magna certè dignitas juſtorum, qui iam in ſeipſis

habent vitam æternam. Unde Chriſtus de Magdalena; *Optimam partem elegit, quæ non auferetur* Luc. 10. *ab ea.* Qui & alibi, *Regnum Dei intra vos eſt,* non in ſua perfectione, ſed origine. *Regnum enim Dei,* Rom. 14. teſte Apoſtolo, *eſt juſtitia, gaudium, & pax in ſpiritu ſancto,* quæ Sancti habere incipiunt, & perficientur De catech. rudib. c. 16. in vita futura. Unde & D. Auguſt. *Tu qui veram requiem, quæ poſt hanc vitam promittitur Chriſtianis, quæris etiam hic eam inter amariſſimas hujus vitæ moleſtias, ſuavem jucundamque guſtabis, ſi ejus, qui eam promiſit, præcepta dilexeris.*

Exhortatus etiam eſt Spiritus Sanctus ad bonum; omnis enim bona inſpiratio de malo deſe- 2. Cor. 3. rendo, & faciendo bono, à Spiritu Sancto eſt. *Non enim ſufficientes ſumus,* inq. Apoſt. *cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo* Proſp. de vocat. gent. lib. 1. cap. 6 Lib. 2. c. 8. *eſt.* Bona igitur cogitatio eſt à Spiritu Sancto, illa eſt prima plantatio ſuperni Agricolæ, illud eſt ſemen quod jacit in terram pectoris, non ut ibi maneat, ſed ut fructus proferat. Et quis eſt tam à Deo, ac pietate alienus, quin aliquando bonam Iſai. 30. aliquam inſpirationem ſentiat? Dicit Iſaias, quod Dominus peccatorem, ſe relinquentem, poſt ter- Vide Greg. in Paſt. part 3. cap. 29. gum moneat. *Audient*, inquit, *aures tuæ verbum poſt tergum monentis*; quia peccatorem terga ei vertentem, id eſt, à ſe diſcedentem, monere non Lib. 5. Conf. ca. 2. ceſſat, ut redeat. *Non enim,* ait Auguſt. Deo, *ſicut ipſi* (peccatores) *deſeruerunt te creatorem ſuum, ita & tu deſeruiſti creaturam.*

Aug. lib. 1. de Trinit. cap 3. Fulg. ad Monim. lib. 1. ca. 4. Loquitur & monet nos Deus variis modis, per Scripturas ſacras, per ſermocinationes fratrum, denique per internas inſpirationes. Sed nonne di- Pſalm. 49. cit Deus peccatori; *Hæc feciſti, & tacui?* Quomodo

do tacet? *Tacet*, inquit S. Auguſt. *à vindicta*, dans ei tempus pœnitendi; ſed *non tacet à præcepto, non tacet à doctrina*, quam foris & intus adhibet, ut convertatur, & redeat. *Imò tacere ejus, loqui eſt, tacendo enim, id eſt, non ſtatim vindicando, quid monet, niſi ut peccator ſe convertat?* inquit Auguſt. Increpantur impij; *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*, id eſt, ejus doctrinæ, conſilio, monitioni, inſpirationi. Monet Apoſtolus; *Spiritum nolite extinguere*, id eſt; bonam inſpirationem à Spiritu Sancto immiſſam. Dicebat Samuel; *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus*. Et David; *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Et alios hortatur; *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Obdurantibus corda graviter minatur Deus: *Vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis, advenerit.*

In Pſal. 144.
Actor. 7.
1 Theſſ. 5.
Pſalm. 49.
1 Reg. 3.
Pſalm. 84.
Vide Mon. 101.
Prov. 1.
Gregor. in Paſt. part. 3. adm. 15.

MONITUM CXX.

Factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam advenientis ſpiritus vehementis.

Actor. 2.

EXpendendus eſt diligenter modus quo Spiritus Sanctus deſcendit in diſcipulos Domini. Primò deſcendit tanquam flatus, & quidem vehe

Actor. 2.

vehemens. Tanquam flatus, quia ipſe eſt qui inſpiravit ſpiraculum vitæ, in primi hominis creatione: ipſe eſt, qui *omnes vivificat*, & *à Patre, Filioque procedit*, ſicut ſpiritus ex homine. Unde in die Paſchæ Chriſtus inſufflando eum dedit. Tanquam flatus vehemens, quia ipſe quemcunque voluerit, quantumvis ſibi rebellem, ſibi ſubditum, & habitaculum facit. Ut Saulum, non niſi minas & cædes ſpirantem in diſcipulos Domini; latronem dextrum, paulò antè Chriſtum cum ſiniſtro blaſphemantem. *Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*, inquit Ambroſ. *Manum ejus non repellit duritia hominum*, ait Auguſt. *ſed ſoluit eam cùm vult, & non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.* Hinc David: *Converte Domine captivitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro. Sicut frigus aquam ligat, ut currere non poſſit; ita peccatum cor hominis*, inquit Auguſt. *Auſter autem ventus eſt calidus, qui quando ſpirat, ſoluitur aqua, & iterum fluit. Et eſt Spiritus Sanctus, qui quando ſpirat, remittuntur peccata, & ſolvimur frigore iniquitatis, ut iterum curramus ad Deum. Unde Sapiens, ſicut glacies in ſereno, ita ſolventur peccata tua.*

Ioan. 20. Vide Mon. 50. Actor. 9. Matth. 27. Lucæ 23. lib. 2 in Lucam. Lib. 5. Cōf. cap. 1. Pſalm. 18. Pſal. 125. Auguſt. in illum Pſal. Eccleſ. 3.

Deinde ipſe eſt, qui quemcunque inhabitaverit, violentum adverſus propriam pravitatem facit: juxta illud Chriſti; *Violenti rapiunt regnum cælorum.* Magna eſt vis cupiditatis & conſuetudinis malæ; magna vis paſſionum, & pravorum affectuum, ut libidinis, iræ, & aliorum, ut etiam ſcientes & videntes, cum certo periculo ac detrimento famæ, vitæ, ſalutis, impellant ad ſcelus. Unde illa apud Poëtam;

Matth. 11. Medæa ad Iaſonem.

—— *Ingentes parturit ira minas.*

Quò

Quò feret ira ſequar, facti fortaſſe pigebit. Id eſt, iræ ſerviendum eſt, etſi pœnitudo ſequatur. Narratur de quodam, qui viſa formoſa muliere, ita libidine accenſus eſt, ut diceret ſe ſtatim paratum ire ad infernum, ſi vel ſemel ea potiri poſſet. Neronis mater, cum accepiſſet ab Aſtrologis, filium ſuum regnaturum, ſed matrem occiſurum, dixiſſe fertur; *Occidat dum imperet.* Tanti fecit ambitioſa mulier regnum filii, ut vitam ipſa ſuam poſthabuerit regno filii.

Sic ille ebrioſus apud Thomam Morum, cùm ei prædiceret medicus amiſſionem oculorum, niſi à potando ceſſaret; cupiditate & conſuetudine inebriandi ſe ſuperatus; *Sat*, inq. *vidi, ſed non ſat bibi. Theotimus*, inq. D. Ambr. *cum gravi oculorum incommodo laboraret, & amaret uxorem, interdicta ſibi à medico facultate coëundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus, ſe moderari nequivit. Sciens enim prudenſque quod eſſet oculos amiſſurus, priuſquā conveniret uxori, in ipſo æſtu ferventis cupiditatis, & conſuetudinis apparatu; Vale*, inquit, *amicum lumen.* Spiritus ſanctus ſcit has malas beſtias edomare ac vincere. *Lex peccati*, ait S. Aug. *eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur & tenetur, etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur. Miſerum ergo me, quis liberabit de corpere mortis hujus, niſi gratia Dei per Ieſum Christum Dominum noſtrum?*

In Epigr.

Lib. 4. in Luc.

Li. 8. Conf. cap. 5.

Denique vehemens eſt hic flatus, quia nulla eſt pravitas, vel potentia, quæ poſſit ei reſiſtere; ſed toto mundo obſiſtente, per infirmos & imperitos ac inglorios devicit omnes potentes, ſapientes, & nobiles, ut Eccleſia ædificaretur. Ex duobus virtus gratiæ Spiritus ſancti manifeſtior apparet

D. Proſp. l. 2. de voc. gen. cap. 15

ac mirabilior. Primò, *quòd de tam duris animis, tam tenebroſis mentibus, tam inimicis cordibus fecit ſibi populum fidelem, ſubditum, & ſanctum.* Secundò, quia *fremebant undique gentes, iraſcebantur populi, ſæviebant reges, & poteſtates contradicebant, ſuperſtitiones & totius mundi reluctabantur errores;* tamen omnibus his non obſtantibus, quos voluit vocavit, & vocando, fideles ac Sanctos fecit.

Deſcendit præterea tanquam ignis: ipſe enim eſt qui lucet in cordibus hominum, ut videant; hinc illum oramus, *Accende lumen ſenſibus.* Et Chriſtus de eo, ait quod ſit *ſpiritus veritatis.* Et *docebit vos omnem veritatem.* Et, *docebit, & ſuggeret vobis omnia.* Docebit quæ ignoratis, & ſuggeret, ut quæ ſcitis, in tempore occurrant. Nehemias gratias agens Deo pro Judæis; *Spiritum tuum bonum,* inquit, *dediſti eis, qui doceret eos.* Ipſe eſt, qui ad Dei amorem corda, quæ inhabitat, accendit. Hinc oramus; *Infunde amorem cordibus. Tui in nobis amoris ignem accende.* Orandum eſt autem, ut illo inflammante ad tantum fervorem proficiat, ut nullo frigore extingui, nullo poſſit tepore languere. *Alioqui eſt amor qui poteſt alio amore ſuperari; & ſæpe dilectio Dei ex mundi dilectione marceſcit.* Hic eſt ignis, qui ſemper debet ardere in altari cordis, quem ſacerdos nutrire debet, ſubjiciens ligna, ideſt, fidelis quilibet, qui Sacerdos eſt, quia *vovet Domino conſcientiam puram, & immaculatas pietatis hoſtias de altari cordis offert,* inq. S. Leo. Subjicit autem ligna, quando diligenter conſiderat Dei perfectiones, beneficia, promiſſa, exempla Chriſti, & Sanctorum, & ſimilia, quæ Dei amorem excitare ac conſervare in cordibus hominum ſolent.

In hymno. Ioan. 15. Eſdræ 2. c. 9. Proſp. li. 2. de voc. ge. cap. 11. Levit. 6. Leo Ser. 3. de anniverſ. ſui pontif.

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe *eſt ignis conſumens*, ut ait Apoſt. conſumens, Hebr. 12.
inquam, noſtras carnales cupiditates, juxta illud Iſai. 4.
Iſaïæ; *Sanguinem Hieruſalem laverit de medio ejus in ſpiritu judicii & ſpiritu ardoris.* Hinc orat Eccleſia, *Ure igne Sancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine. Nos rubus; ille ignis in rubo, ut nobis luceat, & noſtra peccata conſumat,* ait S. Ambroſ. Ex Exod. 3. Epiſt. 82.
petra ſupra quam poſuit Gedeon carnem hœdi & jus, egreſſus eſt ignis, qui ea conſumpſit, quia *ex* Iudic. 6.
Chriſti carne glorificata venit Spiritus, culpam & illecebras cupiditatum abſumens; ſicut pulchrè exponit idem Ambroſ. Lib. 1. de Spir. S. in prologo.

Deſcendit poſtremò in ſpecie linguæ, quia cùm cor incenderit, ſtatim in locutione apparet quis in corde ſit ſpiritus.

Quis enim celaverit ignem?
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?

Sic ait Jeremias; *Factus eſt mihi Dominus, ſive ſermo ejus, quaſi ignis, clauſuſque in oſſibus meis, & defeci, ferre non ſuſtinens.* Quia videlicet, propterea Ierem. 20.
quod alii deriſerant ſermonem Domini, dixerat: *Non loquar ultra in nomine domini.* Sicut enim ait Matth. 12.
Chriſtus; *Ex abundantia cordis os loquitur. Implet,* ait S. Proſp. *Spiritus S. organum ſuum, & tanquam* In epiſt. ad Demetriad.
fila chordarum, tangit digitus Dei corda ſanctorum. Digito Dei Spiritus S. ſignificatur in Scripturis, quia Aug. de catechiſ. rudib. c. 20. Luc. 11.
per eum dona Dei dividuntur ſanctis, ut cùm diverſa poſſint, non tamen diſcedant à concordia charitatis. In digitis autem maximè apparet quadam diviſio, nec tamen ab unitate præciſio, alioqui Deus non eſt corporis forma definitus, ut in eo cogitanda ſint membra, & digiti. Quàm ſuavem & gratum ſonum ediderint Sancti, etiam in maximis tribulationibus, cordi- Pſal. 30.

Digitized by Google

bus eorum digito Dei tactis, manifeſtum eſt in Job, Tobia, Machabæis, & aliis. Hinc in Pſalmo Pentecoſtali, petito Spiritu S. audet peccator dicere; *Docebo iniquos vias tuas*. Et, *Exaltabit lingua mea juſtitiam tuam*. Et, *Os meum annuntiabit laudem tuã.* Certè Spiritus S. quemcunque inhabitat, facit eum ſtatim peccatorum confeſſorem, rogatorem veniæ, & clamantem, Abba, Pater; laudantem, pſallentem, & gratias agentem Deo. Spiritus hic efficit doctores, exhortatores, conſultores, correptores, & conſolatores. Nec uſquam ſe magis profert charitas proximi, qua ad vitam æternam diligitur ac dirigitur, quàm in lingua, utpote qua ſola communicat propriè alteri bona ſpiritualia. Nimirum

Matth. 12. *bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona.*

Addenda ſunt hic tria nomina, quibus Spiritus ſanctus appellatur. Primum, Fons vivus, quia vi-

Vide Amb. lib. 1. de Spir. S. cap. 20.

tam habet in ſeipſo, qua vivit, imò ipſa vita divina eſt; vivit enim cum Patre & Filio, & omnes tres una & eadem vita ſunt, ſicut una eſſentia & ſubſtantia. Deinde, quia vitæ author eſt; ipſe namque vivificat animas noſtras, quæ peccato mortuæ

Auguſt. de peccat. mer. lib. 1. cap. 5. Roman. 8 Pſalm. 35. 1. Cor. 6. & 12.

erant; ipſe etiam *vivificabit mortalia corpora* noſtra, ut amplius non ſint futura mortalia. Denique ipſe verè fons eſt, à quo emanant gratiæ, & dona, & omnia bona ſpiritualia. De quo fonte dictum eſt: *Apud te* (Patrem & Filium) *eſt fons vitæ.* Et ei in Scripturis tribuuntur dona gratiarum, & hominum ſanctificatio.

Secundum nomen eſt Charitas. Sic dicitur Spiritus S. Charitas, ſicut filius *virtus & Sapientia,*

1. Cor. 1. Ioan. 1. 14.

lux & veritas: quia, videlicet, non diſtinguitur in Deo qualitas à ſubſtantia, utpote qui totus ſit eſſentia

Digitized by Google

ſentia ſimplex, & omnibus modis incompoſita; in quo bonitas, ſapientia, potentia, dilectio, & ſimilia non inſunt accidentaliter, aut per participationem; ſed plenè atque eſſentialiter. Idem ergo eſt, ſive dicas, per nomen concretum, Deum eſſe ſapientem, Deum diligere; ſive per nomen abſtractum, Deum eſſe ſapientiam, & charitatem. Omnes autem perſonæ ſunt una charitas. Peculiariter tamen Spiritui ſancto, *qui ex Patre, Filioque procedit*, Charitas tribuitur, ut & omne donum gratiæ, totaque ſalvatio, & humani generis reparatio. Ex ipſo enim eſt charitas, id eſt, boni cupiditas, ſive bona voluntas, quæ quantumvis exigua fuerit, ſine ejus tamen gratia haberi non poteſt, ut rectè D. Aug. variis locis. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Charitas ex Deo eſt. Fructus Spiritus, charitas*, &c.

De grat. Chriſt. ca. 19. 21. Cont. duas epiſt. Pelag. l. 2. c. 9 De grat. & lib. arb. c. 17. Conc. Carthag. c 4. Rom. 5. 1. Ioan. 4. Galat. 5.

Tertium Spiritus ſancti nomen eſt, Spiritalis unctio. Sic Eſaias etiam docet, dum Chriſtum ita loquentem inducit: *Spiritus Domini ſuper me, eo quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me*, &c. Cujus in renatorum confirmatione, & hinc emigrantium unctione ſacrum ſignum eſt, viſibile oleum. Multæ autem ſunt rationes, cur Spiritus Sanctus unguento, ſeu oleo comparetur. Nam in primis quidem oleum ſeu unguentum lætificat; unde Chriſtus jubet *jejunantes caput ungere*, ne videlicet ſe triſtes exhibeant. Similiter & Spiritus Sanctus ſolido veroque gaudio mortalium corda lætificat, & conſolatur. Unde & *paracletus* vocatur, & *oleum lætitiæ*. Et Paulus *fructum Spiritus* docet eſſe *gaudium*. 2. Oleum laſſos reficit,

Iſai. 61. Vide Heſſ. in primam Canonic. Ioan. Ioan. 14. 15. 16. Pſalm. 44. Galat. 5. Ioan. 12.

get (tanquam oleum in lucerna poſitum) illuminationem nobis conceſſam. Ioannes quoque in Apocal. Apoc. 4.
ſeptem lampades ardentes ante thronum interpretatur, ſeptem eſſe Spiritus Dei, id eſt, Spiritum Sanctum ſeptiformem munere.

FINIS SECVNDÆ PARTIS.

Digitized by Google

GVILIELMVS VERANNEMAN, *Præpoſitus Provincialis Societatis Ieſu per Flandriam, Hieronymo Verduſſen Typographo.*

IVxta Privilegium à Sereniſſimis Principibus nobis conceſſum, poteſtatem tibi facio imprimendi ſecundam partem Monitorum Sacrorum Adriani Mangotii Goudani, Societatis noſtræ Sacerdotis; & ejuſdem Privilegii tenore caveo, ne alius imprimat, aut alibi impreſſa in Belgio vendat, ſub pœnis in ipſo Privilegii inſtrumento contentis. Datum Lovanii, 19. Junii 1613.

Guilielmus Veranneman.

APPROBATIO.

HÆc ſecunda pars Monitorum ſacrorum R. P. Adriani Mangotii Societatis IESU Theologi, quibuſdam ſententiis Scripturarum potiſſimùm & Patrum aucta, utiliter admodum recudetur. Quod cenſeo ipſis Calend. Maii, an. 1617.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis librorum Cenſor.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

7-2-1